

JUNED

HESPÉRIA
LIBROS

Pl.Jose Antonio.10 - ZARAGOZA

Filología


F.A.017
E00007533-29

R 41774
PRINCIPIS CHRISTIANI
INSTITUTIO
Per Aphorismos digesta,
Auctore
DESIDERIO ERASMO
Roterodamo.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
c I o I o c x l i .

Perfect. *sin mmp*
~~H. J. Binko.~~
~~1757~~



UNED

Principis Christiani
I N S T I T U T I O

Per Aphorismos digesta,

Auctore

D E S I D E R I O E R A S M O

Roterodamo.



Bi receptum est suffragiis ascisci Principe, illic non perinde spectandæ sunt maiorum imagines, five species corporis, aut proceritas, quod à barbaris nonnullis olim ineptissime factitatum legimus, atque indoles animi manueta, placidaque, sedatum, ac minime præceps ingenium, nec ita concitatum, ut periculum sit, ne accedente fortunæ licentia erumpat in tyrannidem, & admonentem aut consulentem non ferat, nec rursus ita lentum, ut cuiuslibet arbitrio quovis duci sese patiatur. Spectandus & rerum u-

A 2 sus,

sus, & ætas, nec ita gravis, ut iana
Valetudo obnoxia sit delirationi, nec ita vi-
Princi- rents, ut affectibus abripiatur. For-
pis. tassis. & valetudinis habenda non-
nulla ratio, ne subinde novus **Prin-**
ceps sit adhibendus, idque non ci-
tra Reip. dispendium.

Quibus In navigatione non ei commit-
rebus x- titur clavus, qui natalibus aut o-
stiman- pibus, aut forma cæteris antecel-
dus Prin- lit, sed qui peritia gubernandi, qui
ceps. vigilantia, qui fide superat. Ita re-
gnum ei potissimum est commit-
tendum, qui regiis dotibus anteit
reliquos, nempe sapientia, iusti-
tia, animi moderatione, provi-
dentia, studio commodi publici

Imagines, aurum, gemmæ ni-
hilo plus habent momenti ad ci-
vitatis administrationem, quam
eadem nauclero conductura sint
ad navim gubernandam.

Vtilitatis Quod unum oportet spectare
publicæ Principem in administrando, id
ratio. unum oportet spectare populum
in Principe deligendo, nimirum
publicam commoditatem, pro-
cul

PRIN. CHRISTIANI. 5
culablegatis privatis affectibus.

Quo minus integrum est mutare quem delegeris, hoc circumspetius est diligendus, ne diutissime nos cruciet unius horæ temeritas.

Cæterum ubi nascitur Princeps, non elititur, quod & olim apud barbaras aliquot nationes fieri solitum restatur Aristoteles, & nostris temporibus ubique fere receptum est, ibi præcipua boni Principis spes à recta pendet institutione, quam hoc diligentiores etiam adhiberi conveniet, ut quod suffragiorum iuri detractatum est, id educandi studio pensetur. Proinde statim, ab ipsis (ut aiunt) incunabulis vacuum adhuc & rude futuri Principis pectus salutaribus opinionibus erit occupandum, ac protinus in puerilis animi novale iacienda honesti semina, quæ paulatim ætate & usu rerum suppullenlent, ac maturescant, & semel infixa in omnem usque vitam inhærent. Nihil enim ita penitus insidit & inhærescit, ut quod primis

A 3 illis

Bonis o-
pinioni-
bus sta-
tim im-
buendus
Princeps

6 INSTITUTIO

illis inseritur annis, in quibus quid imbibamus, cum in omnibus permultum refert, tum vero in Principe plurimum.

Ubi potestas non est diligendi Principem, ibi pari diligentia diligendus erit is, qui futurum instituat Principem.

Ut nascatur probæ indolis Princeps, id votis optandum à superis. Porro ne bene natus degeneret, aut ut parum bene natus educatione reddatur melior, id partim in nobis situm est.

Mos erat olim de Rep. benemeritis statuas, arcus, ac titulos honoris gratia ponere. At nulli magis hoc honore digni sunt, quam ii, qui in recte instituendo Principe fidelem ac strenuam navarint operam, nec privatum emolumentum, sed patriæ spectarint utilitatem. Omnia debet patria bono Princi. At hunc ipsum debet ei, qui rectis rationibus talem effecerit.

Non aliud æque idoneum formandi,

statim
forman-

PRIN. CHRISTIANI. 7

mandi , corrigendive Principis <sup>dus Princ
ceps.</sup> tempus , quam cum ipse nondum sese Principem esse intelligit. Hoc igitur erit diligenter occupandum, non solum hactenus ut interim cohibeatur à turpibus , sed etiam ut certis quibusdam virtutum decretis imbuatur.

Si tanta sollicitudine parentes <sup>Ab exem
plo.</sup> non omnino stulti puerū educant unius agelli successioni distinatum , quo tandem studio , curaque educari par est eum , qui non unis ædibus , sed tot populis , tot civitatibus , immo qui orbi instituitur , aut magno omnium commodo futurus vir bonus , aut magno omnium exitio futurus vir malus ?

Magnificum ac præclarum bene gerere imperium. At non minus egregium , efficere ne succedat deterior. Immo hoc vel præci-
<sup>Quomo-
do edu-
candi
Princi-
pum filii.</sup> puum boni Principis munus est , dare operam ne possit esse malus Princeps.

Sic imperato quasi certes in hoc ,

A 4. ne quis

8 INSTITUTIO
ne quis tui similis queat succedere,
at sic interim liberos futuro parant
imperio, tanquam id agas, ut tibi
succedat te melior.

Nulla pulchrior egregii Princi-
pis commendatio, quam si talem
relinquat Reip. ad cuius collatio-
nem ipse parum bonus videatur.
Nec poterat illius gloria verius il-
lustrari, quam sic obscurata.

Fœdissima commendatio est,
quoties deterior succedens facit
ut superior dum viveret intolera-
bilis, iam ut probus ac salutaris
desideretur.

**Patriæ e-
ducandi
qui pa-
triæ nati
sunt.**
Bonus ac sapiens Princeps ita
curet educandos liberos, ut illud
semper meminerit se patriæ geni-
tos, patriæ educare, non suis affe-
ctibus. Privatum parentis affe-
ctum semper publica vincat utili-
tas.

Quantumvis multas erigat sta-
tuas, quantumvis operosas tollat
substructiones, non aliud pul-
chrius virtutum suarum moni-
mentum potest relinquere prin-
ceps,

ceps, quam filium haud quaquam degenerem, qui patrem optimum optimis factis repræsentet. Non moritur, qui vivam sui reliquit imaginem.

Deligat igitur ad hoc muneris ex universo suorum numero, aut etiam adsciscat undecunque viros integros, incorruptos, graves, longo rerum usu, non modo præ-priunculis doctos, quibus & ætas conciliet reverentiam, & vitæ sinceritas auctoritatem, & morum comitas ac iucunditas amorem ac benevolentiam, vel ne instituentium acerbitate offensus tenellus animus, prius incipiat virtutem odisse quam nosse, vel rursus immodica indulgentia formantis corruptus, quo non oportet degeneret.

Cum in omni institutione, tum vero potissimum in Principis ea moderatio est adhibenda, ut præceptoris severitas ætatis premat lasciviam, & nihilominus adiuncta morum comitas leniat,

A 5

con-

10 INSTITUTO
condiatque cohibentis acrimo-
niam.

Annotan-
dum se-
mece di-
ctum.

Eiusmodi debet esse futuri Prin-
cipis institutor, ut (quemadmo-
dum eleganter à Seneca dictum
est,) & obiurgare norit citra con-
tumeliam, & laudare citra adu-
lationem, quem ille simul & re-
vereatur ob vitæ severitatem, &
amet ob morum iucunditatem.

A simili.

Principum nonnulli magna cu-
ra dispiciunt quibus equum insi-
gnem, aut avem, aut canem cu-
randum tradant, nihil autem re-
ferre putant cui filium forman-
dum committant, quem sæpenu-
mero talibus credunt præceptorib-
us, qualibus nemo plebeius
paulo cordatior suos liberos velit
concredere. At quid retulerat fi-
lium genuisse imperio, nisi eun-
dem cures educandum imperio?

Quænn-
trices &
qui col-
lusores
adhiben-
di.

Ne nutricibus quidem quibus-
libet est committendus imperio-
natus, sed integris, & ad id ipsum
præmonitis & edoctis, nec collu-
soribus quibusvis admiscendus,
sed

PRIN. CHRISTIANI. II
sed bonæ verecundæque indolis
pueris, ac liberaliter sancteque
habitibus & institutis. Lascivorum
iuvenum, ebriosorum, turpilo-
quorum, in primis autem adulato-
rum turba procul ab huius auri-
bus, atqne oculis erit arcenda,
dum nondum præceptis confirmata-
tus animus.

Cum pleraque mortalium in-
genia vergant in malum, ad hæc
porro nullum tam feliciter na-
rum ingenium, quod perversa e-
ducatione non corrumpatur, quid
nisi magnum malum expectes ab
eo Principe, qui quocunque na-
tus ingenio (neque enim imagi-
nes, ut regnum, ita mentem quo-
que præstant) statim ab ipsis incu-
nabulis stultissimis inficitur op-
inionibus, enutritur inter stultas
mulierculas, adolescit inter lasci-
vas puellas, inter collusores per-
ditos, inter abiectissimos assenta-
tores, inter scurras & mimos, in-
ter combibones & aleatores, ac
voluptatum architectos iuxta stul-

Corrupta
educatio.

tos, ac nequam, inter quos nihil audit, nihil discit, nihil imbibit, nisi voluptates, delicias, fastum, arrogantiam, avaritiam, iracundiam, tyrannidem, atque ab hac schola mox adhibetur ad regni gubernacula.

Maxime
discenda
regnandi
ars.

Cum cæterarum artium optima quæque sit difficillima, nulla autem neque pulchrior ars, neque difficilior, quam bene regnandi, cur ad hanc unam nullam desideramus institutionem, sed satis esse ducimus natos esse?

Quæso quid exerceant adulti, nisi tyrannidem, qui pueri nihil etiam luserunt, nisi tyrannidem?

Ut omnes boni sint, vix etiam optari potest. At non difficile est ex tot hominum millibus numerum, atque alterum diligere, qui probitate, sapientiaque præcellat, per quos compendio plurimi redundant boni,

Princeps adolescens diu suspicet am habeat suam ipsius ætatem, partim ob rerum imperitiam, partim

PRIN. CHRISTIANI. 13
tim ob immoderatos animi impetus, caveatque ne quid magnaæ rei tentet, nisi prudentium virorum consilio, ut iuventutis impotentia maiorum reverentia tempetur. Quisquis instituendi Principis suscepit provinciam, illud etiam atque etiam secum cogitet, se se rem haud quaquam vulgarem agere, sed omnium ut longe maximam, ita longe pericolosissimam. Et in primis animum adferat eo munere dignum, neque spectet quantum sacerdotiorum illinc possit auferre, sed qua ratione posset patriæ suas spes, illius credenti fidei salutarem principem redere.

Cogita moderator quantum tuæ debeas patriæ, quæ tibi felicitatis suæ summam concredidit. In te situm est utrum illi malis salutare quoddam parare numen, an fatalem pestem, ac luem immittere.

Primum igitur sagaciter animadvertis, cui suum puerum in gremium dedit Resp. quorsum iam cum

tum vergat. Quandoquidem potest hoc quoque in ea ætate notis quibusdam deprehendi num propensior sit ad iracundiam, aut arrogantiam, num ad ambitionem, aut famæ sitim, num ad libidinem, aut aleam, aut pecuniæ studium, num ad vindictam, aut bellum, num ad impotentiam, aut tyrannidem. Deinde qua senserit illum proclivem ad vitium, ea primum muniat animum illius salubribus decretis, ac præceptis accommodis, coneturque sequax adhuc ingenium in diversum habitum trahere. Rursum qua deprehenderit naturam ad honesta proclivem, aut certe ad eiusmodi vitia, quæ facile detorquentur ad virtutem, quod genus sunt fortassis ambitio, & profusio, hac magis instet, & naturæ commoditatem cultu adiuvet.

*Incolean-
da etiam
quæ ho-
nesta
sunt,*

Neque satis est huiusmodi decreta tradere, quæ vel à turpibus avocent, vel invitent ad honesta, infigenda sunt, insulcienda sunt, incul-

PRIN. CHRISTIANI. Is
inculcanda sunt, & alia atque alia
forma renovanda memoriæ, nunc
sententia, nunc fabella, nunc si-
mili, nunc exemplo, nunc apoph-
thegmate, nunc proverbio, in-
sculpenda annulis, appingenda ta-
bulis, ascribenda stemmatis, & si
quid aliud est, quo ætas ea delecta-
tur, ut undique sint obvia, etiam
aliud agenti.

Vehementer inflammant gene-
rosos animos exempla celebrium
virorum, sed multo maxime re-
fert quibus opinionibus imbuan-
tur. Ab his enim fontibus omnis
vitæ ratio proficiscitur. Quod si
rudem puerum erimus nacti, tum
enitendum erit ut statim quam re-
ctissimas ac saluberrimas imbibat,
& veluti pharmacis quibusdam
adversus vulgarium opinionū ve-
nena præmuniatur. Sin obtinget
plebeiis opinionibus nonnihil in-
fectus, tum primam oportebit esse
curam, ut paulatim illis libere-
tur, pro repulsis pestiferis saluta-
res inferendæ. Nam quemadmo-
dum

Optimis
opinioni-
bus im-
buendus
Princeps.

Primum
omnium

et exi- dum apud Senecam Ariston air,
 mere insano frustra præcipi quomodo
 pravas o- piniones loqui debeat, quomodo procede-
 re, quomodo se gerere in publico,
 quomodo in privato, nisi prius
 atram bilem expuleris, ita frustra
 moneas de ratione gerendi prin-
 cipatus, ni prius animum falsissi-
 mis quidem illis, sed tamen rece-
 ptissimis opinionibus vulgi libe-
 rarum.

Nec est quod resiliat, aut diffi-
 dat institutor, si forte ferocius, aut
 intractabilius ingenium fuerit na-
 tus. Cum enim nulla sit tam ef-
 fera, tam immanis bellua, quæ
 non mansuescat cura domitoris
 & industria, cur existimet ullum
 hominis ingenium tam agreste,
 tamque deploratum, quod dili-
 genti non mitescat institutione?
 Rursum non est quod cessandum
 putet, si felicius ingenium conti-
 gerit. Etenim quo melior est soli
 natura, hoc magis corruptitur,
 & inutilibus herbis, ac frutici-
 bus occupatur, ni vigilet agrico-
 la.

la. Itidem ingenium hominis , quo felicius , quo generosius & erectius , hoc pluribus ac tetricioribus obducitur vitiis , ne salubribus præceptis excolatur.

Ea littora solemus diligentissime communire , quæ vehementissimam fluctuum vim excipiunt . Sunt autem innumeræ res , quæ possint Principum animos à recto dimovere . Fortunæ magnitudo , rerum affluentia , luxus , deliciæ , libertas , qua quicquid libet licet , exempla magnorum , sed stultorum Principum , ipsi rerum humanarum æstus ac procellæ , super omnia vero adulatio : fidei ac libertatis fuso persona a. Quo diligentius erit optimis decretis , laudatorum Principum exemplis aduersus hæc præmuniendas.

Quemadmodum non uno supplicio dignus sit , qui fontem publicum , unde bibant omnes , veneno inficiat , ita nocentissimus est , qui Principis animum pravivis infecerit opinionibus , quæ mox

18 INSTITUTIO
mox in tot hominum perniciem
reducent.

statim
inferendæ
bonæ o-
piniones. Si capite plectitur, qui Princi-
pis monetam vitiarit, quanto di-
gnior est eo suppicio, qui Princi-
pis ingenium corruperit?

Mature suum negotium aggrediatur institutor, ut teneris adhuc sensibus semina virtutum instiller, dum procul abest ab omnibus vi-
tiis animus, & in quemvis sequax habitum fингentis obtemperat di-
gitis. Est suæ & sapientiæ infantia, quemadmodum & pietati. Semper idem, sed alias aliter a-
gendum. Iam tum infantulo fabellis amœnis, apologis festivis, lepidis parabolis, insinuet, quæ grandiori sit serio præcepturus.

Quis n-
sus apo-
logorum. Ubi libenter audierit puillus Æsopicum apogum de leone muris beneficio vicissim servato, de columba formicæ opera inco-
lumi, ubi satis arriserit, tum præ-
ceptor adjicet eam fabellam ad Principem attinere, ne quem o-
mnino despiciat, sed infimæ quo-
que

que plebis animos sibi benefactis
studeat adiungere , quod nemo
sit adeo imbecillus , quin & per
occasione prodesse queat ami-
eus , & nocere inimicus , idque
potentissimis etiam.

Ubi satis riserit aquilam avium
reginam à scarabæo vilissimo in-
fecto pene funditus extinctam , il-
lud addat ad huius exemplum , ne
potentissimo quidē Principi quan-
tumvis humilem hostem aut pro-
vocandum , aut negligendum.
Nam sæpen numero ingenio noce-
re , qui viribus non possint.

Ubi Phaëtonis fabulam cum quis u-
sus fabu-
larum.
voluptate didicerit , admoneat
hanc esse Principis imaginem , qui
ætatis calore præceps , sed nulla
adiutus sapientia rerum habenas
caepslit , suo pariter & orbis ma-
lo subvertit omnia.

Ubi Cyclopis ab Ulysse exœcu-
lati denarrata erit fabula , addat ei
Polyphemus simillimum Princi-
pem , qui viribus quidem polleat ,
careat autem sapientia.

Quis

Quis u-
sus simi-
lum.

Quis non libenter auscultet apium & formicarum politiam? Hæc ubi illecebra descenderit in animum puerilem, tum eliciat institutor quod ad Principis pertineat eruditionem, velut illud, quod rex nunquam procul avolat, alis quam pro corporis portione minoribus, quod solus aculeo careat, admonens hoc esse boni Principis, semper intra regni terminos versari, & peculiarem huius laudem esse clementiam. Atque ad eundem modum faciat & in cæteris. Neque enim est huius instituti exempla persequi, sed rationem, ac viam indicare.

Si qua videbantur acerbiora, ea formator orationis iucunditate leniat, atque edulcet. Laudet apud alios, sed honestis ac veris titulis, obiurget privatim, sed ita, ut severitatem admonitionis aliqua leniat suavitate, præsertim si fuerit adultio.

Illud ante omnia, ac penitus infigendum animo Principis, ut de

Christi
decreta
præmissa

de Christo quam optime sentiat, ^{infigen-}
huius dogmata commode colle-
cta protinus combibat, idque ex
ipsis statim fontibus, unde non
solum purius hauriuntur, verum
etiam efficacius. Hoc illi persua-
deatur, quod ille docuit, ad ne-
minem magis pertinere, quam ad
Principem.

Magna pars multitudinis falsis
ducitur opinionibus, nec secus at-
que hi, qui in specu Platonico vin-
eti desident, inanes rerum umbras
pro veris rebus admirantur. At
boni Principis partes sunt, nihil
horum mirari, quæ vulgus homi-
num magni facit, sed omnia veris
malis, ac veris bonis metiri. Nihil
autem esse vere malum, nisi quod
cum turpitudine coniunctum sit,
nihil vere bonum, nisi quod cum
honestate copulatum,

Nihil bo-
num præ-
ter unam
virtutem.

Statim igitur hoc agat modera-
tor, ut virtutum ceu rem omnium
pulcherrimam ac felicissimam, &
præcipue Principe dignam amer,
ac suspiciat. Turpitudinem ceu
rem

22 INSTITUTO
rem fœdissimam, ac miserrimam
execretur, horreatque.

*Qui veri
honores.* Ne consuescat puer ille regno
destinatus suspicere divitias ut
rem eximiam, per fas & nefas ex-
petendam, discat istos non esse ve-
ros honores, qui vulgo vocentur.
Verum honorem decus esse, quod
virtutem, & recte facta suapte
sponte consequatur, & tanto con-
sequatur illustrius, quanto minus
fuerit affectatum.

*Quae ve-
re volu-
ptates.* Voluptates istas plebeias adeo
non esse dignas Principe, & Chri-
stiano Principe, ut vix homi-
nem deceant. Ostendatur aliud
esse voluptatis genus, quod syn-
cerum, ac perpetuum in omnem
usque vitam homini duret.

*Vera no-
bilitas.* Audiat nobilitatem, imagines,
ceras, stemmata, & totum illam
caduceatorum pompam, qua pro-
cerum vulgus muliebiter intume-
scit, nomina esse inania, nisi quic-
quid est hoc nominis, ab honesto
fuerit profectum.

*Vera ma-
lestia.* Principis dignitatem, amplitu-
dinem,

dinem, maiestatem, non fortunæ strepitum, sed sapientia, integritate, recte factis, parandam, & tuerendam esse.

Mortem non esse formidandam, nec in aliis deplorandam, nisi fuerit turpis. Non enim esse feliciorem, qui diutius vixerit, sed qui honestius. Recte factis, non annis metiendam longævitatem. Neque quicquam ad hominis felicitatem interesse quam diu vivat, sed quam bene.

Virtutem ipsam abunde magnum sui præmium esse. Boni Principis esse munus vel sua morte, si fors ita res tulerit, populi commodis consulere. Nec perire Principem, qui huiusmodi immoriatur negotio. Denique quæcunque vulgus vel amplectitur tanquam iucunda, vel suspicit tanquam splendida, vel sequitur tanquam utilia, sola honesti regula esse metienda. Contra, quæcunque vulgus vel horret ut acerba, vel fastidit ut humilia, vel fugit

Propter
seipsa
expetenda
da ho-
nesta.

git ut damuosa, non aliter esse fugienda, nisi si fuerint cum dedgecore coniuncta.

Hæc infigantur animo Princis futuri, hæc ceu leges sanctissimæ, καὶ ἀκίνητοι tenello pectusculo insculpantur. His titulis audiat laudari multos, audiat alias diversis reprehendi, ut iam tum affuescat ex optimis rebus veram sperare laudem, & ex vere turpibus ignominiam detestari.

At hic protinus reclamabit ex aulicis istis nugonibus quispiam quavis muliere tum stultior, tum corruptior. Tu philosophum nobis formas, non Principem. Immo Principem fingo, cum tu pro Principe vappam malis tui similem. Ni philosophus fueris, Princeps esse non potes, tyrannus potes. Principe bono nihil est melius, tyrannus eiusmodi belua est, ut non sit aliud sub sole portentum neque noxiūm æque, neque magis inviſum omnibus.

Ne putaris temere dictum à
Plato-

Platone, & à laudatissimis laudatum viris, ita demum beatam fore Remp. si aut philosophentur Principes, aut philosophi capessant principatum. Porro philosophus est, non qui dialecticen, aue physicen calleat, sed qui contemptis falsis rerum simulachris infracto pectore vera bona & perspicit, & sequitur. Vocabulis diversum est, cæterum re idem, esse philosophum, & esse Christianum.

Quid stultius, quam his artibus metiri Principem? si belle saltiter, si dextre ludat alea, si gnaviter potitet, si fastu turgeat, si regaliter expiler populum, si cætera faciat, quæ nos pudet referre, cum quosdam haud pudeat facere.

Quantopere Principum vulgus studet abesse à cultu, victuque plebeio, tantopere verus Princeps debet abesse à sordidis opinionibus, ac studiis vulgi. immo solum hoc sordidum, vile, seque-

B indi-

*Quid vere di-
gnum
Principie.*

*Excel-
lentia
Principis
in quibus
sita.*

indignum ducat , cum plebecula sentire , cui nunquam optima placuerunt.

Cogita quæso quam sit absurdum gemmis , auro , purpura , satellitio , reliquisque corporis ornamentiis , ceris , & imaginibus , planeque bonis non tuis omneis tanto intervallo superare , veris animi bonis multis è media fece plebis inferiorem conspici .

**Exem-
plum in
Principe.** Princeps , qui gemmas , aurum , purpuram , ac reliquam fortunæ pompam civibus suis ostentat , quæso quid aliud , quam suos id suspicere , mirarique docet , unde omnium ferme maleficiorum sentina nascitur , quæ Principum legibus puniuntur ?

In aliis frugalitas , aut mundicie vel inopiæ tribui potest , vel parsimoniæ , si quis iniquius interpretetur . At eadem in principe nihil aliud esse potest , quam temperantiæ documentum , cum is rebus modice utitur , cui quantum libet , tantum suppetit .

.. Qui

Qui convenit eundem irritare
vitia, qui punit admissa? & non-
ne turpissimum sit, si quis ea sibi
permittat, quæ vetet ab aliis fieri?

Si te voles excellentem Princi-
pem ostendere, vide ne quis te
propriis supereret bonis, sapientia, a-
nimi magnitudine, temperantia,
integritate. Sin tibi visum erit
cum aliis certare Principibus, non
ita te superiorem existimes, si
quam illis ditionis partem ade-
meris, aut copias fuderis, sed si
fueris quam illi sunt, incorruptior,
minus avarus, si minus arrogans,
quam illi, si minus iracundus, si
minus præceps, quam illi.

Principem summa decet nobi- Tria no-
litas. Esto. verum cum tria sint bilitatis genera.
nobilitatis genera, unum, quod
ex virtute, recteque factis nascitur,
proximum, quod ex honestissi-
marum disciplinarum cognitione
proficiscitur, tertium, quod nata-
lium picturis, & maiorum stem-
matis æstimatur, aut opibus, co-
gita quam non conveniat Princi-

pem infimo genere nobilitatis intumescere , quod sic infimum est, ut nullum omnino sit, nisi & ipsum à virtute fuerit profectum ; summum illud negligere , quod ita summum est , ut solum optimo iure possit haberi. Si clarus videri studes , ne ostentes sculptas , aut coloribus adumbratas imagines; in quibus siquid verè laudis est, id pictori deberur, cuius ingenium, & industriam arguunt. Quin potius virtutis monumenta moribus exprimito.

Insignia
Princi-
pam.

Si cætera desint , vel ipsa tuæ celsitudinis ornamenta monere te possunt officii. Quid sibi vult unitio , nisi summam in Principe lenitatem, ac mansuetudinem? quod fere magnæ potentiae comes esse soleat crudelitas. Quid aurum indicat , nisi singularem sapientiam? Quid gemmarum fulgor, nisi virtutes eximias , minimeque plebeias ? Quid ardens purpura , nisi summam erga Rempub. charitatem ? Quid sceptrum , nisi tenacem

PRIN. CHRISTIANI. 29
cem iustitiae animum , & nullis
avocamentis à recto deflectentem?
Cæterum ab hisce rebus si quis lon-
gissime absit , ei non ornamenta
sunt hæc symbola , sed vitiorum
exprobramenta.

Si torques , si sceptrum , si pur-
pura , si satellitium regem faciunt,
quid tandem vetat pro regibus
haberi tragœdiarum histriones ,
qui iisdem ornati prodeunt in sce-
nam ? Vis scire quid Principem ab
histrione secernit? nempe animus
Principe dignus , hoc est in Rem-
pub. paternus. Hac lege populus
in tua iuravit verba.

Diadema , sceptrum , trabea ,
torques , baltheus , in bono Prin-
cipe virtutum aut insignia sunt ,
aut symbola , in malo vitiorum
notæ.

Quo turpius est , hoc magis
erit cavendum ne talis sit Princeps ,
quales olim fuisse permultos legi-
mus , & utinam hodie nulos vi-
dere sit , quibus si regum detraxe-
ris ornatum , & adventitiis nuda-

Animus
Princi-
pem facit.
non cul-
tus.

30 INSTITUTIO
tos bonis ad suam cutem redege-
ris, iam nihil relinquas, præter
egregium aleatorem, invictum
potorem, acreni expugnatores,
pudicitiae, vaferrium imposto-
rem, insatiabilem expilatorem,
periuriis, sacrilegiis, perfidiis, o-
mniue facinorum genere coo-
pertum hominem.

Quoties venit in mentem te
Principem esse, pariter succurrat
& illud, te Christianum esse prin-
cipem, ut intelligas te à laudatis
quoque gentilium Principibus
tantum oportere abesse, quantum
abest ab ethnico Christianus.

Magna Christia-
norum o-
mnium
professio. Neque vero putas securam, aut
delicatam Christiani professio-
nem, nisi forte leve putas sacra-
mentum, quod æque cum omni-
bus in baptismo iurasti, semel o-
mnibus renuntiare, quæ satanæ
placent, & Christo displicant.
Displicant autem quæcunque ab
euangelicis decretis abhorrent.

Sacramenta Christi tibi cum
aliis communia sunt, & doctri-
nam

nam non vis esse communem? In Christi verba iurasti , & in Iulii aut Alexandri magni mores digredieris? præmium tibi postulas esse commune, & illius decreta nihil ad te pertinere putas?

At rursum ne putaris Christum situm esse in ceremoniis, hoc est in præceptis duntaxat utcunque servatis, & ecclesiæ constitutionibus. Christianus est, non qui latus est, non qui unctus, non qui sacris adest, sed Christum intimis complectitur affectibus, ac piis factis exprimit,

Cave ne quando sic tecum cogites: cur ista mihi canuntur? non sum privatus, non sum sacerdos, non sum monachus, sed illud cogita : Christianus sum & Princeps. Christiani est ab omni turpitudine prorsus abhorrere. Principis est integritate, prudentia que cæteros antecellere.

Si hoc à tuis exiges, uti leges tuas cognoscant, & cognitas servent, multo magis à teipso debes

B 4 exigere,

Quis ve-
re Chri-
stianus.

exigere, ut Christi imperatoris tui
leges ediscas, & observes. Si iu-
dicas infame crimen, & cui nul-
lum supplicium par inveniri possit,
ab Imperatore desciscere, qui se-
mel in illius verba iurarit, cur ipse
tibi ignoscis, lusum ac iocum exi-
stimus quoties edicta Christi ne-
gligis, in cuius verba iuratum est
in baptismo? cui nomen dedisti?
cuius sacramentis adactus es, &
auctoratus?

Si haec serio fiunt, cur pro ludo
ducimus? si ludus est, cur Christi
titulo gloriamur? Mors æqua est
omnibus, mendicis iuxta ac regi-
bus; at post mortem iudicium
haud æquum est omnibus, in quo
cum nullis severius agetur, quam
cum potentibus.

Ne putaris te Christum satis
tibi demeritum, si classem mi-
seris in Turcas, si facellum, aut
monasteriolum extruxeris. Non
alio officio potes magis tibi con-
ciliare Deum, quam si populo salu-
tarem praestes Principem.

Cave

Cave ne te fallant adulantium
 voices, qui ita dictitant: huiusmo-
 di præcepta non ad principes, sed
 ad ecclesiasticos, quos vocant,
 pertinere. Princeps non est sa-
 cerdos, fateor, & ideo non con-
 secrat corpus Christi. non est Epi-
 scopus, ac proinde non conciona-
 tur apud populum de Christi my-
 steriis, nec administrat sacra-
 menta. Non est professus institutum
 divi Benedicti, & ob id non ge-
 stat cucullam. Verum quod his
 omnibus maius est, Christianus
 est. Non Francisci, sed ipsius
 Christi institutum professus est, ab
 hoc candidam accepit vestem.
 Cum cæteris Christianis certet o-
 portet, si cum cæteris tanta spe-
 rat præmia. Aut tua crux tibi quo-
 que tollenda est, aut non agnoscet
 te Christus. Quæ tandem mea
 crux? inquires. Dicam. dum quod
 rectum est, sequeris, dum nemini
 vim facis, neminem expilas, nul-
 lum vendis magistratum, nullo
 munere corrumperis, nimisrum

minus habebit tuus fiscus , con-
temne fisci detrimentum , dum
modo lucrum facias iustitiae. Ad
hæc , dum modis omnibus Rei-
pub. consulere studes , sollicitam
agis vitam , fraudas ætatem ac ge-
nium tuum voluptatibus , maceras
te vigiliis ac laboribus , neglige,
& oblecta te conscientia recti. I-
tem , dum ferre mavis iniuriam ,
quam magno Reipub. detimento
ulcisci , fortasse decedit nonnihil
imperio tuo. Feras , illud abunde
magnum lucrum esse dicens ,
quod paucioribus nocueris. Sol-
licitant animum tuum privati af-
fectus , quod genus ira contume-
liis commota , aut uxoris amor ,
aut inimici odium , aut pudor , ut
facias quod abhorret à recto , &
quod ex usu Reipub. non sit , vin-
cat utilitas publica privatos ani-
mi motus. Denique non potes
tueri regnum , nisi violata iustitia ,
nisi magna sanguinis humani ia-
ctura , nisi religionis ingenti di-
spendio , depone potius , ac cede

tem-

tempori. Non potes succurrere rebus tuorum, nisi vita tua periculo, publicam salutem antepone vita. At dum haec agis, quae vere Principis sunt Christiani, erunt fortassis qui te stupidum dicant, parumque principem, obfirma animum, ut malis esse vir iustus, quam Princeps iniustus. Vides opinor, quam nec regibus suminis desit sua crux, si, quod oportet, ubique rectum sequi velint.

In aliis non nihil conceditur adolescentiae, aliquid donatur senectuti, error illi, huic otium, & cessatio.

At qui principis munus suscepit, quandoquidem omnium agit negotium, nec adolescentem esse licet, nec senem, propterea quod non nisi magno plurimorum malo errat, nec sine gravissima pernicie cessat in officio. Miseram prudentiam dixerunt veteres, quae rerum experimentis comparatur, propterea quod hanc suo quisque malo consequitur. Hanc igitur

Principi
erranti
non da-
tur ve-
nia.

B 6 oportet

oportet quam longissime abesse à Principe, quæ ut servis, ita non sine immensis totius populi malis contingit.

Non pu-
tarā.

Si recte dixit Aphricanus indi-
gnam viro sapiente vocem esse,
Non putaram; quanto magis indi-
gna videbitur Principe, quæ cum
ipſi magno, tum nimio constat
Reip. Semel fortasse temere sus-
cepturn bellum à iuvene belli im-
perito durat in annum vigesimum.
Quantum hinc malorum omnium
mare? Tandem resipiscens ni-
mum sero dicit: Non putarā. Se-
mel ad privatos affectus, aut ad
preces aliquorum corruptos insti-
tuit magistratus, qui totam Reip.
disciplinam subvertunt. Sentit
tandem, & non putaram inquit.
At ista prudentia nimio emetur
patriæ, si tanti cætera omnia e-
runt emenda.

Proinde principis animus ante
omnia decretis, ac sententiis erit
instruendus, ut ratione sapiat,
non usu.

Porro

Porro rerum experientiam,
quam ætas negavit, seniorum
consilia supplebunt.

Ne tibi putas licere quicquid
libuerit, quod stultæ mulierculæ,
& adulatores solent principibus
occinere; verum ita temetipsum
instituas, ut non libeat nisi quod
licet, immo nec hoc tibi licere
credas, quod licet privatis. Quod
in aliis error est, in Principe fla-
gitium est.

Quo tibi plus licet per alios,
hoc minus ipse tibi permittas o-
portet, & hoc in te ipsum sis seve-
rior, quo magis indulgent omnes,
ipse tibi sis censor acerrimus, et
iam cum applauferint omnes.

Tua in conspicuo vita est, la-
tere non potes, aut magno o-
mnium bono bonus sis necesse est,
aut magna omnium pernicie ma-
lus.

Quo plus honorum tibi defer-
tur ab omnibus, hoc impensius
operam da ne deferantur indigno.
Ut nullus par meritis honos, aut
gratia

gratia rependi potest bono Princi-
pi, ita contra malo nullum satis
meritis dignum supplicium.

Ut nihil est in rebus humanis sa-
piente, bonoque monarca ma-
gis salutare, ita è diverso, stulto,
maloque nihil potest existere pe-
stilentius.

Nullius pestilentiae neque ci-
tius corripit, neque latius serpit
contagium, quam mali Principis.
Contra, non alia brevior aut effi-
caciор ad corrigendos populi mo-
res via, quam Principis incorru-
pta vita.

Vulgus nihil imitatur libentius,
quam quod à suo Principe fieri
conspexerit. Sub aleatore passim
luditur alea, sub bellaci bellatu-
riunt omnes, sub comessatore lu-
xu diffluunt, sub libidinoso leno-
cinantur, sub crudeli deferunt, &
calumniantur. Evolve veterum
historias, reperies semper eiusmo-
di fuisse sæculi mores, cuiusmodi
fuerat Principis vita.

Nullus cometes, nulla vis fa-
tal is

P R I N . C H R I S T I A N I . 39
talis sic afficit res mortalium , ut
vita Principis rapit ac transfor-
mat mores , & animos civium.

Plurimum ad id habent momen-
ti studia , moresque sacerdotum ;
& episcoporum (fateor) sed multo
magis Principum : nam illos ci-
tius calumniantur homines , si for-
te mali fuerint , quam imitantur ,
si boni sint.

Principis
exem-
plum ef-
ficacissi-
mum.

Quemadmodum monachi non
admodum incitant ad imitatio-
nem sui , si pii sint , quod id modo
præstare videantur , quod profi-
tentur , cæterum si impii , vehe-
menter offendunt omnium ani-
mos. Ad Principis autem æmu-
lationem nemo non exstimulatur.

Princeps vel ob hoc ipsum ca-
vere debet ne malus sit , ne tam
multos exemplo suo reddat ma-
lus. Et vel ob hoc studebit esse
bonus , quo tam multos efficiat
meliores.

Bonus
Princeps
Dei ima-
gine

50.

Princeps salutaris (ut erudite
dictum est à Plutarcho) vivum
quoddam est Dei simulacrum , qui
simul

simul & optimus est, & potentissimus, cui bonitas hoc præstat, ut omnibus prodesse velit, potentia, ut quibus velit, possit quoque,

E diverso malus, ac pestileus princeps mali dæmonis imaginem repræsentat, cui multum ad sit potentiae cum summa malitia coniunctum. Quicquid habet virium, id omne consumit ad calamitatem humani generis. An non huiusmodi quidam orbis malus genius fuit Nero? an non Caligula? an non Heliogabalus? quorum non solum omnis vita pestis quedam mundi fuit, sed ipsa etiam memoria publicæ mortalium execrationi est obnoxia.

Attu, qui Christianus etiam es Princeps, cum audis aut legis te Dei simulacrum esse, te Dei vicarium esse, cave nequid hinc intumescas animo, quin potius ea res te magis sollicitum reddat, ut respondreas archetypo tuo, pulcherrimo quidem illi, sed quod assequi difficultimum, non assequiturpissimum.

Theo-

Theologia Christianorum tria
præcipua quædam in Deo ponit,
summam potentiam, summam
sapientiam, summam bonitatem.
Hunc ternarium pro viribus ab-
solvas oportet. nam potentia si-
ne bonitate mera tyrannis est, sine
sapientia pernicies, non regnum.
Primum igitur des operam, ut
quandoquidem potentiam fortu-
na dedit, quam maximam sapien-
tiæ vim tibi compares, ut unus o-
mnium optime quid expetendum,
quidve fugiendum sit, perspicias:
deinde ut quam maxime prodesse
studeas omnibus. nam id est bo-
nitatis.

Potestas autem ad hoc potissi-
mum tibi serviat, ut quantum cu-
pis prodesse, tantundem & possis,
immo plus velis quam possis. Por-
ro nocere hoc minus velis, quo
magis potes.

Deus amatur à bonis omnibus,
non timetur, nisi à malis, hoc dun-
taxat genere timoris, quo quis ti-
met, ne sibi noceatur. Ita bonus
princeps

Tria in
Principe
quemad-
modum
modum
in Deo.

Princeps
bonis a-
mabilis.

princeps nulli debet esse formidabilis , nisi fontibus ac scelerosis , at ita rursus , ut his quoque spes veniae reliqua fiat , si modo fuerint sanabiles . Ex adverso , Cacodæmon amatur à nemine , formidatur ab omnibus , præcipue bonis : nam malis cum illo convenit . Ita tyrannus optimis quibusque maxime est invisus , & nullus est ab hoc minus alienus , quam qui pes simus est .

Perspexisse videtur hæc divus ille Dionysius , qui treis fecit hierarchias , ut quod Deus est inter cœlum ordines , id Episcopus sit in Ecclesia , id Princeps in Repub . illo nihil melius , & ab eo , velut à fonte manat in alios quicquid boni possidet . Vehementer igitur absurdum videatur , si ab eo maxima Reip . malorum pars oriatur , ubi fontem bonorum oportebat esse .

Summa
spes con-
silii in
Principe. Populus suapte natura tumultuatur , magistratus facile corrum pit , aut avaritia , aut ambitio . Una superest , veluti sacra anchora , incor-

incorruptus Principis animus ,
quod si is quoque stultis opinio-
nibus , pravis affectibus viciatus
est , quæ tandem potest esse Reip.
spes ?

Deus , cum sit in omnia benefi-
cus , ipse nec eger ullius officio ,
nec requirit beneficium . Ita vere
magni principis est , & æterni
Principis imaginem referentis , vel
gratis bene mereri de omnibus ,
nullo vel emolumenti vel gloriæ
respectu .

*Collatio
Dei &
Principis
boni.*

Deus , ut pulcherrimum sui si-
mulacrum in cœlo constituit in
solem , ita inter homines eviden-
tem , ac vivam sui collocavit ima-
ginem regem . At sole nihil com-
munius , ac cæteris item corpori-
bus cœlestibus lucem suam im-
partit , ita Princeps publicis usi-
bus maxime debet esse expositus ,
& nativum sapientiæ lumen habe-
re domi , ut etiam siquid cæcu-
tiant cæteri , nunquam tamen il-
le hallucinetur .

Deus , cum nullis tangatur af-
fecti-

fectibus, tamen optime mundum administrat iudicio. Ad huius exemplum princeps in omnibus, que gerit, exclusis animi motibus rationem, & animi iudicium debet adhibere. Deonihil sublimius: ita principem oportet ab humilibus vulgi curis, ac sordidis affectibus quam longissime semotum esse.

Annotan-
dum. Ut Deum omnia moderantem nemo tamen cernit, sed sentit, idque beneficio adiutus: ita patria non sentiat principis vires, nisi cum illius sapientia, bonitateque sublevatur. Contra tyraanni nusquam sentiuntur, nisi omniū malo.

Longa-
nimitas. Sol cum altissime provectus est in Zodiaco, tum tardissimi motus est: ita quo fortuna te subvexerit altius, hoc oportet animo leniori, minusque feroci esse.

Vera ma-
gnanimi-
tas. In hoc præstanta est vera animi celsitudo, non ut nihil contumeliae pati possis, non ut neminem feras te regnare latius, sed ut digneris quicquam admittere principe indignum.

Cum

Cum omnis servitus & misera
est & fœda, tum vero fœdissimum
simul & miserrimum servitutis ge-
nus servire vitiis, aut sordidis af-
fectibus.

*Quid quæso turpius aut abie-
ctius, quam libidini, iracundiæ, a-
varitiæ, ambitioni, aliisque id ge-
nus insolentissimis dominis ser-
vire eum, qui sibi vindicat impe-
rium in homines liberos?*

Quam absurdum sit cum apud ^{Codrus,}
ethnicos fuisse constet, qui ma- ^{& Othe.}
luerunt sibi necem consciscere,
quam cum humani sanguinis ia-
ctura tueri imperium, quique Rei-
pub. commoditatem anteposue-
rint suæ vitæ, Christianum Princi-
pem tanta Reipub. pernicie vo-
luptatibus, aut affectibus vitiosis
consulere?

Cum principatum suscipis, ne
cogita quantum accipias honoris,
sed quantum oneris ac sollicitudi-
nis: neque censum ac vectigalium
modū expende, sed curam, nec ar-
bitreris tibi prædam obtigisse, sed
administrationem. Nul-

Nova
Platonis
senten-
tia.

Nullus imperio gerendo cen-
setur idoneus auctore Platone, nisi
qui coactus & invitus suscipit im-
perium. Quisquis enim affectat
principis munus, is aut stultus sit
necessere est, qui non intelligat quam
sollicita, quamque periculosa res
sit recte fungi regis officio, aut a-
deo vir malus, ut in animo habeat
sibi gerere imperium, non Reipub.
aut adeo socors, ut non expendat
onus, quod suscipit. Oportet au-
tem hunc, qui sit idoneus regno,
simul & diligentem esse, & bo-
num, & sapientem.

Quoditionem suscipis amplio-
rem, caye ne hoc tibi videare for-
tunatior, sed memineriste hoc plus
curarum, ac sollicitudinum in hu-
meros recipere, ut minus iam in-
dulgendum sit otio, minus dan-
dum voluptatibus. Ii demum
Principis titulo digni sunt, non
qui Rempub. sibi, sed se Reip. di-
cant. Etenim qui sibi gerit impe-
rium, & omnia suis metitur com-
modis, is, non refert quibus or-
netur

netur titulis, certe re tyrannus est, non Princeps. Ut autem nulla pulchior appellatio quam Principis, ita nulla invisiō, & omnium sensibus execratiō quam tyranni.

Hoc interest inter Principem ac tyrannum, quod inter propitiū patrem, & immitem dominū. Ille cupit etiam vitam liberiis suis impendere, hic nihil aliud spectat, quam suum emolumen-tum, aut animo suo morem gerit, non suorum commodis consulit.

Neque tuo sit animo satis si Rex, aut Princeps dicaris, possederunt hos titulos & orbis pestes Phalaris, ac Dionysius, sed apud tuum ipsius animum expendito quid sit. Vere siquidem à Seneca dictum est tyrannum à rege distare factis, non nomine.

Id ut compendio dicam, hac nota principem à tyranno distinguit in Politicis Aristoteles, quod hic suis studet commodis, ille Reip. Princeps quacunque de re deliberans illud semper in animo spectat,

Quomo-
do tyran-
num à
rege di-
stinxerit.
Aristote-
les.

spectat, num expedit universis ci-
vibus. Tyrannus illud considerat,
an sibi conduceat. Princeps etiam
suum agens negotium, tamen po-
tissimum suorum spectat utilita-
tem.

Contra tyrannus si quando be-
nemeretur de civibus, tamen hoc
ipsum ad privatam suam refert u-
tilitatem.

Qui suos eatenus curant, qua-
tenus expedit propriis commodi-
ditatibus, ii non alio loco cives
suos habent, quam vulgus homi-
num equos, & asinos. Nam hos
quoque curant illi, sed omnem
curationem suis, non illorum usi-
bus metiuntur. Cæterum qui ra-
pacitate deglubunt populum, aut
crudelitate laniant, aut ob ambi-
tionem suam periculis omnibus
obiiciunt, ii peiore loco cives
habent liberos, quam vulgus em-
pta iumenta, aut lanistæ sua man-
cipia.

Qui no-
biles ty-
rannide, Curabit igitur qui Principem
instituit, nominum etiam ipso-
rum

rum odium instillare futuro
Principi, tyrannidis ac dominii,
frequenter execrans humano ge-
neri detestata vocabula, Phalari-
dis, Mæzentii, Dionysii Syracu-
sani, Neronis, Caligulæ, Domi-
tii, qui Deus ac dominus dici vo-
luerit.

Contra si qua sunt exempla bo-
norum principum, qui vehemen-
ter absint ab imagine tyranni, ea
cum favore & laude crebro stu-
deat proponere. Deinde utrius-
que velut imaginem quandam
depingat, & quoad poterit, oculis
animoque repræsentet regis ac ty-
ranni, ut ad illam magis inflam-
metur, ab hac vehementius ab-
horreat.

Deliniet igitur cœleste quod-
dam animal, numini quam homi-
ni similius, omnibus virtutum
numeris absolutum, omnium bo-
no natum, immo datum à superis
sublevandis rebus mortalium,
quod omnibus prospiciat, omni-
bus consulat, cui nihil sit anti-

Pictura
boni
Princ.
pis.

C quius,

50 INSTITUTIO
qui⁹, nihil dulcius Repub. cui
plusquam paternus sit in omneis
animus, cui singulorum vita ca-
rior sit quam sua, quod nocteis
ac dies nihil aliud agat, nitaturque,
quam ut optime sit omnibus, apud
quem præmia parata sint bonis o-
mnibus, malis venia, si modo se-
se ad frugem meliorem referant,
quod adeo gratis cupiat de civibus
suis benemereri, ut si necesse sit,
non dubitet suo periculo illorum
incolumitati consulere, quod pa-
triæ commodum suum ducat esse
lucrum, quod semper vigiler, quo
cæteris liceat altum dormire,
quod sibi nullum relinquat otium,
quo patriæ liceat in otio vitam a-
gere, quod se iugibus curis discru-
ciet, quo civibus suppetat tran-
quillitas. A cuius unius virtute
publica pendeat felicitas. Et hanc
admoneat esse veri Principis ima-
ginem.

piatura
mali
Principis. Ex adverso subjiciat oculis im-
manem quandam ac terram be-
luam è dracone, lupo, leone, vi-
pera,

PRIN. CHRISTIANI. 51
pera, urso, similibusque conflata
tam portentis, undique sexcentis
armatam oculis, undique dentata
tam, undique metuendam adunc
cis unguibus, ventre insatiabili,
humanis saginatam visceribus, hu
mano sanguine temulentam, quæ
pervigil omnium fortunis vitæ
que immineat, infensam omni
bus, sed præcipue bonis, fatale
quoddam totius orbis malum,
quam execrentur & oderint uni
versi, qui bene velint Reip. quæ
nec ferri possit ob immanitatem,
nec tolli sine magna orbis ruina,
ob præsidiis & opibus armatam
malitiam. Et hanc esse tyranni
imaginem, aut si quid hac quo
que fingi possit odiosius.

Huiusmodi portentum erat
Claudius, huiusmodi Caligula,
huiusmodi Poetarum quoque fa
bulæ fingunt Busyridem, Pen
theum, ac Midam, quorum no
mina iam in publicum generis hu
mani odium abidere.

Tyranno propositum est sequi
C 2 quic-

Differen-
tia regis,
ac tyran-
ni.

quicquid animo collibuit. Regi contra, quod rectum sit, & honestum. tyranni præmium divitiæ, regis honos, qui virtutem consequitur. tyrannus administrat metu, dolo, ac malis artibus, Rex sapientia, integritate, beneficentia. tyrannus sibi gerit imperium, Rex Reip. tyrannus barbarico satellitio, & conductitiis latronibus tuetur incolumentatem suam, Rex se sua erga cives beneficentia, & civium erga se benevolentia satis tutum putat. Tyranno suspecti sunt & invisi, quicunque civium virtute, prudentia, aut auctoritate pollent. At hos rex ut adiutores, & amicos potissimum amplectitur. Tyrannus aut stupidis delectatur, quibus imponat, aut sceleratis, quibus ad suæ tyrannidis præsidium abutatur, aut adulatoribus, à quibus audiat, quod libenter facit. Contra regi sapientissimus quisque gratissimus est, cuius consilio possit iuvari. quo quisque melior est vir, hoc pluris facit,

facit, quod huius fidei tuto possit credere: & liberos amat amicos, quorum consuetudine reddatur melior. Et regum, & tyrannorum multæ sunt manus, multi oculi, sed longe diversa membra. Tyrannus hoc agit, ut civium opes ad paucos, eosque pessimos conferantur, & attenuatis suorum viribus, suam communiat potentiam. Rex hoc maxime in suo fisco esse dicit, quod in ære sit civium. Tyrannus hoc agit, ut omnes sibi legibus, aut delationibus habeat obnoxios, Rex libertate civium delectatut. Tyrannus metui studet, rex amari. Tyrannus nihil æque suspectum habet, atque civium bonorum, & civitatum concordiam, qua præcipue gaudent boni principes. Tyrannus gaudet inter cives factiones ac dissidia serrere, & simultates forte fortuna obortas diligenter alit, ac provehit, atque his rebus ad suæ tyrannidis communionem abutitur. At hoc unicum regi studium est,

C 3 civium

civium concordiam alere, & si-
quid ortum fuerit dissensionis,
continuo rem inter eos compone-
re, nimirum intelligens hanc esse
gravissimam rerum publicarum
pestem.

Tyrannus si senserit florere Rep.
repertis titulis, aut immisis et-
iam hostibus, bellum excitat, ut
hac occasione vires suorum atte-
nuet. Contra rex omnia facit ac-
patitur, quo pacem publicam red-
dat perpetuam, intelligens ex bel-
lo semel omnia Reipub. mala pro-
ficiisci. Tyrannus leges, consti-
tutiones, edicta, fœdera, denique
sacra, prophanaq; ad sui capitis tu-
telam aut instituit, aut pertrahit.
Rex haec omnia publico metitur
bono.

Huiusmodi plurimæ sunt ty-
ranni vel notæ, vel artes, quas A-
ristoteles in libris Politicis fusius
exequitur. Verum harum omnium
summam in tria contrahit. Pri-
mum, ne velint, aut ausint cives
adversus tyrannidem insurgere.

Proxi-

Proximum, ne sibi inter se fidant. Tertium, nequid possint novarum rerum moliri. Primum efficit, dum modis omnibus agit ut civibus quam minimum sit animi, minimumque sapientiae, dum eos serviliter habet, & aut sordidis addictos officiis, aut delationibus obnoxios, aut voluptatibus effeminatos. Scit enim generosos & erectos animos indigne ferre tyrannidem. Secundum efficit, cum agit ut cives inter se dissideant mutuis odiis, & alius alium deferat, ipse interim suorum malo potentior. Tertium assequitur, dum opes, & auctoritatem suorum, & maxime bonorum viorum modis omnibus attenuat, quod nemo sanus aggredi velit, quod desperet posse confici.

Ab his omnibus studiis princeps quam longissime absit oportet, immo prorsus *en diametrou*, quod dici solet, dissideat, praefertim princeps Christianus. Etenim si talem pinxit Aristoteles

56 INSTITUTIO
primum ethnicus, deinde philosophus, inter illos quoque non perinde sanctus ac doctus, quanto magis id prestare oportet eum, qui Christi fungatur vice?

Quin ex ipsis mutis animantibus regis ac tyranni simulachrum colligere licet. Apum regi amplissimum cubile est. sed id in medio, veluti tutissimo regi loco.

Atque ipse quidem onere vacat, verum exactor est alienorum operum. Hoc amisso totum examen dilabitur. Præterea insignis regi forma est, dissimilisque cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Sed hac, ut inquit Seneca, nota potissimum à cæteris distinguitur, quod cum apibus plurimum sit iracundia, adeo ut aculeos in vulnere relinquant, solus ipse rex aculeo caret. Noluit illum natura nec sævum esse, nec ultionem magno constataram petere, telumque detraxit, & iram eius infermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens est. Iam si
tyranni

tyranni quæris imaginem , leo-
nem , ursum , lupum , aut aqui-
lam cogita , quæ laniatu vivunt , ac
præda , ut quoniam intelligunt
sese omnium odiis obnoxia , o-
mnium insidiis peti , præruptis
locis se continent , aut specubus
& solitudinibus abdunt sese . Nisi
quod horū quoq; sævitiam superat
tyrannus . Dracones , pardi , leo-
nes , cæteraque immanitatis da-
mnata criminè animantia , à suo
genere temperant , & tuta est inter
feras similitudo morum . At tyran-
nus homo in homines , civis in ci-
ves potissimum feritatem suam
exercet .

Tyranni
feris im-
mitie.
res.

Ex libro
Regum
primo.

Quinetiam in literis divinis
Deus tyranni simulachrum depin-
xit his verbis . Hoc erit ius regis ,
qui imperaturus est vobis , filios
vestros toller , & ponet in curri-
bus suis , facietque sibi equites , &
præcursorum quadrigarum suarum ,
ut constituat sibi tribunos , & cen-
turiones , & aratores agrorum
suorum , & messores segetum , &

C 5 fabres

INSTITUTIO
fabros armorum & curuum suo-
rum. Filias quoque vestras faciet
sibi unguentarias, & focarias, &
panificas, Agros quoque vestros
& vineas, & oliveta optima tol-
let, & dabit servis suis. Sed & se-
getes vestras & vinearum redditus
addecimabit, ut det Eunuchis &
famulis suis. Servos etiam vestros,
& ancillas, & iuvenes optimos, &
asinos auferet, & ponet in opere
suo. Greges quoque vestros ad-
decimabit, vosque eritis ei servi.
Et clamabitis in die illa à facie re-
gis vestri, quem elegistis vobis, &
non exaudieret vos Dominus. Ne-
que vero quenquam hoc moveat,
quod hic regem vocat, non tyran-
num. Siquidem olim regis nomen
non minus invisum fuit, quam ty-
ranni. Et cum nihil sit salutarius
bono rege, cur Deus iratus hanc
imaginem proponi iussisset popu-
lo, quo videlicet à petendo rege
deterret? Proinde ius regium,
ius tyrannicum dixit. Alioqui
Samuel ipse vere regem gesserat,

tot

tot annis sancte & incorrupte rem
populi administrans. At illi non
intelligentes felicitatem suam ,
more gentium regem flagitabant,
qui fastu , qui violentia regem a-
geret. Et tamen in hac imagine
quota portio malorum est , quæ
nostra memoria in nonnullis et-
iam Christianis Principibus ma-
gno totius orbis malo conspexi-
mus ?

Accipe nunc boni Principis ima-
ginem , quam Deus ipse in libro
Deuteronomii descriptsit ad hunc
modum : Cumque fuerit rex con-
stitutus , non multiplicabit sibi e-
quos , nec reducet populum in Ae-
gyptum , equitatus numero suble-
vatus . Non habebit uxores plu-
rimas , quæ alliciant animum eius ,
neque argenti & auri immensa
pondera . Postquam autem sede-
rit in solio regni sui , describet sibi
Deuteronomium legis huius in
volumine , accipiens exemplar à
sacerdotibus Leviticæ tribus , &
habebit secum omnibus diebus

Descri-
ptio boni
Principis
ex Deu-
terono-
mio.

vitæ suæ, ut discat timere dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor eius in superbiam super fratres suos, neq; declinet in partem dextram , vel sinistram , ut longo tempore regnet ipse , & filii eius super Israel. Si rex hebræus iubetur legem ediscere, quæ figuræ, & umbras modo iustitiæ tradebat, quanto magis convenit ut Princeps Christianus Euangelii dogmata teneat, ac sequatur? Si non vult regem iudæum effetri supra populum suum, fratres illos appellans, non servos, quanto minus idem facere oportebit Christianum in Christianos , quos ipse quoque Christus Principum omnium monarcha fratres appellat.

Principis
descri-
ptio ex
Ezechie-
le.

Audi iam quomodo tyrannum descripserit Ezechiel. Principes, inquit, in medio eius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem. Plato. Principes Reip. custo-

PRIN. CHRISTIANI. 61
custodes appellat, ut hoc sint pa-
triæ, quod canes gregi: quod si
canes vertantur in lupos, quid pre-
terea sperandum est gregi?

Idem alio in loco crudelem ac ^{Tyrannus} rapacem Principem leonem ap- ^{Leo.}
pellat, & alibi minatur pastoribus,
qui pascerent semetipos, neque
gregis ullam haberent curam,
Principes sentiens, qui sibi ge-
runt imperium. Et Paulus de Ne-
rone loquens, Liberatus sum, in-
quit, de ore leonis. Et in eandem
ferme sententiam Solomon ille sa-
piens vide quomodo tyrannum
depinxerit, Leo, inquit, rugiens,
& ursus esuriens Princeps impius
super populum pauperem. Ac rur-
sus alibi: Cum impii sumpserint
Principatum, gemet populus qua-
si sub servitute deductus. Et ite-
rum alibi. Cum surrexerint impii,
abscondentur homines.

Quid, quod apud Esaiam cum ^{Princeps}
dominus offensus populi sceleri- ^{puer.}
bus comminatur dicens, Et dabo
pueros Principes eorum, & effœ-
minati

minati dominabuntur eis. Nonne palam declarat nullam acerbiorum calamitatem obvenire posse regioni, quam stultum & impium Principem?

**Princeps
iuxta eu-
ange-
lium,**

Sed quid nos ista persequimur, cum ipse Christus unicus Princeps ac dominus omnium clarissime discreverit Christianum Principem ab ethnico? Principes, inquit, gentium dominantur eis, & qui potestatem habent, exercent inter eos. Inter vos autem non erit sic. Si Principum ethnicorum est dominari, non est igitur Christianorum dominium. Quid est autem quod ait, non sic erit inter vos, nisi non eodem modo fieri convenit inter Christianos? inter quos Principatus administratio est, non imperium, & regnum beneficium est, non tyrannis.

Neque vero sic ipse sibi palpetur Princeps, Hæc ad episcopos pertinent, non ad me. Immo ad te pertinent, si modo Christianus es: si Christianus non es, nihil ad te per-

te pertinent. Neque vero te moveat, si forte conspexeris episcopos aliquot ab hac imagine procul abesse. Quid agant illi, viderint ipsi, tu quid te dignum sit, cogita.

Noli te ipsum Principem bonum existimare, si collatus cum aliis minus malus appareas. Neque statim licere putes quicquid principum vulgus factitat. Ad honesti regulam temetipsum exige, hinc te aestima. Etsi nemo fuerit, quem vincas, ipse certato tecum, quandoquidem istud est certamen omnium pulcherrimum, & vere invicto principe dignum, si quotidie nitatur seipso melior evadere.

Nemo
bonus
collatio-
ne peio-
rum.

Si fœdum est tyranni nomen, seu potius studium, nihilo fiet honestius, si cum multis fuerit commune. Siquidem in rebus ipsis vis honesti sita est, non in hominum numero.

Graviter à Seneca scriptum est, *Seneca.*
codem loco, quo ponimus latro-
nes

nes ac pyratas, ponendos esse reges latronum ac pyratarum habentes animum. Hic enim solus regem à tyranno distinguit, non titulus.

Refert in libris Politicis Aristoteles, in nonnullis Oligarchiis hunc fuisse morem, ut inituri magistratum conceptis verbis iurarent in hunc modum. Plebem odio prosequar, & pro virili adni-
Barbari-
cus mos.
tar ut illi sit male. At Princeps initurus magistratus longe diversa iurat suis. Et tamen audimus quosdam tales esse erga populum, quasi iuxta morem illum barbaricum iurassent se populi rebus modis omnibus hostes fore.

Plane tyrannidem sapit, quoties tum optime est principi, quoties populo est pessime, & alterius felicitas ex alterius crescit calamitate. Perinde quasi paterfamilias id agat, ut suorum malis ipse ditior reddatur ac potentior.

Qui sibi Principis tirulum vollet afferere, & invisum tyranni nomen

PRIN. CHRISTIANI. 65
nomen cupiet effugere, non ter-
roribus ac minis, sed benefactis id
sibi vindicet oportet. Neque e-
nim refert vel ab assentatoribus,
vel ab oppressis appellari Princi-
pem, appellari patrem patriæ; si
re ipsa fuerit tyrannus. Et si ma-
xime illi aduletur sua ætas, at
non assentabitur posteritas. Vides
formidabilium olim regum, quos
vivos nemo vel nutu audebat of-
fendere, quanto odio posteri ce-
lebrent malefacta, quanta liber-
tate detestentur ipsa etiam no-
mina.

Bonus Princeps non alio ani-
mo deber esse in suos cives, quam
bonus paterfamilias in suos dome-
sticos.

Princeps
magnæ
familie
pater.

Quid enim aliud est regnum
quam magna familia? Quid rex
nisi plurimorum pater? Excellit
enim, sed tamen eiusdem est ge-
neris homo hominibus, liber li-
beris imperans, non beluis, ut re-
cte prodidit Aristoteles. Quod
quidem intellexisse videntur &
vetu-

vetustissimi Poetæ, qui Iovem, cui totius mundi & deorum (ut illi loquuntur) omnium tribuunt imperium, subinde notant his verbis, *πατὴρ ἀνθρῶπον τε Γεῶν τε*, id est, pater hominumque deumque. Et nos sic à Christo præceptore docti Deum omnium haud dubie principem patris vocabulo compellamus.

Tyranni
epitheta
ex Homero.

Quid autem fœdius, aut execrabilius illa compellatione, quam apud Homerum Achilles opinor iacit in Principem sibi gerentem imperium, non populo: οὐκέτις πεπλάνεται. Nihil enim reperit iratus ille, quid probosius diceret in eum, quem imperio iudicabat indignum, nisi quod populum devoraret. At idem Homerus, si quem Regem honoris gratia nominat, πολιάρχα solet appellare, hoc est, populi pastorem. Plurimum autem interest inter pastorem, & prædonem. Quanam igitur fronte sibi Principis titulum vindicant, qui paucos, & eos sceleratissi-

tissimos è suorum numero deli-
gunt, per quos arte repertis præ-
textibus, & subinde novatis titu-
lis, populi vires simul & opes ex-
hauriunt? & in suum convertunt
fiscum? sive quod inclementer ex-
torterunt, aut prodigunt nequi-
ter in voluptatibus, aut insumunt
crudeliter in bellis? & ut quisque
in his maxime veteratorem agere
potest, ita plurimi faciunt? Per-
inde quasi Princeps hostis sit po-
puli, non pater, ut is præcipue
videatur Principis rebus consule-
re, qui populi commodis quam
maxime officiat.

Ut paterfamilias suis bonis ac-
creuisse putat quicquid ulli suo-
rum obtigerit emolumenti: ita
quivere Principis animo præditus
est, in suo fisco putat esse quic-
quid usquam cives possident, quos
sic habet sibi charitate devinctos
ac deditos, ut nihil vereantur, vel
vitam impendere Principi suo,
non modo pecuniam.

Principis
divitiae
penes ci-
ves sunt,

Operæ precium fuerit audire,
quibus

Epitheta
boni
Principis
ex Julio
Polluce.

quibus epithetis Iulius Pollux
Commodo Cæsari, cuius pueri-
tiam instituerat, regem signarit,
ac tyrannum. Etenim cum regem
statim Diis subiecisset, veluti pro-
ximum ac simillimum, τοις βασιλέων,
inquit, ἐπάγων λέγε, πατήρ, ἄπος, παῖς,
ἄμερος, περονοπικός, ὅπιεινής, φιλάνθρωπος,
μεγαλόφρενος, ἐλύθερος, χειράτων κρέπεων,
ἴξω παθῶν, ἐαυτοῦ κρατῶν, ἀρχῶν ἕδω-
νῶν, λογιστρὸς θεώντος, δῆτος, ἀγχίντης, πε-
ριεπεικήνος, δύναλος, δίκυος, σώφρος,
θεῶν ὅπιειλιτής, ἀνθρώπῳ κιδεμάν, σά-
σιμος, βέβαιος, ἀνεξαπάτητες, μεγαλογά-
μων, ἁγιεργυνόμων, ἀνεργὸς, πλειτυρ-
γὸς, Φερντιστὸς τῆς ἀρχομένων, σωτήρ, πρό-
χειρος εἰς διεργασίαν, βεβεδὺς εἰς πιμαχία,
ασφαλής, ἀπλανής. ἀκριβέστερος περὶ τὸ
δίκιον ζυγῆ, διαφέροσθε, διαφέροντες, δι-
έντευκτος, μετίχος, πρεσβύτης, ὅπιειλιτής
τῆς ὑπαίκων, φιλοστριτίτης, πολεμικὸς
ἥψη, ἡ φιλοπόλεμος ἔη, εὐρυνικός, εἰρηνοποιός,
εἰρηνοφύλαξ, παιδευτικός, ἀρχηγὸς, καὶ ἀρ-
χέκος, νομοθετικός, διποιεῖν πεφυκὼς, θεοφ-
ύնτος. πολλὰ δέ ἔξι ἀλόγω τίς ἀνείπειν ἔχει,
καὶ σὺ ὀνόμαζτι.

Ea tametsi latinus sermo com-
mode non possit reddere, ob græ-
cæ linguæ proprietatem, tamen in
hoc certe vertemus, quo queant
intelligi. Regem laudato his titu-
lis.

lis. Pater, mitis, placidus, lenis,
providus, æquus, humanus, ma-
gnanimus, liber, pecuniæ con-
temptor, haud obnoxius affecti-
bus, sibiipsi imperans, dominans
voluptatibus, ratione utens, acri
iudicio, perspicax, circumspectus,
valens consilio, iustus, sobrius,
numinum curam agens, homi-
num negotia curans, stabilis, fir-
mus, infallibilis, magna cogitans,
auctoritate præditus, industrius,
confector negotiorum, sollicitus
pro his, quibus imperat, serva-
tor, promptus ad beneficentiam,
lentus ad vindictam, certus, con-
stans, inflexibilis, propensior ad
iustitiam, facilis aditu, comis in
congressu, commodus alloqui
volentibus, blandus, expositus,
curam agens suo parentium im-
perio, amans militum suorum, qui
strenue quidem bellum gerat, sed
qui bellum non affectet, pacis a-
mans, pacis conciliator, pacis te-
nax, appositus ad emendandos
populi mores, qui ducem agere
morit

norit, ac Principem, qui leges salutares sciatur condere, natus ad benemerendum, divina specie. Sunt autem multa, quæ oratione dici possint, singulis vocabulis non possint. Hactenus Pollucis sententiam expressimus. Iam si ethnicus moderator eiusmodi principem deformavit ethnico; quanto sanctius simulacrum propoeni convenit principi Christiano?

Nunc quibus coloribus tyrannum expresserit, attende. θέρων ἀνέρεις, τυραννίκος, ὄμης, θηγαύαντος, εἰανος, πλεονεκτικός, φιλοχήματος, καὶ τὸ τῆς πλάτωνος, ἐρεσιχήματος, ἄρπαξ, καὶ τὸ τῆς ὁμίρης, μημονόεσ, ψωερέπλην, ὑπερήφανος. Μυστρόσιτος, δύστρόσιθος, μυστρόγυντος, δύσθυμος, ἐμπληκτος, ταραχώδης, ήδην ἄνητων, ἀκρατης, ἀκεράτωρ, αλόγιστος, μιτάνθρωπος, ἄδικος, ἀβέλος, ἄνισος, ανόσιος νῦν κατός, ἔυκολος, ἐυμετάβολος, ἔυεξαπάτητος, ῥάδιος, ανίμερεσ, θηθυμίαν σύνδιδες, απόλαυτος, ίδεριστης, πολεμοποιός, βαρὺς, ἐπαχθῖς, ακάθεκτος, αφόρητος. Quorum verborum hæc ferme sententia est. Malum principem vituperabis ad hunc modum: Tyrannicus, crudelis,

delis, efferus, violentus, occupator alieni, avidus pecuniarum, & (quod verbum est apud Platonem) pecuniarum cupiens, rapax, & (quod dixit Homerus) populi devorator, superbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conveniendum, durus ad congressum, incomis ad colloquium, male iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum servus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, iniustus, incōsultus, iniquus, impius, mente carens, levis, inconstans, & qui facile decipiatur, malefacilis, immitis, affectibus deditus, incorrigibilis, contumeliosus, bellorum auctor, gravis, molestus, incoercibilis, intolerabilis.

Cum Deus longissime absit à natura tyranni, verisimillimum est illi nihil invisus esse pestilente rege, & cum nulla belua nocentior sit tyranno, consentaneum est nihil invisus esse mortalibus omnibus, quam malum Principem.

Quis

Quis autem vel vivere cupiat superis & hominibus pariter exosus, & execratus? Proinde Octavius Augustus, ubi sensisset caput suum crebris cōiurationibus peti, & alia oppressa, protinus alia succedere, negavit tanti esse vivere, ut omnibus invisus, incolumitatem suam tot civium sanguine tueretur.

Tyrannis
nulla fuit
diurna.

Proinde regnum, quod virtute administratur, ac benevolentia, non solum quietius est ac iucundius, verum etiam diuturnius, ac stabilius. Id, quod ex veterum annalibus facile poteris cognoscere. Nulla tyrannis tam munita fuit, quæ diu constiterit. At quoties Reipubl. status in tyrannidem degeneravit, toties in exitium properasse compertum est.

Multos timeat oportet, qui timetur ab omnibus. Et tutus esse non potest, quem maxima pars hominum cupiat extinctum.

Olim qui bene gessissent imperium, iis divini decernebantur

Divini
honores

tur honores : at in tyrannos ea bonis re-
lex erat, quæ nunc est in lupos aut gibis ha-
ursos, ut præmium esset ex publi-
co, qui publicum hostem è medio
fustulisset.

Primitus reges non ob aliud virtus
constituti sunt populi consensu , primi-
quam ob eximiam virtutem, quam reges fe-
heroicam vocant , velut divinæ cit.
proximam, & humana maiorem.
Originis igitur suæ principes me-
minerint oportet, illud intelligen-
tes, se ne Principes quidem esse, si
eo caruerint , quod primum Prin-
cipes fecit,

Cum multæ sint formæ rerum- Monar-
publicarum , philosophorum o- chia.
mnium ferme consensus est, sa-
luberrimam esse monarchiam , ni-
mirum ad exemplar Dei, ut rerum
summa penes unum sit, verum ita,
si is ad imaginem item Dei sapien-
tia , bonitateque cæteris omnibus
antecellarat, & nullius indigens nihil
aliud studeat, quam prodeesse Reip.
Quod si secus fuerit , pessimus
Reipub. status sit oportet, ut qui

D pugner

pugnet cum eo, qui est optimus.

*Monar-
chia tem-
perata.* Si Princeps contingat omnibus
absolutus virtutibus, optanda sit
pura ac simplex monarchia, ve-
rum quando id haud scio an un-
quam contingat, quin potius ma-
gnum, & exoptandum si detur me-
diocris, ut nunc sunt res homi-
num, præstiterit monarchiam, A-
ristocratiæ, & Democratiæ ad-
mixtam temperari, diluique, ne
quando in tyrannidem crumpat,
sed quemadmodum elementa vi-
cissim sese librant, ita simili mo-
deramine consistat Resp. Quod si
Princeps bene velit Reip. sic inter-
pretabitur suam potestatem hac
ratione non coerceri, sed adiu-
vari, sin minus, tanto magis ex-
pedit, ut sit quod unius violen-
tiæ frangat, ac retundat

Cum multa sint dominandi ge-
nera, hominis in beluas, heri in
servos, patris in liberos, mariti in
uxorem, Regiam dominationem
omnium excellentissimam iudicat
Aristoteles, eamque maxime di-

vinam

vinam appellat, quod ea res quidam homine maius habere videatur. Quod si divinum est agere regem, profecto tyrannum agere nihil aliud sit oportet, quam eius vicem agere, qui Deo dissimilimus est.

Servus servo præstantior, ut habet proverbium, ut dominus domino potior, quod alia sit ars alia præclarior, alia functio alia melior. At Principem in optimo sapientiae genere oportet præcelerre. Ea est ratio recte administrandi Remp.

Domini est iubere, servi parere. Tyrannus iubet quicquid lubuit, Princeps, quod Reip. iudicavit optimum. Qui nam igitur iubebit is, qui quid sit optimum ignoret? immo qui pessima pro optimis habeat, vel infelicitia, vel affectibus excæcatus.

Ut oculi est videre, aurium audire, narium olfacere, ita Principest populi rebus consulere. At non potest alia re consulere, quam

sapientia: ea si careat Princeps, non magis consulet Reip. quam oculus videbit excæcatus.

Xeno-
phonis
senten-
tia.

Xenophon in Oeconomico libello scribit divinum potius, quam humanum imperare liberis, ac volentibus: sordidum enim imperare mutis animantibus, aut coactis mancipiis. At homo divinum est animal, ac bis liberum, primum natura, deinde legibus. Ideoque summæ virtutis est, ac planè divinæ regere, & sic temperare imperium, ut beneficium sentiat populus, servitutem non sentiat.

Cave solum eos tuos esse putas, quorum opera in popinis, in venatu, in domesticis uteris ministeriis, cum sæpe numero nulli minus sint tui, sed universos cives ex quo tuos esse ducito. Quorum si quis omnino delectus sit, eum tibi proximum & coniunctissimum habeto, qui vir sit optimus, qui patriæ, qui Reipub. amantissimus. Cum viles urbes tuorum, nolito si tecum cogitare: Tantarum re-

rum

rum dominus sum , hæc omnia
mei sunt arbitrii , in hæc mihi li-
cer quicquid libet . Si vero quod
bono Principe dignum est , cogita-
re voles , ad hunc cogitato mo-
dum : hæc meæ credita sunt fidei .
Vigilandum igitur , quo meliora
reddam , quam acceperim .

Cum innumeram tuorum
multitudinem conspexeris , cave
sic cogites : tam multos habeo ser-
vos , sed , tot hominum millia de
mea pendent sollicitudine , uni mi-
hi se suaque tuenda crediderunt ,
me veluti parentem spectant , tot
millibus prodesse possum , si me-
ipsum bonum præstitero Princi-
pem , plurimum nocere ; si malum .
An non igitur magnopere curan-
dum ne sim improbus , ne tam
multis noceam mortalibus ?

Cogitato semper dominium ,
imperium , regnum , maiestatem ,
potentiam , ethnicorum esse vo-
cabula , non Christianorum , Chri-
stianum imperium nihil aliud esse ,
quam administrationem , quam

D 3 benefi-

beneficentiam, quam custodiam.

*Animus
in cor-
pore.*

Quod si hæc quoque vocabula te delectant, & illud memineris facito, quod ab ethnicis quoque philosophis & perspectum, & proditum est, non aliud esse imperium Principis in populum, quam quale est animi in corpus. Dominatur animus corpori, quod magis sapiat quam corpus, sed dominatur magno corporis modo, potius quam suo, & animum regnare in corpore, felicitas est corporis.

*Cor in
mem-
bris.*

Quod cor est in corpore animantis, id est Princeps in Repub. Si cor syncerum est, quoniam sanguinis, spirituum fons est, vitam impartit universo corpori. si vitiatum fuerit, exitium affert membris omnibus. Verum ut ea pars in corpore animantis omnium postrema solet corrumpi, & in hac extremas vitae reliquias superesse putant, ita decet Principem, si quis morbus corripuerit populum, ab omni stultitia.

Ut in homine quod præstantius simili-
est imperat, nimirum animus. ^{tudines} ^{princi-}
Rursum in animo quæ pars est pis.
optima, ea præsidet, nempe ra-
tio. Et quod dominatur in uni-
verso, id omnium est optimum,
nempe Deus. Ita quisquis in Rep.
tanquam in magno corpore impe-
randi parteis occupavit, eum o-
portet bonitate, sapientia, vigi-
lantiaque cæteros anteire. Et
quanto magistratus antecellunt
plebi, tanto Princeps antecedere
debet magistratus.

Siquid inest animo mali, id à
corporis contagio proficiscitur,
quod affectibus est obnoxium.
Quicquid autem habet corpus
boni, id ab animo scater, velut à
fonte. Ut autem præposterum sit,
ac præter naturam, si mala ab a-
nimō manent in corpus, & corpo-
ris bona animi vitio corrumpan-
tur, ita vehementer absurdum
fuerit, si bella, seditiones, corru-
pti mores, pravæ leges, corrupti

D 4 magi-

magistratus, & id genus alię Reip. pestes ab ipsis Principibus exoriantur, quorum sapientia componi decebat motus stultitia plebis coortos. At s̄aepenumero vides civitates populi industria bene constitutas, ac florentes Principum everti culpa.

Princeps' pater, non dominus. Quam non Christianum est domini titulo sibi placere, quem non pauci à Christo alieni refuge runt, & quod esse cupiebant propter ambitionem, dici nolebant ob invidiam? At Christianus Princeps idem esse sibi fas putabit vocari magnificum?

Octavius Augustus quamvis scelere occuparat imperium, contumeliae loco ducebat vocari dominum, & hanc appellationem à mimo delatam coram universo populo vultu simul, & voce renuit, velut eo vocabulo tyrannis exprobraretur. Et hanc hominis ethnici modestiam non imitabitur Princeps Christianus?

Proverbiū.

Si dominus es tuorum omnium,
illi

illi tibi servi sint necesse est. Proinde videndum est, ne iuxta vetus proverbium, quot habes servos, totidem habeas & hostes.

Cum natura genuerit omneis homines liberos, & præter natu-
ram inducta sit servitus, quod eth-
nicorum etiam leges fatentur, co-
gita quam non conveniat Christianum in Christianos usurpare do-
minium, quos nec leges servos es-
se voluerunt, & Christus ab omni
servitute redemit. Siquidem Pau-
lus Onesimum servum natum à
baptismo fratrem prioris heri Phi-
lemonis appellat.

Princeps
libere
imperat.

Quam absurdum est eos pro ser-
vis habere, quos Christus eodem
redemptos sanguine in commu-
nem asseruit libertatem, quos iis-
dem tecum alii sacramentis, quos
ad eandem immortalitatis voca-
vit hereditatem, & iis servitutis
iugum inducere, qui communem
tecum habent dominum, ac Prin-
cipem Iesum Christum?

Cum Christianorum unus sit

D 5 domi-

Christus
absolu-
cum ex-
emplar.

dominus , cur qui huius gerant
vices , abs quovis malunt admini-
strandī formam petere , quam ab
hoc , qui solus est totus imitan-
dus. Ab aliis decerpere licet , si
quid forte virtutis admistum ha-
bent. At in hoc absolutum esto
mnis virtutis ac sapientiæ exem-
plar. Ea quidem stultitia videtur,
sed infidelibus. nobis , si vere fide-
les sumus , Dei virtus est , & Dei
sapientia.

Iam nolim te sic tecum cogita-
re. At istud servire est , non re-
gnare. Immo hoc est pulcherri-
mum regnandi genus , nisi forte
Deum servire existimas , qui mun-
dum hunc gratis administrat , cu-
jus beneficium experiuntur o-
mnia , cum ad illum nihil redeat
præmii : nisi animus servire vide-
tur , qui cum corpore non egeat ,
tanto studio consulit illius com-
modis. nisi oculus cæteris mem-
bris servire putandus est , quod o-
mnibus prospiciat.

Rem ita tecum expendas lice-
bit,

bit, si quis omneis homines, quos
tuos vocas, Circes arte vertat in <sup>A falso-
ac argu-
mentum</sup>
sues, aut asinos, nonne dices de-
terius factum tuum imperium? Di-
ces opinor. At qui plus iuris est in
sues, aut asinos, quam in homi-
nes, licet quo lubet agere, licet
distrahere, licet interimere. Pro-
inde deterius fecerit imperium,
qui liberos cives verterit in man-
cipia. Quo præstantius est, in
quod geris imperium, hoc ma-
gnificentius ac splendidius regnas.
Consulit igitur tuæ maiestati, qui
civium libertatem ac dignitatem
tuetur.

Deus ipse ne coactis imperareret, Deus li-
beris im-
perare
voluit.
& angelis, & hominibus liberum
dedit arbitrium, quo splendidius
& augustius redderet imperium
suum. Et quisquam hoc nomine
sibi magnus videtur, quod metu
adactis civibus, ceu pecudibus
imperet?

Ne te fugiat quicquid in euau-
gelicis aut Apostolicis literis de-
olerand is dominis, de parendo.

D 6 præfe-

præfectis, de honorandis regibus, de pendendo tributo dictum est, id ad ethnicos Principes esse referendum, quod ea tempestate nondum essent Principes ulli Christiani. Tolerari iubet impios magistratus, nequid perturbetur ordo civitatis, modo suo fungantur officio, modo ne imperent impia.

Honorem exigit ethnicus Princeps: Paulus honorē iubet dependi. Vectigal exigit, vult solvi vectigal. Tributum exigit, iubet dari tributum. Nihilo enim deterior fit his rebus homo Christianus, & illi suum quoddam habent ius, neque sunt per occasionem irritandi. At quid de Christianis addit? Vos, inquit, inter vos nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Alioqui num ideo Christus debebat Cæsari tributum, quia legitur solvisse didrachmum? Idem in euangelio cum insidiose rogaretur, num gens ut tum putabatur Deo dicata, censum

Ias Cæsa-
ris ex eu-
angelio.

sum deberet Cæsari? numisma iubet exhiberi, exhibitum non agnoscit, & velut ignarus, cuius sit imago, & inscriptio sciscitur. Cum responsum esset Cæsaris esse, malitiosamentibus ambigue respondit: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, quæ Dei sunt, Deo, simul cludens insidiosam quæstionem, & per occasionem ad Dei pietatem invitans, cui debemus omnia. Perinde quasi dixisset, Cæsari, quem ignoro, quid beatatis, vos videritis. Illud potius spectate, quid beatatis Deo, cuius negotium ago, non Cæsaris.

Ne vero inter hæc cuiquam obrepat huiusmodi cogitatio: Verum
ius Principi
cipit.
Quid igitur Principi suum ius admiss, & plus tribuis ethnico quam Christiano? Immo Principi Christiano suum ius vindico. Ius est ethnico Principi suos metu premere, ad serviles operas adigere, exigere possessionibus, expilare bonis, denique martyres facere, ius est ethnici Principis. num idem vis

vis esse Christiano? Aut ius illius imminutum videbitur, si minus hæc illi liceant?

Non perit suum ius ei, qui Christiane gerit imperium, sed aliter possidet, & quidem multo tum præclarior, tum tutius. Id ita esse, his argumentis colligas licet. Primum tui non sunt, quos servitio premis, consensus enim Principem facit. Verum ii demum vere tui sunt, qui sponte ac volentes tibi parent. Deinde cum meru adactos possides, ne dimidiatos quidem possides, corporum poteris, animi abs te sunt alieni. Cæterum cum Christiana charitas conciliat populum ac Principem, ibi tua sunt omnia, quoties res postulat. Non enim postulat bonus Princeps, nisi cum utilitas patriæ flagitat. Rursus ubi dominium est, non benevolentia, quantumvis multum exigatur, certe minus habet Princeps, quam cum nihil non habet. Nemo plus impetrat, quam qui nihil imperat, sed promeretur.

Ad hæc

Ad hæc honos , qui tyranno exhibetur , ne honos quidem est, sed aut adulatio , aut simulatio , nec obsequium, sed servitus, nec splendor est verus , quem ostentat , sed fastus , nec potentia , sed vis. Verus honos. quæ cuncta veris nominibus possideret, qui Christianum agit Principem.

Nemini plus defertur honoris, quam qui non exigit honorem, nulli libentius obsequuntur homines , quam qui non requirit obsequium , in neminem libentius effundunt suas opes , quam in eum, cui commissas sciunt ad publicam utilitatem cum fœnore redituras.

Est mutuum inter Principem ac populum commercium , tibi populus censum debet , debet obsequium, debet honorem, sed tu vicissim populo debes bonum ac vigilantem Principem : cum exigis vectigal à tuis veluti debitum, fac prius excutias temetipsum , num illis officiis tui vectigal persolveris. Mutuum ius populi ac Principe.

Aristo-

*Ex Ari-
stotelis
Politiciis.*

Aristoteles negat dominii rationem esse sitam in possidendo, sed magis in hoc ut utare servis. Atqui multo minus Principatus positus est in titulis, & imaginibus, in exigendo censu, sed in consulendo.

Cum Resp. corpus quoddam sit ex variis membris compactum, in quorum numero sit & Princeps ipse, licet eximum, ea moderatio ne conveniet uti, ut omnibus bene sit, non ut attenuatis cæteris unum, aut alterum vegetum ac saginatum evadat. Quod si Princeps Reip. malis gaudet, & alitur, neque pars est Reip. neque Princeps, sed prædo.

Prodidit Aristoteles servum vivam esse domini portionem, si modo is verus sit dominus. Est autem & amicitia partium cum toto, & utilitas utriusque ex altero. Id si verum est inter herum, & mancipium de lapide (ut aiunt) emptum, quanto magis inter plebem Christianam, & Principem Christianum.

Prin-

Princeps, qui nihil aliud cogitat, nihil aliud agit, nisi ut quam plurimum pecuniarum à civibus extorqueat, ut nummorum vim quantam potest maximam irretiat legibus, ut quamplurimo vendat magistratus, & officia, quæso utrum is Princeps dicendus est, an negociator, an (ut verius dicam) prædo?

Crœsus cum videret urbe capta Cyri milites magno tumultu discursantes, rogabat quidnam facerent? Cui respondenti facere eos, quod victor exercitus solet, diripere bona civium, quid inquit audio? An non hæc iam tua sunt, qui me vicisti? Cur igitur isti tua populantur? Hac voce monitus Cyrus, militem à direptione coeruit. Eandem oportebit semper obversari Principis animo. Hæc, quæ extorquentur, mea sunt. Hi, qui spoliantr, & attrruntur, mei sunt. Quicquid in hoc pecco, in meipsum pecco.

Fac ita geras imperium, ut facile

cile gesti queas reddere rationem, quam si nemo exacturus est, hoc magis etiam à temetipso debes exigere. Futurum est enim, idque brevi, ut is abs te rationem exigat, apud quem nihil tibi profuerit Principem fuisse, nisi quod tanto rigidiorem habiturus es iudicem, quanto grandior potestas tibi fuerit commissa. Ut unus sis totius orbis monarcha, hunc exactorem nec fallere poteris, nec effugere, nec terrere, nec corrumpere.

Posteaquam te semel Reip. dedicasti, iam non est tibi liberum tuo more vivere, personam, quam suscepisti, sustineas ac tuearis oportet.

Nullus ad Olympicum certamen accedit, nisi prius secum expenderit quid eius certaminis lex postuleret. Neque queritur sibi molestum esse solem, aut pulverem, aut sudorem, aut si quid est aliud huius generis, quandoquidem hæc omnia

cum

cum ipsa ludi ratione coniuncta sunt. Ita qui suscipit imperium, prius cum animo debet expendere quas res Principis officium exigat. Consulendum alienis ^{Officium} _{Princi-} modis, propria negligenda. Vigilandum, ut aliis dormire liceat. Laborandum, ut aliis liceat otiali. Summa præstanta morum integritas, cum in aliis mediocris innocentia satisfaciat. Privatis affectibus omnibus exuendus est animus, & publicum gerenti negotium nihil, nisi de publico cogitandum. Benefaciendum etiam ingratis, etiam non intelligentibus, etiam invitis. Hæc si non placent, cur ad imperii munus accedis? aut cur forte traditum non cedis alteri? Quod si non licet, certe in huiusmodi quempiam reiice functionem, cuiusmodi ipsum præstare oportebat.

Apud græcos sapientissime dixit sapiens quidam, quæ præclara sunt, eadem esse difficultia. Proinde, meminisse oportet, præstare bonum <sup>Difficili-
mum sed
pulcher-
rum
bene im-
perare.</sup>

bonum Principem, rem quidem esse omnium multo pulcherri-
mam, sed eandem omnium longe difficultiam. Neque quicquam
te moveat, si temporibus his
quosdam videris Principes ita vi-
ventes, ut difficilius sit agere pa-
tremfamilias, quam eiusmodi
Principem, nec omnino temere
dictum videatur veteri proverbio,
aut regem, aut fatuum nasci o-
portuit.

Prius di-
scendum
imperare
quam im-
peres.

Cum igitur cæteri mortales ar-
tem, quam profiteri parent, prius
adhibito studio discant, quanto
maiori cura Principem oportet
administrandi rationem prædi-
scere? Ac cæteræ quidem artes
quatuor rebus potissimum con-
stant, natura, præceptis, exem-
plis, & usu.

In Principe lene, ac mansue-
tum ingenium requirit Plato:
nam acres, & concitatos ut ad di-
sciplinas quidem idoneos faretur,
ita ad Remp. administrandam
accommodos negat. Sunt naturæ
vitia,

vitia, quæ institutione, curaque corrigi queant. At possit obtingere ingenium vel adeo stupidum, vel ita ferox, ac violentum, ut in hoc formando frustra quis sumperferit operam. Neronis natura corruptior erat, quam ut sanctissimus ille præceptor Seneca potuerit efficere quo minus pestilentissimus evaderet Princeps.

Præcepta statim (ut diximus) instillanda sunt, eaque digna vero Principe, & certa: & ob hanc causam Plato voluit sero dialecticem attingi à custodibus, quod hæc in utramque partem differat, & minus firmas reddat de honesto, aut in honesto opiniones. Exemplum administrandi potissimum ab ipso Deo petendum, & ab homine, Deoque Christo, è cuius dogmatis præcepta quoque sumenda erunt potissimum. Exercitatio, quæ postrema pars est, non perinde tuta est in Principe: nihil enim magni, si citharas aliquot obterat, qui studet bonus esse citharœdus. At

+ omnia

grave

grave fuerit affligi Rempub. dum
Princeps discit administrare Rép.
Affuescat quidem igitur iam inde
à puerō, sed quo melius iudicer,
instructus decretis, assidere con-
sultationibus, interesse iudiciis,
adesse creandis magistratibus, au-
dire regum postulationes. verum
nequid statuat, nisi multorum iu-
dicio comprobatum, donec ætas,
& usus rerum certius iudicium pa-
ravit.

Vigilan-
tia Prin-
cipis.

Si vere dixit Homerus non esse
Principis solidam dormire no-
tem, cui tot hominum millia,
cui tantæ negotiorum moles com-
missæ sunt, si non sine iudicio ta-
lem Aeneam suum fingit Virgi-
lius, unde quæso Principi sit o-
titum totos fallendi dies? immo
perdendi maximam vitæ partem
alea, choreis, venatibus, mo-
rionibus, & his etiam nugacioni-
bus nugis?

Subvertitur Resp. factionibus,
bellis affigitur, latrociniorum
plena sunt omnia, expilationibus
immo-

PRIN. CHRISTIANI. 95
immodicis plebes ad famem, &
laqueum adigitur. Opprimuntur
ab iniquis proceribus tenues, cor-
rupti magistratus, non quod ius
est, sed quod libet faciunt, & inter
hæc velut otiosus, tum alea ludit
Princeps.

Non licet dormitabundum es-
se, qui clavo assidet, & in tantis
rerum periculis stertit Princeps?
Nullum mare tam graves habet
tempestates unquam, quam omne
regnum assidue. Semper itaque
Principi vigilandum est nequid
erret, qui non nisi plurimorum
pernicie delinquit.

Magnitudo navis, aut mercium
precia, aut vectorum numerus
haud facit elatiorem bonum nau-
clerum, sed attentiorum. Ita bo-
nus rex, quo pluribus imperat,
hoc vigilantior esse debet, non in-
solentior.

Si cogitaris quantam sustineas
provinciam, nunquam deerit
quod agas. Si consueveris publicis
delectari commodis, nunquam
deerit

deerit quo oblectes animum, ut iam bono Principi non vacet ineptis voluptatibus otii tedium fallere.

Quod à sapiētissimis viris præcepsum est, optimam vitæ rationem esse diligendam, non iucundissimam, quod ea, quæ sunt optima, consuetudo denique soleat iucunda reddere, id Principi cum primis est faciendum. Si pictor ex tabula belle confecta voluptatem capit, si agricola, si olitor, si faber suis fruitur laboribus, quid Principi deber est iucundius, quam si contempletur Remp. sua opera redditam meliorem, ac florentiorem?

Ut negari non potest operosam esse rem bonum agere Principem, ita multo est operosius malum agere Principem. Longe minus habent negotii, quæ naturam & honesti rationem sequuntur, quam quæ fucis, & arte constant.

Cum apud te recoles, hoc bellum prudenter effugi, bene seditionem

tionem illam quam minimo san-
guine compescui, illo viro ad
magistratum ascito probe consu-
lui Reip. meoque nomini, si vere
princeps es, mirum ni ingentem
animo sentis voluptatem. Atque
ea demum voluptas Christiano
digna est Principe. Huius mate-
riam ipse tibi quotidie benefactis
suppedita, plebeias illas oblecta-
tiunculas vili popello relinque.

Volupta-
tes Prin-
cipis
qua.

Laudatur ab omnibus Solomon,
qui cum integrum esset optare Diversus
quicquid vellet, protinus acceptu- Midæ ac.
rus, quicquid petisset, non optarit. Solome-
opum vim, non totius orbis im- nis ve-
perium, non exitium inimicorum, tum.
non insignem famæ gloriam, non
voluptates, sed sapientiam, neque
quamvis sapientiam, sed eam, qua
posset genus sibi creditum cum
laude administrare. E diverso da-
mnatur ab omnibus Midas, cui ni-
hil auro fuerit antiquius. At cur
aliud in historiis, aliud in vita iu-
dicum? Optamus Principi felici-
tatem, optamus victoriam, opta-

E
mus

mus laudem , optamus longævitatem , optamus opulentiam . Si vere diligimus Principem , quin illud potius optamus , quod unum sibi optavit Solomon ? Et ne stulte videatur optasse , hoc nomine laudatus est à Deo . Cur nihil minus ad rem pertinere iudicamus , quam id , quod solum ad rem pertinet ? Immo non desunt qui credant hoc ipsum ad imperii functionem officere , si sapiat Princeps . Languescit inquietus animi vis , & redditur timidior . At ista temeritas est , non audacia , stupor , non animi vigor , ob hoc nihil timere , quod nihil iudices . Ex aliis fontibus petenda est Principis fortitudo . Ad istum modum plurimum audent iuvenes , sed plus etiam furiosi . Salutaris est timiditas , quæ dum periculum indicat , docet vitare quæ à turpibus , ac perniciosis institutis cohabet .

Plurimum perspiciat oportet , qui unus prospicit omnibus , plurimum sapiat necesse est , qui solus consu-

PRIN. CHRISTIANI. 99
consulit universis. Quod Deus in
universo , quod sol in mundo ,
quod oculus in corpore , hoc o-
portet esse Principem in Repub.

Prisci sapientes , quibus mos
erat hieroglyphis uti , rerum ani-
gmatis vivendi rationem adum-
brantes , regis imaginem ad hunc
representabant modum , ut ocu-
lum pingerent addito sceptro , vi-
tæ rectitudinem , & animum nul-
lis rationibus ab honesto defle-
ctendum , cum prudentia , vigi-
lantiaque summa coniunctum si-
gnificantes .

Alii regium sceptrum ad hunc
modum effingebant. In summo e-
rat ciconia pietatis symbolum , in
imo hippopotamus , animal effe-
rum , & noxiū , illud videlicet
innuentes , siquid in Principe se-
viant affectus efferi , quod genus
ira , vindictæ cupiditas , rapaci-
tas , violentia , ut eos motus pietas
in patriam vincat , prematque. Ad
insolentiam fortunæ licentia , re-
rumque successus invitat , sed

E 2

plus

Aenigma
regis.

Sceptrum
regium.

Apud Thebanos inter sacras imagines visebantur olim auctore Plutarcho quæ federent sine manibus, harum prima oculis etiam carente. Quod sedent, admonet magistratus ac iudices animo sedato esse oportere, nec ullis affectibus perturbato. Quod manibus carent, innuit eos ab omni munerum corruptela puros, & integros esse debere. Porro quod Princeps manibus quoque caret, significat regem adeo non abduci muneribus ab honesto, ut nec ullius personæ tangatur respectu, quo tantum auribus rem accipiat.

Cultus &
insignia
Princi-
pis.

Quin & in ipsis, quibus ornatur, insignibus philosophari discat. Quid indicat unctio regia, nisi summam animi clemētiam? Quid capitis diadema, nisi numeris omnibus absolutam sapientiam? Quid collo addita torques, nisi virtutum omnium concentum, & harmoniam? Quid gemmarum multiplici colorum gratia ni-

tentium

PRIN. CHRISTIANI. 101
tentium lumina , nisi virtutum ex-
cellentiam , & quod quicquid ho-
nestum , id in Principe eximum
esse oporteat ? Quid ardens pur-
pura , nisi vehementem erga cives
charitatem ? Quid insignia , nisi
ut maiorum suorum decora vel æ-
quet , vel superet ? Quid gladius
prælatus , nisi huius præsidio pa-
triam oportere tutam esse tum ab
hostibus , tum à scelerosis ?

Primum munus boni Principis
est quam optima velle , proximum ,
quibus rationibus evitari aut tolli
mala , contra , bona parari , auge-
ri , confirmarique possint , perspi-
cere . In homine privato fortasse
satis est bona mens , cum & legi-
bus admoneatur , & magistratus
præscribant quid sit agendum . At
in Principe parum est , bona men-
te præditum esse , ut velit optima ,
nisi accesserit sapientia , quæ com-
monstret quibus viis id , quod cu-
pit , assequi queat .

Quantulum interest inter sta-
tuam marmoream Croci , au-
t̄ tub

Bona
mens
coniun-
cta cum
pruden-
tia .

Cyri inscriptam titulo, diadema-
te sceptroque magnifice insigni-
tam, & Principem sine pectori
nisi quod illa nullius incommodo
stupet, hic magno Reip. malo
stultus est.

Nec corporis aut fortunæ bonis
temet ipsum æstimes, sed animi.
Nec aliorum laudibus te ipsum
metiaris, sed tuis ipsius factis.

Laudes dignæ Princeps.
Cum sis Princeps, videto ne
quam admittas laudem, nisi di-
gnam Princeps. Effert aliquis for-
mam tuam, cogita ad istum mo-
dum laudari fœminas. Si quis ad-
miratur facundiam, memineris
istam sophistarum, ac rhetorum
esse laudem. Sirobur & corporis
vires prædicat aliquis, scias ita
laudandos athletas, non Prince-
pes. Proceritatem extollit aliquis,
sic tecum cogita: hic me recte lau-
darit, siquid ex alto foret detra-
hendum. Est qui divitias tuas lau-
dibus vehat, fac cogites ita lau-
dari negotiatores. Puta te nihil
adhuc audisse dignum Princeps,

dum audis istiusmodi præconia.
 Quænam igitur propria Princi-
 pum laus est? Nempe si à tergo
 pariter, & à fronte sit oculatus,
~~λείπων~~, ut inquit Homerus, ~~οὐδέ τις~~
~~τοιότις~~, hoc est, si quam pluri-
 mum sapiat, præterita respiciens,
 futura prospiciens, deinde quic-
 quid sapiar, patriæ sapiat, non si-
 bi, quanquam non alia ratione si-
 bi magis potest sapere, quam si pa-
 triæ sapiat.

Si quis hoc pacto laudet medi-
 cum: formosus est, robustus est,
 ac bonis lateribus, bene numma-
 tus est, bellus est aleator, scite sal-
 tar, belle canit, docte ludit pila,
 nonne protinus tecum cogitabis.
 quid hæc ad medicum? At cum
 audieris eadem à stultis laudatori-
 bus, multo magis cogita, quid
 hæc ad Principem?

In medico tria potissimum re-
 quiruntur. Primum, ut calleat ar-
 tem medendi, noritque corpo-
 rum & morborum vim, & quid
 cui malo dñebeat adbiberi. Proxi-

Vt si
medico,
sic & in
Principe
tria re-
quiran-
tur.

E 4. mum,

mum, ut sit bonæ fidei, neque quicquam spectet præter ægrotantis salutem. nam multos ambitionis, aut lucrum huc adducit, ut venenum ministrent pro remedio. Tertium, ut iustum curam, ac diligentiam adhibeat.

Aristoteles in Politicis suis quid tandem exigit à Principe vir ethnicus? num Nerei formam? aut Milonis vires? num Maximini proceritatem? num Tantali talenta? Nihil horum. Quid igitur? Summam & absolutam virtutem, in privatis contentus mediocritate.

Nemo
Princeps
bonus
nisi vir
bonus.

Si potes simul esse Princeps & vir bonus, fungere pulcherrimo munere, si minus, abiice Principem potius, quam ut ea gratia vir malus fias. Virum bonum invenire licet, qui bonum Principem non possit agere: At bonus Princeps esse non potest, qui non idem sit vir bonus. Quanquam nunc eo redierunt quoruadam Principum mores, ut hæc duo multum inter se pu-

se pugnare videantur, vir bonus,
& Princeps: Planeque stultum, &
ridendum habeatur in Principe,
boni viri facere mentionem.

Regem agere non potes, nisi te
ratio rexerit, hoc est nisi in omni-
bus consilium ac iudicium sequa-
ris, non animi cupiditatem. Nec
aliis potes imperare, nisi prius i-
pse parueris honesto.

Absit procul ab animo Princi-
pis vox illa plusquam tyrannica:
Sic volo, sic iubeo, sit pro ratio-
ne voluntas. Ac multo magis illa,
quaꝝ iam in publicam hominum
execrationem abiit: Oderint,
dum metuant. Tyrannicum, im-
mo fœmineum est animi libidi-
nem sequi, & pessimus diuturni-
tatis custos est metus.

Sit hoc perpetuum Principis
decreatum, lædere neminem, pro-
desse omnibus, præsertim suis,
mala vel tolerare, vel mederi, pro-
ut iudicabit in rem communem
expedire. Qui hunc animum non
affert ad Remp. tyrannus est, non
Princeps.

Voces in-
dignæ
Principis.

E 5 Si-

Siquis te pro Principe tyrannum, aut prædonem appelleret, nonne vehementer commoveberis, & atrocia parabis suppicia? Et merito. Est enim atrox, nec ullo pacto ferenda contumelia. At illud mihi iam cogites velim, quanto contumeliosior est in seipsum, qui volens talis est, quam ille prædicat: Nam gravius est esse furem, quam dicci, & atrocius est vitiare virginem, quam vitium exprobrare.

Benefa.
ctis pa-
ratur bo-
na fama.

Ut bene audias, id certissima consequeris via, si qualem te cupis prædicari, talem temetipsum exhibeas. Non est vera laus, quæ extorquetur metu, aut tribuitur ab adulatoribus. Et male agitur cum fama Principis, si huius præsidium in silentio minis indicto situm est. Iam ut maxime tua sileat ætas, certe loquitur posteritas. Quanquam quis unquam tam formidabilis fuit tyrannus, ut omnium linguas cohibere potuerit?

In primis cavendum Christiano
Prin-

Principi, quod graviter à Seneca scriptum est: Inter eos, qui reges appellantur, inveniri nonnullos, cum quibus si conferas Phalaridem, Dionysium, Polycratem, quorum & ipsa vocabula in omnium sæculorum abominationem abierunt, indigni sint, qui tyranni vocentur. Neque enim refert qua via, sed quo tendas. Qui ad commodum publicum spectat, rex est, qui ad suum, tyrannus. At quo tandem nomine censemus istos, qui suam felicitatem patriæ malis alunt, & re prædones agunt, nomine Principes, sed falsissimo?

Plato vetuit legibus suis ne quis Deum ullius mali causam diceret, propterea quod natura bonus sit ac beneficus. At Princeps Dei simulachrum quoddam est, si vere Princeps sit. Quantum igitur abhorrent ab hoc exemplari, qui sic rem gerunt, ut quicquid malorum in Rep. cooritur, id ipsorum vicio cooritur?

Nec Deus
nec Princeps nullus mali causa.

Nec audiendus est, si quis hic forte clamitet adulator: At istud est Principem in ordinem cogere. Immo qui Principi licere vult, quod honestum non sit, is eum in ordinem cogit. Quid enim est aliud Principem in ordinem cogerere, quam tales reddere, quale est hominum vulgus? ut iræ, ut libidini, ut ambitioni, ut avaritiæ serviat? Indignum vero facinus, & non ferendum, si hoc non licet Principi, quod non licet Deo. Non postulat sibi licere Deus, ut secus agat, quam honesti dictat ratio, quod si faceret, iam nec Deus esset. Proinde qui principi licere vult, quod pugnet cum natura ac ratione principis, is demum illum principis honore spoliatum unumquempiam è media plebe facit. Non pudeat Principem honesto parere, cui paret ipse Deus. Neque se putet minus esse Principem, si ad summi principis imaginem pro virili accesserit.

Hæc, atque huiusmodi boni
principes

Principis semina statim inserant in
rude pueri pectus hinc parentes,
hinc nutrices, hinc præceptor, hęc
volens discat, non coactus. Sic
enim convenit institui Principem,
qui liberis, ac volentibus sit im-
peraturus. Discat amare virtutem,
horrere turpitudinem, & ab inho-
nestis pudore, non metu coërc-
eatur. Et quanquam nonnulla
boni Principis spes in emendatis
moribus, ac moderatis affectibus
est sita, præcipua tamen est in re-
ctis opinionibns. Nam mores
malos aliquoties & pudor corri-
git, depravatos affectus vel ætas
emendat, vel admonitio. Cæte-
rum ubi persuasum est id cum vir-
tute coniunctum esse, quod pro-
cul abest ab honesto, & id egre-
gium esse Principis munus, quod
plusquam tyrannicum est, hoc est
ubi fontes sunt infecti, à quibus
omnes vitæ profiscuntur actio-
nes, tum difficillimum fuerit me-
deri. Proinde in hoc primam ac
præcipuam esse curam oportet in-
stituen-

stituentis (sicuti dictum est) ut
pravas vulgi opiniones penitus ex
animo revellat , si quæ forte inse-
derint , & salutares , christianoque
Principe dignas inferat .

*De adulazione vitanda
Principi.*

ATQUE ID FIERI NON POREST , NISI
modis omnibus arceantur
assentatores , cui pesti maxime ob-
noxia est magnorum Principum
felicitas . Iam ipsa ætatis simplici-
tas huic malo præcipue patet , par-
tim quod naturæ propensione
blandis magis gaudeat , quam ve-
ris , partim quod ob rerum impe-
ritiam quo minus suspicatur insi-
dias , hoc minus cavere novit .

Et ne quis hoc ceu leve malum
existimet negligendum , sciat flo-
rentissima summorum regum im-
peria linguis adulatorum fuisse
subversa . Nec usquam gravi ty-
rannide legimus oppressam Rem-
pub . ubi non præcipue partes
tragœ-

PRIN. CHRISTIANI. III
tragœdiæ fuerint assentatorum.

Perspectum habebat hoc Diogenes (ni fallor,) qui rogatus, quod esset animal omnium maxime noxiū, si de feris inquit sentis, tyranus, si de cicuribus, adulator.

Habet hæc pestis blandum quoddam venenum, sed adeo præsentaneum, ut olim hoc dementati Principes orbis domitores, nequissimis palponibus sese ludendos, & equitandos permiserint, & in omnium rerum dominos hiteterrimi homunculi libertini, nonnunquam & servi dominaabantur.

Primum igitur providendum erit ut nutrices adhibeantur, aut prorsus immunes ab hoc morbo, aut certe quam levissime obnoxiae. Nam ipse sexus solet huic malo peculiariter obnoxius esse, deinde plerumque nutrices in matrum abeunt affectus, quarum vulgus liberorum ingenia sæpen numero corrumpit indulgentia, immotum

Nutrices
Princi-
pis.

tum hoc genus quoad fieri potest
arcendum à futuro Principe, natu-
ra pene ipsa duobus maximis affi-
ne malis, stultitiae, & adulatio-
ni.

Sodales
Princi-
pis.

Proxima cura erit ut sodales ad-
iungantur ingenio liberali, & alio-
qui in hoc formandi ab eo, qui
instituit, ut comes sint citra adul-
ationem, ut ita consuescant ur-
bane loqui, nequid tamen in gra-
tiam fingant, aut mentiantur.
Nam de præceptore diligendo di-
ctum est.

Ministri
Princi-
pis.

Neque mediocre momentum
est in ministris, qui frequenter
obsecundant cupiditatibus pue-
rorum, vel ob stultitiam, vel quod
hinc emolumenti nonnihil ad se
rediturum sperent. Oportebit
igitur hoc quoad fieri potest cor-
datos, & integros ad id muneris
delegare, & insuper monitis ac
minis ab assentando deterrere, ac
rursum præmiis invitare, ut san-
cte suo fungantur officio. Qua qui-
dem in re magnopere conducet, si
qui

qui deprehensus fuerit hoc agere,
 ut allōquiis & obsequiis illibera-
 libus, Principis animum ad ea sol-
 licitet , quæ parum digna sunt
 Principe, is in aliorum exemplum,
 publice det pœnas , etiam capit is,
 si delicti modus hoc postularit.
 Neque hoc cuiquam crudele vi-
 deri debet , si cum furem , qui
 pauculos nummos forte nactus
 sustulit , capite puniamus , idque
 præter omnium legum veterum
 exemplum, de eo extremum su-
 matur supplicium , qui id inficere
 voluerit , quo nihil habet patria
 melius , aut preciosius. Quod si
 rei novitas obstat , quo minus
 persuaderi queat, (tametsi Alexan-
 der Romanus imperator Thuri-
 num fumi venditorem palo alli-
 gatum , subiectis viridibus lignis
 fumo necari iussit) arte fieri po-
 test, ut alia via paretur exemplum,
 si quis forte de alio quopiam capi-
 pitali facinore convictus erit , ta-
 men hoc titulo puniatur , quod
 Principis futuri mentem pesti-
 lenti

lenti adulazione corruperit. Si in
pœnis mali dati rationem cōvenit
expendere, plus lædit Remp. pe-
stilens adulator, qui primam il-
lam Principis ætatem tyrannicis
opinionibus corruptit & inficit,
quam qui publicum ærarium ex-
pilarit.

Omnis
adulan-
tur Prin-
cipi.

Atque utinam saltem apud Chri-
stianos minus verum esset illud
Carneadis apophthegma, qui ne-
gavit quicquam recte disci à re-
gum filiis, præter artem equitan-
di, quod cæteris in rebus omni-
bus omnes obsecundent, & assen-
tentur. At unus equus quoniam
haud intelligit patricius insideat
an plebeius, dives an pauper, Prin-
ceps an privatus, ergo excutit,
quicunque parum scite insederit.
At nunc sæpen numero videmus fie-
ri ut non nutrices solum, ac soda-
les, ministrique Principum liberis
aduleantur, verum & ipse præce-
ptor, moderatorque pueritiae
suum agat negotium, non hic
spectans ut Principem dimittat
melio-

PRIN. CHRISTIANI. 115
meliorem, sed ut ipse discedat lo-
cupletior. Ad gratiam non raro lo-
quuntur & ii, qui de rebus sacris
concionantur, aucupantes Prin-
cipis, & aulicorum favorem, aut
siquid reprehendunt, ita mordent,
ut tum maxime adulentur. Non
hæc loquor, quod istos probandos
existimem, qui seditiosis clamori-
bus debacchantur in vitam Prin-
cipum, sed quod ab his citra con-
tumeliam boni Principis exem-
plar proponi cupiam, nec probati
per assentationem in Christiano
Principe, quæ in ethnicis damna-
runt ethnici. Neque libere mo-
nent magistratus, neque satis ami-
ce consulunt consiliarii. Nam pro-
ceres, quoniam fere studiis inter-
se dissentunt, certatim omnes
Principis favorem ambiunt, vel
quo premant adversarium, vel ne
quam ansam nocendi ministrent
inimico. Adulantur sacrifici, af-
sentantur medici. Nam ab ora-
toribus aliunde missis meras au-
dire laudes iam ubique solenne est.

Super-

Supererat una sacra anchora , quæ
& ipsa sæpen numero fallit , nimi-
rum ii , quos vulgus confessores re-
gios vocat . Ii certe si integri fo-
rent , ac prudentes , certe in illo
altissimo secreto possent amanter
ac libere monere Principem . Ve-
rum plærumque fit ut dum suis
quisque commodis studet , publi-
cæ utilitatis rationem negligat . Ac
minus quidem ledunt poëtæ , rhe-
toresque , quorum nemini jam
ignotum est institutum , Princi-
pum laudes non ex ipsorum meri-
tis , sed ex suo metiri ingenio . Lon-
ge pestilentius est Magorum , ac
divinorum genus , qui regibus
longævitatem , victorias , trium-
phos , voluptates , & imperia pol-
licentur . Rursum aliis subitam
mortem , cladem , molestiam , exi-
lium mirantur , abusi ad id spe me-
tuque duobus præcipuis humanæ
vitæ tyrannis . Ad hunc ordinem
pertinent prognostæ , qui ex astris
futura præfagiunt , quorum an ulla
sit ars , non est huius loci discute-

re.

PRIN. CHRISTIANI. 117
re. Certe ut nunc vulgo utuntur,
non mediocrem pestem affert re-
bus humanis.

Sed est omnium pestilentissi-
mum adulatorum genus, qui spe-
cie libertatis assentantur, ac miro
quodam artificio dum repugnant,
impellunt, dum obiurgant, lau-
dant. Hos mire depinxit Plutar-
chus in libello, cui titulum fecit,
quomodo dignosci possit amicus
ab adulatore.

Dissimu-
latum a-
dulatio-
nis ge-
nus.

Sunt autem duæ ætates, quæ
potissimum expositæ sunt adula-
tioni, pueritia, ob rerum insci-
tiam, & senectus, ob animi imbe-
cillitatem, in quavis autem æta-
te stultitia, quæ semper philau-
tiam comitem dicit. At recte mo-
nuit Plato periculosissimum esse
adulandi genus, cum quis ipse si-
bi palpo est, & ob id sese facile præ-
bet aliis idem agentibus, quod
ipse iam sua sponte agebat.

Sibi
qui que
adulatut,

Est tacita quædam adulatio &
in picturis, statuis, ac titulis. Sic
Alexandro magno adulatus est

Apelles

Picturæ
adulatri-
ces.

Apelles, pingens eum fulmen ma-
nu torquentem. Et Octavius A-
pollinis effigie pingi gaudebat.
Eodem pertinent immanes Colos-
si, quos olim Imperatoribus eri-
gebant supra modum humanæ
magnitudinis. Fortassis hoc ali-
cui leviculum videbitur, sed est
non nihil & in hoc momenti, ut
Principem eo cultu, habituque re-
presentent artifices, qui sapiente
gravique Principe maxime dignus
sit. Et præstat aliquid agentem
effingere, quod ad Remp. attineat,
quam otiosum, velut Alexandrum
in cognoscendis causis alteram au-
rem manu opposita claudentem.
Aut Darium malum punicum te-
nentem, aut Scipionem sponsam
iuveni intactam restituentem, au-
ro quod offerebatur reiecto. Hu-
iusmodi salutaribus picturis decet
ornari Principum aulas, non iis,
quæ lasciviam, fastum, aut tyran-
nidem doceant.

Tituli
Princi-
pis.

Iam in titulis haud equidem
negarim Principi suum honorem
esse

esse tribuendum, malim tamen eiusmodi, qui non nihil admonent Principem officii sui, hoc est malim integerrimum, incorruptissimum, sapientissimum, clementissimum, beneficentissimum, cordatissimum, vigilantissimum, moderatissimum, patriæ studiosissimum vocari, quam inclytum, invictissimum, triumphatorem, semper augustum, ut ne commemorem interim celsitudines, sacras maiestates, divinitates, & his etiam adulantiores titulos. Probo morem, quo nunc Romanum Pontificem sanctissimi titulo honorant. Dum enim hæc audit assidue, commonefit quid ab illo præstari oporteat, & quid in illo sit pulcherrimum, non si ditissimus sit, aut latissime imperet, sed si sanctimonia præcellat.

Quod si vitari non potest quo minus hæc audiat nonnunquam Princeps vel invitus, tamen haud oportet dissimulare, quibus magis delectetur. Alexander Severus usque

Quomo-
do abu-
tendum
titulis fo-
lenni-
bus.

que adeo fertur invisos habuisse adulatores omnes, ut si quis salutasset abiecius, aut adulantius inflexisset caput, protinus cum convicio submoveret hominem. Quod si dignitas aut magistratus quempiam à convicio vindicasset, hunc vultus austeritate castigabat.

Præmonendus est igitur puer ut hos titulos, quos audire cogitur, in suum sibi vertat commodum. Audit pater patriæ. Cogitet nullum unquam titulum Principibus additum, quam patris patriæ, qui magis proprie quadraret in bonum Principem. Id igitur sibi agendum, ut hoc titulo dignus appareat. Ita si cogitat, admonitio fuerit, sin secus, adulatio.

Invictus dicitur, cogitet quam sit absurdum invictum dici, quem vincit iracundia, qui quotidie servit libidini, quem captivum quolubet dicit, agitque ambitio. Eum demum vere invictum esse, qui nulli cedit affectui, nec ulla re-

rum

PRIN. CHRISTIANI. 121
rum specie ab honesto potest de-
flecti.

Cum Serenissimus appellatur,
succurrat Principis esse officium
omnia tranquillare, omnia com-
ponere. Quod si quis per ambitio-
nem aut iram, seditionibus ac bel-
lorum tempestatibus perturbat, ac
miseret universa, hunc titulus Se-
renissimi non ornat, sed vitium il-
li suum exprobatur.

Cum dicetur Inclytus, cogiter
nullum esse verum decus, nisi
quod à virtute, recteque factis
proficiuntur. Quod si quem con-
spurcat libido, contaminat avari-
tia, fœdat ambitio, quid aliud est
Incliti cognomen, quam admoni-
tio, si quis erret imprudens; con-
victum, si prudens peccet?

Cum audiet regionum titulos,
non statim cristas erigat, veluti
tantarum rerum dominus, sed sic
cogiter, quam multis bonum Prin-
cipem debeo.

Si celsitudines, maiestates, di-
vinitates ingeret aliquis, memi-

F nerit

nerit hæc non competere , nisi in
cum, qui ad Dei exemplum admi-
nistret imperium , cœlesti qua-
dam animi magnitudine.

Cum audiet solennes panegyri-
cos, ne protinus credat aut faveat
suis laudibus, sed si talis nondum
est, qualis prædicatur, admoneri
se cogitet, detque operam ut iis
laudibus aliquando respondeat. Si
talis iam est, adniti debet ut seipso
melior evadat.

*Leges a-
dulatri-
cces.*

Quin ipsas etiam leges oporten-
tit habere suspectas. Assentantur
& hæ nonnunquam Principi , ni-
mirum vel collectæ , vel conditæ
ab his , qui regibus aut imperato-
ribus erant addicti. Cum negant
Principem teneri legibus, cum se-
met illi submittunt, cum ius in o-
mnia tribuunt , caveat ne statim
putet sibi licere quicquid animo
collibuit. Bono Principi tuto per-
mitti possunt omnia , mediocri-
non omnia , malo nihil.

*Libri li-
bere mo-
trius Phalercus ad evolvendos
ment.* Ac prudenter quidem Deme-
trius Phalercus ad evolvendos
libros

libros invitat, quod sæpenumero quæ non ausint admonere Principis amici, ex his cognoscat. Verum ad hoc prius Antidoto præmuniendus est, ad hunc modum. Hic, quem legis, ethnicus est, tu, qui legis, Christianus. Hic cum multa præclare dicat, tamen exemplar boni Principis parum recte adumbravit, cave ne quicquid usquam offenderis, id protinus tibi putas imitandum. Sed omnia ad Christi regulam exigito.

Ac primum quidem delectus habendus in auctoribus. Plurimum enim refert quos libros primum legat, & imbibat puer. Inſciunt animos colloquia mala. At non minus lectio mala. Abeunt enim in mores, & in affectus multæ illæ literæ, præsertim si noctæ sint ingenium ad morbum aliquem proclive, veluti puer natura ferox, ac violentus, haud magno negotio commovebitur ad tyrannidem, si non præmunitus Antidoto Achillem, aut Alexan-

drum magnum, aut Xerxem, aut
Julium legerit.

At hodie permultos videmus
Arcturis, Lauslotis, & aliis id ge-
nus fabulis delectari, non solum
tyrannicis, verum etiam prorsus in-
cruditis, stultis, & anilibus, ut
consultius sit in Comœdiis, aut
poëtarum fabulis horas colloca-
re, quam in eiusmodi deliramen-
tis.

Quod quis meo velit uti con-
filio, statim à tradita loquendi ra-
tione, proponet Proverbia Solo-
monis, Ecclesiasticum, & librum
Sapientiæ, non ut puer ab obsten-
tatore interprete quatuor illis sen-
sibus torqueatur, sed ut paucis ac
commode commonstret, si quid ad
boni Principis officium pertinet.
Cum primis autem inferendus est
amor & auctoris, & operis. Regno
destinatus es? Hic regnandi docet
artem. Regis es filius, rex futu-
rus? Audies regem omnium sa-
pientissimum, quid doceat filium
suum, quem ad regni successio-
nem

nem præparat. Mox euangelia. Et hic magni refert, quibus modis ad amorem auctoris, & operis inflammetur animus pueri. Non parum etiam situm erit in dexteritate & commoditate interpretantis, ut breviter, ut dilucide, ut plausibiliter etiam ac vivide doceat, non omnia, sed quæ potissimum ad Principis munus attinent, quæque ad perniciosissimas vulgarium Principum opiniones ex animo revellendas faciunt. Tertio loco Plutarchi apophthegmata, deinde moralia. Nihil enim his sanctius potest inveniri: cuius & vitas proponi malim, quam cuiusquam alterius. Plutarcho proximum locum facile tribuerim Senecæ, qui scriptis suis mire extimular, & inflamat ad honesti studium lectoris animum, à fordinis curis in sublime subvehit, peculiariter ubique dedocens tyrannidem. Ex Politicis Aristotelis, ex officiis Ciceronis permulta decerpere licebit non indigna cogni-

tu. Sed sanctius hisce de rebus locutus est Plato, mea quidem sententia, & hunc ex parte secutus Cicero in libris de legibus. Nam de Rep. interciderunt.

*Historici
quomodo
legendi.*

Iam vero non negaverim ex historicorum lectione præcipuam colligi prudentiam, verum ex iisdem summam perniciem hauries, nisi & præmunitus, & cum delectu legeris, Vide ne tibi impo- nant celebrata seculorum consen- su nomina scriptorum, aut ducum Herodotus, Xenophon, uterque gentilis fuit, & plerumque pessi- mum proponunt Principis exem- plar, etiam si in hoc ipsum scripse- runt historiam, ut aut delecta- rent narratione, aut egregii ducis imaginem effingerent. Salustius, Livius multa quidem præclare, addo, erudite omnia, sed non omnia probant, quæ narrant, & quæ- dam probant haud quaquam pro- banda Principi Christiano. Cum Achillem audis, cum Xerxem, Cy- rum, Darium, Iulium, ne quid te rapiat

rapiat magni nominis præstigium. Magnos ac furiosos latrones audis. Sic enim illos aliquoties vocat Seneca.

Et tamen siquidem horum gestis inciderit dignum bono Principe, id curabis ceu gemmam è sterquilinio colligere. Nullus enim unquam fuit tyrannus usque adeo illaudatus, qui non aliqua miscuerit, quæ si virtute gesta non sint, certe ad virtutis exemplum queant accommodari. Per multa sunt in Phalaridis epistolis, quæ sancto quoque rege videantur non indigna. Et satis regaliter in Perilum crudelitatis instigatorem, suum retorsit inventum. Per multa furiose Alexander, sed recte à Darii mulieribus captivis abstinuit. & recte mulierem reduci domum iussit, ubi sensit esse coniugatam. Hæc igitur è multis erunt excerpenda, & vehementius accendunt ethnicorum, aut illaudatorum hominum exempla. Si sic sibi temperavit tyrannus, & à

Quomo-
do & ma-
la exem-
pla ver-
tenda in
bonum.

Christo alienus , si iuvenis & vi-
ctor hanc sanctimoniam præsttit
hostium fœminis , quid me facere
convenit erga meas Principem
Christianum ? Si tantum fuit a-
nimi mulierculæ , quid à viro præ-
stari decet ? Si id probro datum
est ethnico Principi , & ab ethni-
cis , quanto studio mihi vitan-
dum , Christi religionem profi-
tenti ?

Porro quibus rationibus oportet
exemplum per amplificatio-
nem conferre , satis opinor indi-
cavimus in libello de Copia re-
rum. Cæterum & vitiosa exem-
pla in bonum deflecti possunt. C.
Cæsar is industria m , & animi sub-
limitatem , quam ille male præsti-
tit ambitioni , tu bene impende
patriæ commodis. Clementiam ,
quam ille simulavit ad parandam ,
fulciendamque tyrannidem , tu ex
animo adhibe ad conciliandam
civium tuorum in te charitatem.

Quin pessimorum principum
exempla nonnunquam magis ac-
cendunt

PRIN. CHRISTIANI. 129
cendunt ad virtutem, quam optimorum, aut mediocrium. Quem enim non avocet ab avaritia Titi Vespasiani Vectigal è lotio collectum, & fædissimo facto par dictum, Lucri bonus est odor ex re qualibet? Et execranda vox Neronis, qua solet mandare magistratus: Scis quid mihi sit opus. &, Cura nequis quid habeat? His rationibus fieri, ut quicquid obvium fuerit in historiographis, vertatur in exemplum recte agendi.

E tanta ducum turba fac optimos tibi deligas, velut Aristidem, Epaminondam, Octavium, Traianum, Antonium pium, Alexandrum Mameam, nec hos tamen ita, ut totos velis exprimere, sed quod in optimis sit optimum, id tibi deligas. Alioqui est quod vites etiam in David, ac Salomone, regibus à Deo laudatis.

Alioqui quid fingi possit insanius, quam hominem Christi sacramentis initiatum, Alexandrum, Iulium, aut Xerxem sibi

Ex optimis optimis imitanda,

F 5 propo-

proponere, quorum vitam incessanter etiam ethnici scriptores, si quibus iudicium fuit paulo sanius? A quibus ut superari turpis simum est, siquid recte gesserunt, ita totos imitari velle Christianum Principem, extremæ dementiae sit.

Vetus instrumentum quomodo legendum.

Præmonendus est Princeps, ut nec ea, quæ in sacris voluminibus legerit, continuo putet imitanda. Discat hebræorum pugnas, & cædes, immanitatem in hostes, ad allegoriam esse vocanda. Alioqui pestiferam esse horum lectionem. Longe aliud permisum pro ratione temporis illi populo, aliud traditum cœlesti populo Christianorum.

Quoties Princeps librum sumet in manum, hoc animo samat, non ut delectetur, sed ut melior à lectione discedat. Facile invenit unde reddatur melior, qui hoc vehementer studet ut melior fiat. Magna pars bonitatis est velle bonum fieri, veluti qui morbum ambitio-

PRIN. CHRISTIANI. 131
ambitionis, aut iracundiæ, aut libidinis agnoscit, & odit, & in hoc explicat librum, quo malo suo medeatur, is facile reperit quo molestiam vel depellat, vel leniat. A nullis auditur verum syncerius, aut commodius, neque minore pudore, quam à libris. Sed tamen sic amicos assuefaciat Princeps, ut qui libere monent, intelligent se gratiam inire. Est hoc quidem eorum, qui cum Principe consuetudinem agunt, ut in tempore, ut commode, ut amice moneant, sed tamē conveniet etiam parum dextre monentibus ignoscere, ne recte monituri ullo exemplo deterreantur ab officio.

In gravi tempestate quantumvis docti nautæ patiuntur sese à quovis admoneri. At regno nunquam deest tempestas. Quis satis laudarit Philippi Macedonum regis civilem prudentiam, qui liberum esse iussit eum, à quo clam submunitus est quod pallio subducto in genu parum decore sederet. Quod

F 6 ille

Quomo-
do mo-
nendus
Princeps.

ille fecit in re levicula, id multo magis faciendum Principi in rebus patriæ periculosissimis, velut in suscipiendis peregrinationibus, in novandis legibus, in pangendis fœderibus, in movendo bello.

Artes Pacis.

IAm tametsi prisci scriptores universam administrandæ Reip. rationem in duplices artes secuerunt, pacis & belli, & prior & præcipua cura debet esse Principis instituendi in his rationibus, quæ ad pacis tempora sapienter moderanda pertinent, quibus hoc pro virili conandum est, ne belli munis unquam sit opus.

Princeps suos nosse debet. Qua quidem in re videtur illud in primis docendus Princeps, ut ditionem suam norit. Id quod tribus rebus potissimum consequitur, geographia, historia, & crebra regionum & urbium lustratione. Studeat igitur in primis regionum, ac civitatum situm, originem,

ginem, ingenium, instituta, con-suetudines, leges, annales, ac pri-vilegia cognoscere. Nemo potest mederi corpori, nisi cognito: ne-mo recte colit agrum, quem non novit. Atque hæc diligentissime curat tyrannus, sed animus, non res distinguit bonum Principem. Inquirit corporis rationem medi-cus, quo facilius subveniat, inqui-rit & veneficus, sed quo certius occidat.

Proximum, ut amer eam regio-nem, cui imperat, nec aliter in eam sit affectus, quam in avitum fundum bonus agricola, aut in suam familiam vir bonus. Et illud in primis studio habeat, ut acce-ptam reddat meliorem, cuicun-que successori traditurus. Silibe-ri sunt, persuadeat patri pietas in filios; si minus, persuadeat Prin-cipi pietas in patriam: ac sibi sub-inde ceu faces admoveat ad exci-tandam in suos charitatem. Cog-i-tet regnum nihil aliud esse, quam ingens quoddam corpus, cuius ipse

Amor
Principis
in suos,

ipse membrum aliquod insigne sit. dignos esse favore, qui suas fortunas omnes, qui suam incolumitatem unius fidei commiserint. frequenter ingerat sibi eorum exempla, quibus civium suorum commoditas ipsa vita fuit antiquior. Postremo fieri non posse, ut Princeps noceat Reip. quin ipse sibi noceat.

Civium
erga Prin-
cipem be-
nevolen-
tia.

Deinde modis omnibus dabit operam ut vicissim ametur à suis, sed ita, ut nihilo secius auctoritate polleat apud eosdem. Ac benevolentiam stultissime quidem incantamentis, & anulis magicis sibi conciliare nituntur, cum nullum sit incantamentum efficacius ipsa virtute, qua nihil esse potest amabilius, & ut ipsa vere bonum est, & immortalis, ita veram & immortalem comparat homini benevolentiam. Proximum huic philttron, ut amer qui cupiat redamari, ut eadem via sibi adiungat cives suos, qua Deus sibi conciliat universos, nempe bene merendo.

Fallun-

Falluntur & hi, qui largitionibus, epulis, prava indulgentia sibi multitudinis animos conciliant. Et paratur hisce rebus nonnulla popularis gratia potius, quam benevolentia, verum ea neque vera, neque duratura. Alitur interea mala populi cupiditas, quæ posteaquam, ut fit, in immensum increvit, iam nihil satis esse putat, & tumultuatur, nisi per omnia cupiditatibus respondeatur. Atqui istud est corrumpere tuos, non conciliare. Et his rationibus solet usu venire Principi in populo, quod stultis maritis solet, qui uxorum amorem, quem virtute & recte factis parare oportuit, blanditiis, muneribus, & obsequiis ebulandiuntur. Fit enim denique ut nec amentur, ut pro frugi ac bene moratis fastidiosas habeant & intractabiles, pro mogeris querulas & obstreperas. Aut quod evenire solet mulierculis, quæ viros suos beneficiis ad amorem adigere nituntur, ut pro sanis habeant dementes.

Pri-

Quomo-
do pa-
randap
poli be-
nevolen-
tia. Primum discat uxor quomodo,
& quibus nominibus sit amandus
maritus, deinde ille talem præstet,
qui recte possit amari. Ita popu-
lus assuescat optimis, & Princeps
quod optimum est, præstet. Diu
diligent, qui iudicio diligere cœ-
perint.

In primis igitur qui volet ama-
ri à suis, eum præstet Principem,
qui mereatur amari: deinde non-
nihil profuerit tenere rationem,
quo commodius irrepat in ani-
mos omnium. Hoc primum agat
Princeps, ut qui sunt optimi, opti-
me de se sentiant, & ab illis pro-
betur, qui sunt omnibus probati.
Hos habeat familiares, hos in
consilium adhibeat, hos ornet
honoribus, hos plurimum apud
se valere patiatur. Ad hunc mo-
dum compendio fiet, ut omnes
de Principe quam optime sentiant,
qui fons est omnis benevolentiae.
Novi Principes per se non ita ma-
los, qui non ob aliud in odium pu-
blicum venerint, nisi quod ni-
mium

mium licere paterentur iis , de quibus universa multitudo male sentiebat , ex horum moribus Principum ingenium æstimante populo.

Equidem optarim Principem natum & educatum apud eos, qui-
bus sit imperaturus , quod opti-
me coeat & coalescat amicitia,
quoties à natura proficiscitur ini-
tium benevolentiae. Vulgus &
bona ignota horret, oditque. con-
tra, mala nota nonnunquam a-
mantur. Ea res geminum afferet
commodum. nam & Princeps
propensior erit in suos, & omni-
no magis pro suis habebit, & po-
pulus magis ex animo favebit , &
lubentius agnosceret suum Princi-
pem. Et hac de causa non perinde
mihi probantur receptæ iam Prin-
cipum cum exteris , & maxime
cum semotis nationibus affinita-
tes. Magnam vim ad benevolen-
tiam conciliandam habet genus ,
& patria , & veluti quidam com-
munis utrisque genius. Huius
bonam

Princeps
natus &
educatus
apud
suos.

138 INSTITUTIO
bonam perire partem necesse est,
germanum illum ac nativum affe-
ctum confundente matrimonio-
rum mistura. Verum ubi natura
mutuae charitatis fecit initium,
ibi convenier eam cæteris item
rationibus augere & confirmare.
Ubi secus est, ibi tanto sollicitius
adnitendum, ut mutuis officiis, &
moribus favore dignis benevolen-
tia colligatur, Sed quod fit in con-
iugiis, ut initio uxor obsequatur
viro, & vir nonnihil concedat &
indulgeat uxoris ingenio, donec
utroque alteri cognito, paulatim
coalescat amicitia, idem fieri con-
venit in Principe aliunde ascito,

Mithri-
dates.

Mithridates omnium gentium,
quibus imperabat, linguas edidi-
cerat, quas numero viginti duas
fuisse proditum est. Alexander

Alexan-
der ma-
gnus.

magnus apud quantumvis barba-
ras nationes agens, initio cultum
& mores imitabatur, hac via se-
se in illorum insinuans benevo-
lentiam. Idem laudatum est in Al-
cibiade.

Alcibia-
des.

Nihil

Nihil æque multitudinis animum alienat à Principe, quam si foris agere gaudeat, quod negligi videatur ab eo, cui præcipue vellet esse curæ. Tum quod exigitur, quoniam alibi consumitur, perire sibi putat, nec Principi dari vectigal interpretatur, sed alienis prædam obiici. Proinde neque patriæ quicquam molestius aut perniciosius, neque Principi periculosius, quam longinquæ peregrinationes, præsertim si diutinæ sint.

Nam ea res omnium opinione, & Philippum nobis ademit, & non minus affixit ditionem illius, quam bellum tot iam annos cum Ghelriis gestum.

Ut inter apes rex medio agmine cingitur, nec usquam provolat, ut cor in meditullio corporis, ita convenit Principem semper obversari inter suos.

Duæ potissimum res sunt (ut in Politicis tradit Atistoteles) quæ subvertunt imperia, odium, & contemptus. Odio opponitur benevo-

Præceps
in medio
fuerum.

nevolentia , contemptui auctori-
tas. Itaque Principis partes erunt
diligenter observare quibus hæc
parentur , illa vitentur. Odium
conflatur sævitia , violentia, con-
tumeliis, morositate, difficultate,
rapacitate. Et facilius concitatur
odium , quam excitatum place-
tur. Modis omnibus igitur caven-
dum bono Principi , ne qua occa-
sione à caritate suorum excidat.
Crede mihi magno satellitio nu-
datur , qui favore populi desti-
tuitur. Contra, benevolentia mul-
titudinis conciliatur his moribus
(ut dicam in genere) qui pluri-
mum absint à tyrannide , clemen-
tia , comitate , æquitate , civilita-
te , benignitate. Benignitas exti-
mulat ad officium , præsertim si
conspexerint iis esse præmium a-
pud Principe in , qui de Rep. bene-
mereantur. Clementia , male sibi
conscios invitat ad meliorem fru-
gem , dum veniæ spem ostendit
iis , qui superioris vitæ errata no-
vis officiis studeant pensare , grata
inte-

PRIN. CHRISTIANI. 14^t
interim & integerrimis contem-
platione naturæ humanæ. Civili-
tas ubique aut amorem gignit,
aut certe lenit odium, verum ea in
magnō Principe longe gratissima
multitudini.

Contemptus potissimum con- Contem.
trahitur studio voluptatum, libi- ptus un-
dinis, vinolentiæ, comissatio- de.
num, aleæ, morionum, scurra-
rum, tum autem stultitia, socor-
diaque. Et his diversis rebus pa-
ratur auctoritas, prudentia, inte-
gritatem, temperantia, sobrietate, &
vigilantia. His igitur rebus sese
commodet Princeps, qui vere cu-
piat auctoritate pollere apud suos.

At ridicule quidam ita se magni habendos credunt apud suos, si strepitū, cultū, luxuque sese quam maxime ostentent. Quis enim magnum putat Principem auro, aut gemmis ornatum, cui norunt omnes tantum esse, quantum vult? Et interim, quid aliud ostentat, quam calamitatē suorum ci- vium dispendio hunc alentium lu-
xum?

xum? Denique quid aliud docet
hac ratione suos, nisi seminarium
scelerum omnium?

Vita
Princi-
pis.

Sic colatur, sic vivat bonus Princeps, ut ex huius vita cæteri proceres, ac cives frugalitatis ac sobrietatis exemplum capere possint.

Sic agat domi, ut nullius interventu deprehendi possit. Et foris haud decet usquam Principem conspicere, nisi semper aliquid agitantem, quod ad publicam faciat utilitatem.

Oratio
Princi-
pis.

Ex oratione certius, quam ex amictu Principis animus cognoscitur. Spargitur in vulgus quicquid ab ore Principis fuerit exceptum. Proinde summam oportet esse curam, ut ea, quæ loqui-rur, virtutem sapient, & mentem bono Principe dignam præseferant. Nec prætereundum est Aristotelis hac in re consilium, ut Princeps, qui volet odium suorum effugere, ac benevolentiam alere, quæ sunt odiosa, deleget aliis,

aliis, quæ plausibilia per se faciat,
Hoc pacto magna pars invidiæ
defluet in eos, per quos res admi-
nistratur, præsertim si fuerint &
alias invisi populo. Rursus in be-
neficiis solida gratia ad unum Prin-
cipem pertinebit.

Addam & illud, conduplicari ^{Quomo-}
beneficii gratiam, si cito, si ala-^{do dan-}
criter, si ultro detur, & si verbis a-^{dum aut}
amicis commendetur. Quod si ^{negan-}
quid negandum erit, id blande,^{dum be-}
placideque fieri conveniet. Siquid
puniendum, minuendum nonni-
hil de præscripta legibus pœna, &
ita sumendum supplicium, ut ap-
pareat Principem hoc invitum de-
scendisse.

Neque satis est, si Princeps suos
unius mores integros & incorru- ^{Ministri}
ptos præstet Reip. Non minus ad- ^{& amici}
nitendum ut quoad licet univer- ^{Princi-}
sam suam familiam, proceres, a-
micos, ministros, magistros sui
similes habeat. Hi membra sunt
Principis, & horum sceleribus
confatum odium in ipsum redun-
_{principi} ^{dat}

144 INSTITUTIO
dat Principem. At istud difficili-
mum inquiet aliquis. Facilius fue-
rit, si curet optimos in suam fa-
miliam allegere. Deinde si fecerit
ut hi intelligant ea maxime pla-
cere Principi, quæ maxime sint
in rem populi. Alioqui fit sæpenu-
mero ut negligente, aut etiam
connivente ad ea Princeps scelera-
tissimi homines sub prætextu Prin-
cipis tyrannidem exerceant in
plebem, & dum videntur illius a-
gere negotium, pessime consu-
lunt eius nomini.

Apo-
phthe-
gma.

Alioqui tolerabilior est Reip.
status, ubi Princeps ipse malus est,
quam ubi Principis amici mali. U-
num tyrannum utcunque ferimus.
Quandoquidem unius avaritiam
facile populus explet, unius libi-
dini, non magno uegetio fit satis,
unius sævitiam satiare licet. At tot
tyrannos explere gravissimum est.

Novitas
omnis
periculu-
sa.

Omnis novatio quoad fieri po-
terit, fugienda Principi. Nam et-
iam si quid in melius commutetur,
tamen ipsa novitas offendit. Nec
unquam

PRIN. CHRISTIANI. 145
unquam sine tumultu commutatus est vel Reip. status, vel publica civitatis consuetudo, vel leges olim receptæ. Proinde siquid erit eiusmodi, ut ferri possit, non erit innovandum, sed aut tolerare conveniet, aut commode ad meliorem usum deflectere. Rursum siquid erit eius generis, ut tolerandum non sit, id erit corrigendum, sed arte ac paulatim.

Permagni refert quem scopum sibi proponat is, qui gerit Principatum: nam si parum recte destinarit, tota aberret via necessum est. Summum igitur boni Principis decretum esse debet ut non solum tueatur præsentem Reip. felicitatem, verum etiam florentiorem reddat, quam acciperit.

Cæterum cum tria sint bonorum genera (ut Peripateticorum more loquamur) videlicet, animi, corporis, & externa, cendum erit ne horum ratio præpostere habeatur, ut civitatis felicitatem

Scopus
Principis.

Præpo-
steria bo-
norum
ratio.

G

tatem

tatem externis illis bonis potissimum metiatur. Nam hæc quidem non oportet alio pacto compare, nisi quatenus ad animi, corporisque bona pertineant. Hoc est, ita demum existimet cives suos esse felicissimos, non si ditissimos habeat, aut optima corporis valedudine, sed si iustissimos ac temperatissimos, si quam minime cupidos, si quam minime ferores, aut factiosos, si quam maxime concordes.

Cavendum & illud, ne pulcherrimarum rerum falsis vocabulis decipiatur, quo quidem è fonte quicquid est malorum in urbe, ferescater, ac proficiscitur. Neque enim vera felicitas est, cum populus otio, luxuque diffilit, neque vera libertas, ubi cuique quod libuit, licet. Nec servitus est, ad legum honestarum præscriptum vivere, neque tranquilla Resp. cum ad omnem Principis nutum obsecundat populus, sed cum bonis paretur legibus, & Principi

Abusus
vocabu-
lorum.

PRIN. CHRISTIANI. 147
cipi bene consulenti iuxta le-
gum dictamen. Nec æqualitas
est , idem omnium præmium ,
idem ius, idem honos. Immo hæc
est nonnunquam summa inæqua-
litas.

Illud in primis admonendus est Princeps gubernaculis admove-
dus, principuam Reip. spem sitam
esse in recta educatione puerorū ,
id quod prudenter docuit Xeno-
phon in institutione Cyri. Nā ru-
dis ætas ad quamvis disciplinam
sequax est. Proinde cum primis
habenda cura de ludis publicis ac
privatis , de virginum institutio-
ne, ut statim sub optimis & incor-
ruptissimis præceptoribus simul &
Christum imbibant , & honestas
literas, Reisque pub. salutares. Hac
ratione fiet ut non sit opus multis
legibus , aut suppliciis , nimirum
civibus suapte sponte quod rectum
est , sequentibus.

Tantam vim habet educatio, ut
Plato scripserit hominem recte in-
stitutum in divinum quoddam

animal evadere. Contra, perperam educatum in immanissimam quandam degenerare beluam. Nihil autem magis refert Principis, quam ut cives suos habeat quam optimos. Danda erit igitur opera ut protinus assuecant optimis, propterea quod quævis musica suavissima est assuefactis. Et nihil est difficilius, quam revellere hominem ab his, quæ longo iam usu in naturam abierunt. Nihil autem horum fuerit admodum difficile, si Princeps ipse quæ sunt optima, sequetur.

Tyrannidem sapit, immo sycophanticum est, ita tractare plebem, ut immanem aliquam beluam tractare solent bestiarii, quibus id in primis studio est, ut observent, quibus rebus deliniatur, aut irritetur, deinde utcunque commodum videtur commovent, aut demulcent, ut graviter dictum est à Platone. Nam istud est abuti plebis affectibus, non illi consulere.

Consu-
lendum
plebi
non ab-
utendum
illius af-
fectibus.

Quod

Quod si populus erit intractabilis, & suo ipsius bono repugnans, Aliqua-
tum aut obsecundandum erit ad do obse-
tempus, & paulatim ad tuum in- cunda-
stitutum inducendus vel arte qua- dum po-
piam, vel fuco salutari. Quem- pulo.
admodum vinum cum babitur,
primum paret, donec sensim illa-
psum venis totum hominem in
suum ius rapiat.

Etsi nonnunquam negotiorum procellæ, & opiniones publicæ Principem nonnihil revocant ab instituto, cogiturque servire tem- pori, tamen haud desinet, quoad potest reniti, & quod hac non suc- cessit, alia conari via.

De vestigalibus & Exactio- nibus.

Si quis excutiat veterum annales, reperiet plerasque seditiones ex immodicis exactiōibus ortas fuisse. Proinde curādūni erit bono Principi ut quam min-
imum irritentur hisce rebus animi

G. 3 ple-

150 INSTITUTIO
plebis. Gratuito si potest, impec-
ret. Sublimius est Principis offi-
cium, quam ut mercenarium esse
deceat. Et bonus Princeps habet,
quicquid cives possident aman-
tes.

Princeps
conscien-
tia recte
factorum
conten-
tus.

Fuere complures ethnici, qui
ex rebus bene pro Repub. gestis
nihil in ædes suas intulerunt, præ-
ter gloriam. Fuit unus & alter, qui
hanc quoque contempserit, velu-
ti Fabius Maximus, & Antoninus
pius. Quanto magis oportet Chri-
stianum Principem conscientia
recti contentum esse? præsertim
cum ei militet, qui nullum recte
factum non amplissimis præmiis
repensat?

Sunt quidam, qui nihil aliud
agant apud Principes, quam ut
novis subinde titulis repertis
quamplurimum emungatur à po-
pulo, ac tum se Principum rebus
probe consulere credunt, perinde
quasi hostes sint suorum civium.
Atqui hos, qui libenter audit, is-
sciatis se à Principis vocabulo pluri-
mum abesse.

Hoc

PRIN. CHRISTIANI. I^{si}

Hoc potius studendum, & in hoc excogitandæ rationes, ut quam potest minimum exigatur à populo. Commodissima fuerit augendi vectigalis ratio, si Princeps sumptus supervacaneos amputariet, si ministeria otiosa reiecerit, si bella & his simillimas peregrinationes vitaverit, si officiorum rapacitatem cohibuerit, & si magis studeat recte administrandæ ditioni suæ, quam propagandæ.

Quomo-
do mi-
nuendæ
exa&gio-
nes.

Alioqui si exactiones avaritia metierur aut ambitione, quis tandem fururus est exigendi vel modus, vel finis? Quandoquidem infinita est cupiditas, & semper urget & intendit quod cœpit, donec (iuxta proverbium vetus) nimium tensus rumpatur funiculus, & in seditionem demum erumpat victa populi patientia, quæ res florentissimis quondam imperiis extitum attulit.

Quod si necessitas flagitat exigi nonnihil à populo, cum boni Principis est id his rationibus facere,

Ratio
qua hom
graven-
tur te-
nues,

ut quam minimum incommodo-
rum perveniat ad tenues. Nam di-
vites ad frugalitatem vocare for-
tassis expedit. At pauperes ad fa-
mem & laqueum adigi tum inhu-
manissimum est , tum parum tu-
tum.

Illud etiam, atque etiam secum
cogitet pius rex , dum studet au-
gere suum satellitium , dum ne-
ptem aut sororem splendide vult
elocare , dum liberos omnes sibi
pares reddere , dum proceres suos
locupletare , dum peregrinans o-
pes suas gentibus ostentare, quam
inhumanum est ob hæc tot homi-
num millia domi cum uxoribus &
liberis fame necari , involvi ære
alieno , ad rerum omnium despe-
rationem adigi. Nec enim istos
vel inter homines recensuerim,
necum inter Principes , qui è
pauperculis extorquent quod tur-
piter perdant scortis , aut alea. Et
huiusmodi quosdam audimus es-
se, qui hoc quoque ius suum esse
putent.

Quin

Quin & illud secum expendat, ^{periculo-}
 quicquid semel inductum fuerit ^{sum ex-}
 per occasionem temporum, quod ^{emplum.}
 ad Principis aut procerum lu-
 crum attinere videatur, id nun-
 quam potest aboleri, cum subla-
 ta exigendi necessitate non modo
 tollendum esset onus populi, ve-
 rum etiam sarcendum, ac repo-
 nendum quoad fieri possit, supe-
 riorum temporum dispendium.
 Proinde qui bene vult populo suo,
 cavebit exemplum pestilens indu-
 cere. Quod si gaudet calamitate
 suorum, aut eum negligit, nihil
 minus est quam Princeps, quo-
 cunque vocetur nomine.

Curandum interim, ne nimia ^{Aequali-}
 sit opum inæqualitas, non quod ^{tas for-}
 quenquam per vim bonis exui-^{tunarum,}
 velim, sed quod iis rationibus ut-
 tendum, ne multitudinis opes ad
 paucos quosdam conferantur.
 Nam Plato cives suos neque ni-
 mium divites esse vult, neque
 rursus admodum pauperes, quod
 pauper prodesse non possit, dives

G 5 arte

Quid, quod ne locupletantur quidem aliquoties exactiōnibus huiusmodi Principes? Id qui cupit cognoscere, recenseat quanto minus proavi receperint à suis, & quanto beneficentiores fuerint, quantoque magis rebus omnibus abundarint, quod bona pars horum inter digitos exigentium & recipientium dilabatur, & minima pars ad ipsum redeat Principem.

Quæ res
exactio-
nibus
gravan-
dæ.

Quarum igitur rerum usus infimæ quoque plebi communis est, has quam minimum gravabit bonus Princeps, velut ifrumenti, panis, cervisiæ, vini, pannorum, ac cæterarum item rerum, sine quibus humana vita non potest transigi. Atqui hæc nunc potissimum onerantur, idque non uno modo, primum gravissimis exactiōnibus, quas redemptores extorquent (vulgus asfias vocat,) deinde portoriis, quæ & ipsa suos habent redemptores, postremo monopoliis,

liis, ex quibus ut paululum compendii redeat ad Principem, quanto dispendio multantur tenues?

Igitur optime quidem (ut dictum est) augetur Principis census contractis impendiis, & hic quoque iuxta proverbium magnum vestigal parsimonia est, tamen si vitari non potest quin exigatur aliquid, & ita res populi flagitat, onerentur barbaræ, ac peregrinæ merces, quæ non tam ad vitæ faciunt necessitatem, quam ad luxum, ac delicias, & quarum usus divitium est peculiaris, veluti byssus, serica, purpura, piper, aromata, unguenta, gemmæ, & si quid est aliud huius generis. Nam hinc incommodum sentient ii tantum, quorum fortunæ ferre possint, nec ob hanc iacturam ad inopiam redigentur, sed fortasse redentur frugaliores, ut pecuniæ iactura morum bono sarciantur.

In curanda moneta bonus Princeps præstabit eam fidem, quam & Deo debet, & populo, neque

sibi permittet, quod atrocissimis suppliciis punit in aliis. Hac in re quatuor ferme modis expilari populus solet, id quod nos aliquandiu vidimus à morte Caroli, cum diutina anarchia, quavis tyrranide perniciösior, ditionem tuam affligeret. Primum ubi nominalis materia mistura quapiam vitiatur, deinde cum ponderi detrahitur. Præterea, cum circuncisione minuitur. Postremo cum æstimatio nunc intenditur, nunc remittitur, utcunque visum est Principis fisco conducere.

De beneficentia Principis.

Cum propria bonorum Principum laus sit benignitas, ac beneficentia, qua tandem fronte Principis vocabulum sibi vindicant, quibus omnium consiliorum summa huc tendit, ut cunctorum incommodo suis consulant rationibus? In hoc igitur erit ingeniosus, ac vigilans Princeps,

ceps, quo pacto possit de omnibus bene mereri, quæ res non est tan-tum in dando sita. Alios iuvabit liberalitate, alios favore sublevabit, alios afflictos auctoritate sua liberabit, nonnullis ingenio con-sulet. Et hoc animo erit, ut eum diem sibi perisse putet, quo non beneficio suo iuverit aliquem.

Benefa-
ciendum
de Rep.
bene me-
rentibus,

Nec tamen temere collocanda est Principis liberalitas. Sunt enim qui inclementer extorqueant à bo-nis civibus, quod in moriones, delatores, & voluptatum mini-stros effundant, Intelligat Resp. iiis potissimum expositam Princi-pis benignitatem, qui publicis commodis quam maxime consu-lant. Virtuti præmium sit non af-fectui.

Illud beneficentiaæ genus maxi-me sectandum est Principi, quod cum nullius incommodo, aut cer-te iniuria coniunctum est. Nam alios spoliare, ut dites alios, hos pessundare, ut illos evchias, adeo non est beneficium, ut geminum potius

potius sit maleficium, præsertim si quod dignis ademptum est, ad indignos transferatur.

*Adven-
tus boni
Principis
omnibus
salutaris.*

Non abs refictis poëtarum fabulis proditum est, deos nusquam accedere solitos, nisi magno quopiam bono eorum, à quibus excipiebantur. At cum adventante Principe cives, siquid est eleganter in supellestile abdunt, filias insigni forma recludunt, adolescentes ablegant, opes dissimulant, ac modis omnibus contrahunt se, nonne re ipsa satis indicant quam de eo habeant opinionem, cum id faciunt, quod facerent adventante hoste, aut prædone? Cum ad Principis adventum iistiment, quæ illius officii fuerat tueri, si quis forte insidias, aut vim pararet? Ab aliis timent insidias, ab illo vim quoque. Cum alius queritur se pulsatum, alius abducetam virginem, alius stupratam uxorem, alius negatam mercedulam, papæ quantum hic adventus abest ab illa Deorum imagine.

Cum

Cum civitatum, ut est quæque florentissima, ita maxime suspectum habet Principem, cum ad Principis adventum sceleratores exiliunt, optimus quisque & cor-datissimus cayet & contrahitur, ut nihil loquatur, certe factis prædicant quam habeant de Principe opinionem. At respondeat aliquis. Non possum meorum omnium continere manus, ego quod in me est, præsto. Fac intelligent id te vehementer & ex animo velle, disperam, ni continebunt. Et ita demum populo fidem facies hæc in-vito te fieri, si non patieris impune fieri.

Fortassis ethnico Principi satis erat in suos esse benignum, in exteris iustum modo. At Christiani Principis est nullum pro exteris ducere, nisi qui sit alienus à Christi sacramentis, ac ne hos quidem iniuriis laceſſere. Suos quidem ci-
vies in primis agnoscere. Cæterum de omnibus benemereri, de qui-
bus possit.

Christia-
ni Prin-
cipis be-
ne mere-
ri de o-
mai bus,

Quan-

Quanquam illud perpetuo stude-
dendum est Principi, ne cuiquam
omnino fiat iniuria, tamen iuxta
Platonis sententiam, diligentius
est cavendum, ne quid laedantur
hospites, quam ne cives, propte-
rea quod hospites amicorum &
cognatorum auxilio destituti ma-
gis obnoxii sunt iniuriis, unde &
Iovem ultorem habere putaban-
tur, cui ex re Xenio fecere no-
men.

*De legibus condendis aut
emendandis.*

O ptimæ leges sub optimo
Principe præcipue beatam
reddunt civitatem, aut regnum:
cuius tum felicissimus est status,
cum Principi paretur ab omnibus,
atque ipse Princeps paret legibus,
leges autem ad Archetypum æqui
& honesti respondent, nec alio
spectant, quam ad rem commu-
nem in melius provehendam.

Bonus, sapiens, & incorruptus
Princeps nihil aliud est, quam vi-

va quædam lex. Dabit igitur ope-
ram non ut multas condat leges, <sup>paucæ
leges sed
optimæ.</sup>
sed ut quam optimas, maximeque
Reip. salutares. Nam bene insti-
tutæ civitati sub bono Principe, &
integris magistratibus paucissimæ
leges sufficient. Sin secus fuerit,
nullæ quamlibet multæ satis e-
runt. Non optime agitur cum æ-
grotis, quoties indoctus medicus
pharmacæ pharmacis accumulat.

In condendis autem legibus il-
lud in primis cavendum erit, ne
quid oleant fisci lucrum, ne pri-
vatam procerum commoditatem,
sed ad exemplar honesti, & ad pu-
blicam utilitatem referantur o-
mnia, & eam utilitatem non ad
vulgarem opinionem, sed ad sa-
pientiæ regulam exigant, quam
oportet ubiq; Principibus in con-
silio esse. Alioqui ne lex quidem e-
rit, fatentibus & ethnicis, ni iusta
sit, ni æqua, ni publicis commo-
dis consulens. Nec protinus lex
est, quod Principi placuit, sed
quod sapienti, bonoque Principi
placuit,

placuit, cui nihil placet, nisi quod honestum, & è Rep. sit. Quod si distorta fuerit regula, ad quam exæquanda fuerant prava, quid futurum est, nisi ut per huiusmodi leges etiam quæ recta fuerant, depraventur?

Et Plato vult leges esse quam paucissimas, maxime de rebus levioribus, veluti de pactis, commerciis, vectigalibus. Nec enim ex multitudine legum nasci salutem Reip. non magis quam ex multitudine pharmacorum. Ubi Princeps integer est, & officio suo funguntur magistratus, nihil opus multis legibus: ubi secus habet, ibi legum abusus in perniciem vertitur Reipub. dum & bene conditæ leges horum improbitate alio detorquentur.

Officit
etiam le-
gum mul-
titudo.

Insidiosæ
leges.

Iure notatus est Dionysius ille Syracusanus, qui tyrannico consilio plurimas tulit leges, alias super alias ingerens, easque (ut fit) à populo negligi patiebatur, quo cunctos ad hunc modum sibi redideret

deret obnoxios, At istud non est leges condere, sed laqueos tendere.

Et merito reprehensus est Epitades, qui legem tulit ut liberum esset cuique cui vellet sua relinquere, hoc interim agens, ut ipse filium, quem oderat, posset exhaeredare. At primum non intelligebat populus hominis technam, verum ea res deinde gravem perniciem attulit Reip.

Eiusmodi leges proponat Princeps, quæ non solum pœnam denuntient sotibus, verum etiam quæ persuadeant non esse peccandum. Proinde errant, qui putant leges paucissimis verbis esse comprehendendas, ut tantum iubeant. non etiam doceant, immo magis in hoc sint occupatæ, ut deterreant à peccando rationibus quam pœnis, etiamsi hanc Platonis sentiam non approbat Seneca. Sed audacter hoc quidem magis, quam erudite.

Leges
suadeant
magis
quam
minen-
tur.

Idem non permittit iuvenibus
dispu-

Non te-
inere
quivis
disputet
de legi-
bus.

disputare de æquitate legis, senioribus permittit moderate. Verum ut non est vulgi temere censere leges Principum, ita Principis est curare ut eas ferat leges, quæ bonis omnibus placeant, ut meminerit infimis etiam sensum esse communem. Laudatus est in hoc M. Antoninus pius, quod nihil unquam egerit, quod omnibus per literas etiam non conatus sit approbare, redditis causis cur id iudicarit expedire Reip.

Eleganter Xenophon in Oeconomicis prodidit, cætera quoque animantia duabus rebus potissimum adduci ad obtemperandum, cibo, si quod fuerit abiectius, aut delinimento, si generosius, velut equus, & plagis, si contumacius, velut asinus. At homo cum sit animal omnium generosissimum, non tam minis ac suppliciis cogi, quam præmiis oportebit ad officium invitari legibus.

Leges
præmiis
invitent.

Leges igitur non solum pœnam irrogent delinquentibus, sed præmiis

PRIN. CHRISTIANI. 165
miis quoque provocent ad bene-
merendum de Rep. Quod genus
multas fuisse videmus apud veter-
es. Siquis fortiter fecisset in bello,
optabat præmium, & si cecidisset,
liberi ex publico alebantur. Siquis
civem servasset, siquis hostem
à mœnibus depulisset, siquis sa-
lubri consilio succurrisset Rei-
publicæ.

Quanquam autem egregii civis
est, vel nullo proposito præmio
quod optimum est, sequi, tamen
expedit huiusmodi illectamentis
rudium adhuc civium animos ad
honesti studium inflammare.

Præmia
rudes in-
vitant.

Qui generoso sunt animo, ho-
nore magis capiuntur, qui sordi-
diore, lucro quoque ducuntur. O-
mnibus igitur hisce rationibus lex
sollicitabit, honore, & ignomi-
nia, lucro, ac damno. Porro qui
prospero servili sunt ingenio, vel
potius beluino, hi vinculis, ac
flagris donandi sunt.

Ad huiusmodi honoris & igno-
miniæ sensum jam inde à pueritia
assue-

assuescant cives , ut intelligant non opibus aut stemmatis deberi præmium , sed recte factis.

In pri-
mis a-
gendum
ne com-
mittan-
tur pu-
nienda.

In summa, huc modis omnibus specter principis vigilantia , non ut tantum puniantur admissa , sed illo multo magis respiciat & incumbat , hoc in primis agat , ut caveat ne quid admittatur suppli-
cio dignum.

Ut enim melior medicus , qui morbum excludit & arcet , quam qui pharmacis expellat acceptum , ita non paulo præstabilius est effi-
cere ne facinora patrentur , quam si perpetrata puniantur. Id autem fiet , si causas , ex quibus animad-
verterit potissimum nasci flagitia , vel recidat , si queat , vel certe pre-
mat , & attenuet.

Vitiosa
opinio
fons ma-
lorum.

Primum igitur ex vitiosis de re-
bus opinionibus (ut dictum est)
velut è corruptis fontibus maxima
pars facinorum scatet. Id igitur in
primis agendum , ut cives habeas
optimis institutos rationibus , de-
inde magistratus non solum sa-
pientes,

PRIN. CHRISTIANI. 167
pientes, verum etiam incorruptos.

Ac recte monet Plato nihil non tentandum, & omnem (quod aiunt) movendum esse lapidem, priusquam ad ultimum veniatur supplicium. Agendum argumentis ne quis peccare velit, deinde deterrendi metu numinis malefactorum vindicis, præterea minis supplicii. Quibus si nihil proficitur, ad supplicia veniendum, sed leviora, quæ medeantur malo, non quæ tollant hominem. Quod si nihil horum procedit, tum denique ceu membrum deploratum, & immedicable ab invito legibus resecandum, ne pars syncera trahatur in vitium.

Quemadmodum fidus ac doctus medicus non adhibet sectiōnem, aut ustionem, si malagmate, aut potionē tolli malum possit, nec unquam ad illa descendit, nisi morbo coactus, ita Princeps omnia tentabit remedia, priusquam ad capitale supplicium veniat, ita cogi-

Sero ad
supplicia
venien-
dum.

sananda
mala, non
tollendi
homines.

168 INSTITUTIO
cogitans Remp. unum esse corpus:
at nemo membrum amputat, si di-
versa via possit sanitati restitu.

Ut probus medicus in apparan-
dis remediis haud alio spectat,
quam ut quam minimo ægrotan-
tis periculo morbus pellatur, ita
bonus Princeps in condendis legi-
bus non alio respiciet, quam ad
publicam utilitatem, utque po-
puli malis, quam minimo medea-
tur incommodo.

Oceasie
maleh-
ciorum
proflig-
ganda.

Bona facinorum pars hinc po-
tissimum nascitur, quod ubique
plurimi fiant divitiæ, contempta
sit paupertas. Dabit igitur Prin-
ceps operam ut sui cives virtute,
ac moribus æstimentur, non cen-
su, idque primum in seipso, ac
suis exhibeat, Quod si conspexe-
rint Principem ostentare divitias,
& apud illum ut quisque ditissimus
est, ita plurimi fieri, ad magistra-
tus, ad honores, ad officia num-
mis patere viam, istis nimirum re-
bus incitantur animi multitudinis
ad opes per fas, nefasque parandas.

Et ut

Et ut magis in genere loqua-
mur, pleraque rerum publicarum
omnium sentina ex otio nascitur,
quod diversis rationibus affectant
omnes, cui, qui semel assueti sunt,
si desit quo alant illud, ad malas
artes confugiunt. Hoc igitur aget
Principis vigilantia ut quantum
potest, minimam habeat inter suos
turbam otiosorum, & aut ad opus
adigar, aut expellat è civitate.

Plato mendicos omnes procul Mendici.
è sua Repub. pellendos putat.
Quod si qui senio, morbove fra-
cti suos non habent, à quibus a-
luntur, iis gerontotrophiis, & no-
suntotrophiis publicis consulen-
dum erit. Qui parvo contentus
est, non eget mendicitate.

Sacrificulos, qui ad quæstum
sacra quædam circunferebāt oppi-
datim, Massylienses in civitatem
suam non recipiebant, quo reli-
gionis prætextu sectarentur o-
tium, & luxum. Et fortassis expe-
dit Reip. monasteriorum esse mo-
dum. Est enim & hoc otii genus

Sacerdo-
tes super-
vacanei.

Monaste-
ria & col-
legia su-
pervoca-
nea.

H quod-

quoddam, præsertim quorum vi-
ta parum probata fuerit, & otio-
sam, & ignavam transigant vi-
tam. Quod de monasteriis dico,
idem de collegiis sentiendum.

Ad hoc genus pertinent redem-
ptores, institores, fæneratores,
proxenetæ, lenones, custodes vil-
larum, ac vivariorum, grec mi-
nistrorum, ac stipatorum, qui a-
pud nonnullos tantum ambitionis
aluntur gratia. His cum non sup-
petit quod luxus otii comes effa-
gitat, ad malas artes degenerant.

Militum
genus
pepsi-
sum, Est & militiæ negotiosum otii
genus, sed multo pestilentissi-
mum ex quo semel omnium bo-
narum rerum exitium, & omnium
malarum rerum colluvies profici-
scitur. Hæc igitur flagitiorum se-
minaria si Princeps arcebit è suo
regno, multo minus erit, quod le-
gibus puniat.

Vera no-
bilitas, Habendus igitur honos utili-
bus artificiis, nec iners otium no-
bilitatis titulo donandum, ut o-
biter & hoc indicem. Non quod
bene

bene natis suum honorem detrahant, si respondeant maiorum imaginibus, & iis rebus præcelant, quæ primum nobilitatem pererunt. Alioqui si tales sunt, quales hodie plerosque videmus, molles otio, voluptatibus effeminati, omnium bonarum artium imperiti, tantum belli comediantes, strenui aleatores, ne quid dicam obsecnientius, quid est obsecro cur hoc hominum genus calceariis, aut agricolis præferatur? Nam olim patriciis otium datum est à sordidioribus opificiis, non ad nugandum, sed discendas eas disciplinas, quæ ad Remp. administrandam faciunt. Ne sit igitur turpe, si cives opulentia aut patricii suos liberos artem doceant sedentariam. Primum dum eius studio detinentur adolescentuli, cohercebuntur à multis flagitiis. Deinde si nihil erit opus arte, ea neminem onerat. Sin (ut est instabilis rerum humanarum fortuna) deerit, tum

artem non modo quævis terra , si-
cut habet proverbium , sed quæ-
vis etiam alit fortuna.

*Ex luxu
multa
mala.*

Vereres illi quoniam intellige-
bant plurimum malorum nasci ex
luxu & profusione, sumptuariis le-
gibus occurserunt , creatis in hoc
censoribus, qui immodica impen-
dia in conviviis , in vestitu , aut
in ædificiis cohiberent. Id si cui
durum videtur non licere cuique
suis rebus pro sua uti , & abuti li-
bidine, cogiteret multo durius esse
civium mores per luxum eo dela-
bi, ut capitis supplicio sit opus, &
humanius esse cogi ad frugalita-
tem , quam vitiis ferri in perni-
ciem.

*Incorru-
pti ma-
gistratus.*

Nihil inutilius quam ex admis-
sis civium lucrum redire ad magi-
stratus. Nam qui dabit operam
ut quamminimum existat malo-
rum , cui expedit quamplurimos
esse nocentes?

Et par est , & apud priscos fieri
consuevit, ut multatitia pecunia
potissimum ad eum rediret , qui
læsus

PRIN. CHRISTIANI. 173
læsus esset. Nonnulla portio ad
ærarium publicum, in vehemen-
ter odiosis nonnihil etiam ad de-
latorem. Verum hoc odii non pri-
vato cuiusquam affectu, sed Reip.
commodo, aut incommodo me-
tiendum.

Illuc in universum spectent le-
ges, ne cui fiat iniuria, nec pau-
peri, nec diviti, nec nobili, nec
obscuro, nec servo, nec libero,
neque magistratui, nec privato.
Verum in hanc partem magis
propendeant, ut imbecillioribus
subveniatur, quod humiliorum
fortuna magis exposita sit iniuriis.
Quod igitur in fortunæ præfidiis
diminutum est, id legum exæquet
humanitas. Proinde acrius pu-
niant violatum pauperem quam
offensum divitem, corruptum
magistratum, quam perfidum ple-
beium, facinorosum patricium,
quam obscurum.

Cum iuxta Platonem duplex
sit pœnæ genus, in altero viden-
dum est ne supplicium acerbius

Infirmis
minime
nocen-
dum.

Pœna ex-
empli ra-
ro uten-
dum.

H 3 fit,

fit, quam pro re commissa, ideoque non erit temere ad ultimum supplicium veniendum. Neque facinoris ratio nostris erit æstimanda cupiditatibus, sed æquo atque honesto. Cur enim passim simplex furtum capite punitur,
timidat omnibus sacerdotibus
 & adulterium pœnæ impunitum est? idq; contra veterum omnium leges? nisi quod apud omnes minimum in preçio est pecunia? & huius iacturam, non ex re, sed ex suo metiuntur animo? Cur autem hodie minus sæviatur in adulteros, in quos olim vehementer sæviebant leges, non est huius loci rationem reddere.

Ad alterum genus, quod ille vocat exempli, perquam raro veniendum erit, nec tam agendum ut immanitate pœnæ deterreantur cæteri, quam novitate. Nihil est enim tam horrendum, quod non contemnatur assuetudine. Nec aliud inutilius, quam cives suppliis assuescere. Ut in morbis non sunt tentanda nova remedia, si
vete?

veteribus succurri malo possit, ut non sunt condendæ novæ leges, si veteres ministrent aliquid, quo malis Reip. medearis. Leges inutiles si sine magno malo non queant abrogari, paulatim sunt anti-quandæ, aut certe corrigendæ. Nam ut periculosest temere novare leges, ita necesse est ut curationem pro corporum ratione, sic leges ad præsentem Reip. statum accommodare. Quædam salubriter instituta salubrius abrogantur.

Multæ leges recte quidem sunt institutæ, sed eas officiorum præ-vitas ad pessimos usus detorsit. Ni-hil autem perniciosius bona lege ad malas res deflexa. Ab his igitur tollendis, aut emendandis non oportet Principem fisci iactura deterrei. Nec enim compendium est cum honesti dispendio coniunctum, maxime cum sint eius generis, ut plausibilis etiam sit eorum abrogatio. Neque vero sibi blandiatur, si leges huiusmodi

abusus
legum
etiam be-
narum.

compluribus in locis in valuerunt, ut diutina iam consuetudine inveteratae sunt. Nec enim hominum numero constat honesti natura. & hoc diligentius est tollendum, quo magis inveteravit malum.

Et ut unam atque alteram exempli gratia commemorem, receptum est nonnullis in locis ut pregre mortui bona occupet praefectus aliquis regis nomine, id cum salubriter sit institutum, nempe ne hospitis res sibi vindicent, ad quos iure non pertinent, & tantisper sint in manibus praefecti, donec extent haeredes certi, nunc iniquissime huc detortum est, ut sive extet haeres, sive non extet, hospitis bona ad fiscum pertineant.

*Abusus
bene con-
ditarum
legum.*

Recte quondam institutum, ut quod apud furem deprehensum repertum esset rerum, id Princeps aut huius nomine magistratus occuparet, nimirum ob id, ne, si passim eas vindicandi ius esset, per fraudem

fraudem ad alienos dominos ab-
errent, verum simul atque consta-
ret cuius essent, tum illi restitue-
rentur. At nunc quidam quicquid
apud furem compererint, id non
minus suum esse ducunt, ac si ex
paterna hæreditate obvenisset.

Quod & ipsi satis intelligunt
impudenter iniquum esse, sed ho-
nesti ratio, lucri ratione vinci-
tur.

Olim bono consilio fuit indu-
ctum ut in confiniis ditionum es-
sent præfecti, qui importatio-
num aut exportationum curam a-
gerent, nimirum quo negotiator,
aut viator tutus à latrociniis com-
mearet, ut siquid cui foret ere-
ptum, Princeps intra suæ quisque
ditionis limites curarer uti nec da-
mno plecteretur negotiator, nec
prædo esset impunitus. Et fortas-
se tum civilitatis gratia dari cœ-
prum est nonnihil à negociatori-
bus. At nunc passim huiusmodi
portoriis retinetur viator, vexan-
tur hospites, expilantur negotia-

*De por-
toriis.*

H 5 tores,

178 INSTITUTIO
tores, & cum indies crescat exa-
ctio, tamen de tuendis illis nulla
mentio est. Ita cuius gratia pri-
mum constitutio nata fuit, pen-
tus sublatum est, & res salubriter
instituta vitio administrantium
prorsus in tyrannidem versa est.

*De nau-
fragio e-
iectis.* Constitutum est olim ut res
naufragio electæ præfecto maris
occuparentur, non ut in illius,
aut in Principis ius caderent, sed
ut per hos caveretur ne ab iniustis
dominis occuparentur, & ita de-
mum publicæ fierent, si nullus ex-
taret, qui iure vindicaret. At ho-
die quibusdam in locis quicquid
quocunque modo periit in mari,
id veluti suum occupat præfetus,
ipso mari immitior. nam quod
tempestas reliquum fecit miseris,
id ille velut altera tempestas eri-
pit.

*Leges de-
pravar-
, a diver-
sum exi-
sunt.
spor-* Vide igitur ut omnia in diver-
sum exierint. Fur punitur, quod
rem alienam occuparit. atqui idem
facit magistratus, in hoc adhi-
bitus, ne fieret, & per hunc bis

spoliatur dominus rei, in hoc ipsum constitutum, ne quid cui periret. & per hos maxime vexantur, ac spoliantur negotiatores, qui hoc consilio sunt inducti, ne vexaretur aut spoliaretur viator. Et per hos fit ne bona redeant ad iustum dominum, quos lex in hoc adhibuerat, ne penes alienum dominum essent. Sunt huiusmodi plurimæ constitutiones apud multas nationes non minus iniquæ, quam ipsa iniquitas, verum non est huius instituti Remp. ullam taxare. Has ut omnium fere communes, & omnium iudicio damnatas docendi gratia recensuimus. Et sunt fortasse quæ citra tumultum antiquari non possint. At horum antiquatio favorem etiam conciliat Principi, & , qua nullum lucrum oportet videri maius, honestam opinionem.

Ut Principe, sic lege nihil oportet esse communius, aut æquius. Alioqui fit ut quod egregie græcus ille sapiens dixit, nihil

aliud sint leges , quam casses aranearum , quos maiores aves facile perrumpunt , muscis duntaxat irretitis.

Quemadmodum Princeps , ita & lex semper esse debet propensior ad ignoscendum , quam ad puniendum , sive quod per se benignius , sive quod magis respondet ad mo- res Dei , cuius ira lentissime ad vindictam procedit , sive quod non recte elapsus ad pœnam repe- ti potest , iniuste damnato succurri non potest . Is etiam si non per- iit , quis tamen alterius æstima- bit dolorem ?

Crimen
lx se ma-
iestatis
publico
commo-
do meti-
endum.

Legimus olim huiusmodi fuisse non Principes , sed tyrannos , à quorum factis oportet Christianum Principem quam longissime abesse , qui scelera commissa suis privatis incommodis æstimarent , ut iis leve furtum esset , si quis pauperculum bonis nudatum una cum uxore & liberis ad laqueum , aut mendicitatem adigat , gra- vissimum vero & multis dignum cruci-

PRIN. CHRISTIANI. 181
crucibus, si quis Principalem fis-
cum, aut rapacem quæstorem vel
nummulo fraudasset. Item maie-
statem læsam clamitarent, si quis
de pessimo quoque Principe mu-
tiret, aut de pestilente magistratu
paulo liberius loqueretur. cum
Adrianus Imperator ethnicus, a-
lioqui nec inter bonos habendus
Principes læsæ maiestatis crimen
nunquam admiserit, & ne crude-
lissimus quidem Nero delationes
huiusmodi admodum affectarit.
Et alius quidam, qui neglectis in
totum huiusmodi criminibus di-
xerit in civitate libera linguas
item liberas esse oportere.

Nullis igitur commissis facili-
lius, ac libentius ignoscer bonus
Princeps, quam quæ ad privatam
suam iniuriam pertinent. Nam cui
facilius est eiusmodi contemnere,
quam Princi? At huic ulcisci
quam facile est, tam est invidio-
sum & indecorum. Cum enim
ultio pusilli & humilis animi sit
argumentum, nihil minus com-
petit

petit in Principem, quem oportet
animo esse excelso, magnoque.

Non satis est Principem ab o-
mni crimine abesse, ni criminis et-
iam suspicione, specieque vacave-
rit. Quamobrem non solum per-
pendet quid mereatur is, qui de-
liquit in Principem, sed quid alii
iudicaturi sint de Principe, & suæ
dignitatis respectu nonnunquam
ignoscet immerenti, & suæ con-
fuslens famæ veniam dabit veniam
indignis.

Neque statim illud occlamet a-
liquis hac ratione parum consuli
Principum maiestati, quam sacro-
sanctam, & inviolatam esse è Rep.
potissimum est. Immo non alia
via rectius consulitur illius magni-
tudini, si populus intelligat eum
tam vigilantem, ut nihil eum fal-
lat, tam sapientem, ut intelligat
quibus in rebus sita sit vera Prin-
cipis maiestas, tam clementem,
ut nihil suarum iniuriarum ultu-
rus sit, nisi cogeret utilitatis pu-
blicæ ratio. Cæsaris Augusti ma-
iestata-

PRIN. CHRISTIANI. 183
iestatem & clariorem, & tutorem
reddidit Cynnae donata venia,
cum tot suppliciis nihil profecis-
set.

Is demum Principis maiestatem
lædit, quisquis id imminuit, quo
vere magnus est. At animi bonis
magnus est, & populi rebus sua
sapientia florentibus magnus est.
Hæc qui deterit, maiestatis est ac-
cusandus. Plurimum enim aber-
rant, nec prorsus intelligunt ve-
ram Principis maiestatem, qui sic
eam putant augeri, si quam mini-
mum valeant leges, & publica li-
bertas, quasi duæ quædam res sint
Princeps, & Resp. Quod si facien-
da est collatio inter ea, quæ natu-
ra coniunxit, ne componat se rex
cum quolibet suorum, sed cum u-
niverso Reip. corpore, ita videbit
quanto pluris sit illa tot egregios
viros ac fœminas complectens,
quam unicum Principis caput.
Resp. etiam si Princeps desit, ta-
men erit Resp. Floruerunt enim
etiam amplissima imperia nullo

Princeps
se cum
toto po-
puli cor-
pore con-
ferat.

Principe,

Principe , velut in Democratis
Romanorum , & Atheniensium.
At Princeps esse nullo modo po-
test sine Rep. Denique Resp. Prin-
cipem complectitur , non contra.
Quid est enim quod Principem
tantum facit , nisi consensus obse-
quentium ? At qui suis bonis , hoc
est virtutibus magnus est , is et-
iam adempto imperio magnus
erit.

*Vera pro-
ditio
principis.* Proinde palam est istos pver-
fissime iudicare , qui Principis di-
gnitatem his rebus metiuntur , que
Principis amplitudine sunt indi-
gnæ. Proditorem vocant. nam id
vocabulum odiosissimum esse vo-
lenti , qui Principem ad ea desle-
tentem , quæ nec ipsi decora
sunt aut tuta , nec patriæ condu-
cibilia , liberis consiliis ad melio-
ra revocat. At qui illum plebeiis
opinionibus corrumpit , qui in vo-
luptates sordidas , qui in comediat-
iones , in aleam , & alia id genus
dedecora præcipitat , num is di-
gnitati Principis consulit ? Fidem
vocant

vocant, quoties per assentationem
stulto Principi mos geritur, pro-
ditionem, si quis turpibus cœptis
obsistat. Immo nemo minus a-
amicus est Principi, quam qui tur-
piter assentando dementat, & ab-
ducit à recto, qui bellis involuit,
qui persuadet expilationes popu-
li, qui tyrannidis artem docet,
qui illum bonis omnibus facit in-
visum. Hæc est vera proditio, &
non uno supplicio digna.

Plato vult νομοφύλακες, hoc est,
qui servandis legibus præfecti
sunt, incorruptissimos esse. Et bo-
nus Princeps in nullos debet se-
verius animadvertere, quam in
eos, qui corrupte leges admini-
strant. Quanquam ipse Princeps
νομοφυλάκων primus est.

Expedit igitur ut leges sint paucæ
quam paucissimæ, deinde quam leges o-
æquissimæ, & ad publicam utili- ptimæ &
tatem conducibiles, præterea po- apertissi-
pulo quam maxime notæ, unde mæ.
veteres eas in tabulis & albo de-
scriptas publicitus exhibebant,
quo

186 INSTITUTIO
quo cunctis essent conspicuae. Fœ-
dum est enim quosdam legibus
cassium uti vice, nimirum hoca-
gentes, ut quam plurimos irre-
tiant, non consulentes Reipub. sed
veluti prædam caprantes. Postre-
mo ut verbis aperuis, minimeque
perplexis descriptæ, ut ne magnopere
sit opus quæstuoſissimo iſto
hominum genere, qui ſe iurecon-
ſultos vocant, & advocationes, quæ
ſane professio quondam optimati-
bus viris fuit peculiaris, & digni-
tatis habebat plurimum, lucri
quam minimum, nunc & hanc
corrupit quæſtus nihil non vi-
tians.

Plato negat ullum hostem exi-
ſtere posſe pestilentiorem patriæ,
quam eum, qui leges arbitrio sub-
iiciat hominis, quæ ſub optimo
Principe valent plurimum.

De Magistratibus, & officiis.

Magistra-
tuum in-
tegritas. **P**rinceps quam integratatem
in ſe præstat, eandem debet,
aut certe proximam à ſuis officia-
riis

PRIN. CHRISTIANI. 187
riis exigere. Neque satis esse du-
cat mandasse magistratus, sed plu-
rimum refert quomodo mandet,
deinde vigilandum ut incorrupte
mandatis fungantur.

Prudenter & graviter admonet
Aristoteles frustra condi bonas le-
ges, nisi sint quorum opera bene
conditæ serventur, immo si talio-
qui nonnunquam ut optime con-
ditæ leges vitio magistratum in
summam Reip. perniciem ver-
tantur.

Quanquam magistratus non censu, non imaginibus, nec annis est eligendus, sed potius sapientia & integritate, tamen magis convenit ut natu grandes ad huiusmodi munia adhibeantur, unde Reip. pender incolmitas. non tantum quod senibus & plus adest ex usu rerum prudentiæ, & affectus sunt moderatores, verum etiam quod apud populum nonnihil auctoritatis illis conciliat senectus. Proinde Plato vetat ne legum custodes adhibeantur minores annis quin-

Magistra-
tus è se-
nibus po-
tissimum
eligi.

quinquaginta, maiores septuaginta. Sacerdotem non vult esse minorem annis sexaginta. nam ut est ætatis maturitas quædam, ita est ætatis processus, cui missio, muniumque omnium relaxatio debeat.

Ordo ci-
vitatis
aut regni
res ele-
gantissi-
ma.

Quemadmodum chorus res est elegans, siquidem ordine constet & harmonia, contra ridiculum spectaculum, si gesticulationes una cum vocibus confundantur: Ita præclara quædam res est civitas aut regnum, si suus cuique datur locus, si suo quisque fungitur officio, hoc est si Princeps quod se dignum est, agit, si magistratus suas obeunt parteis, si plebes item bonis legibus, & integris magistratibus obtemperat. At ubi suum negotium agit Princeps, & magistratus nihil aliud quam compilant populum, ubi plebes non obtemperat honestis legibus, sed Principi ac magistratibus utcunq; res tulerit, adulatur, ibi turpissima quædam rerum confusio sit

opor-

oportet. Primum ac summum
Principis studium oportet esse,
ut quam optime mereatur de Rep.
At non alia re melius potest mere-
ri, quam si cureret ut magistratus,
& officia viris integerrimis ac pu-
blici commodi studiosissimis
committantur.

Princeps quid aliud est quam <sup>Princeps
medicus
Reip.</sup>
medicus Reip.? At medico non
satis est si ministros habeat peri-
tos, nisi sit ipse peritissimus ac vi-
gilantissimus. Ita Principi non
sufficit, si magistratus habeat pro-
bos, nisi sit ipse probissimus, per
quem illi & diliguntur, & emen-
dantur.

Ut animi partes non omnes
perinde valent, sed quædam im- <sup>Princeps
summa
pars Rei-
pub.</sup>
perant, aliæ parent, & tamen
corpus tantum paret: Ita princeps
summa Reip. pars, plurimum sa-
pere, & ab omnibus crassis affe-
ctibus alienissimum esse oportet.
At hunc proxime accendent magi-
stratus, qui partim parent, par-
tim imperant, parent Principi, im-
perant plebi. Ergo

*Magistra-
tus pure
creandi.* Ergo præcipue Reip. felicitas in hoc sita est, ut pure creentur magistratus, & pure mandentur officia. Deinde sit actio male gesti muneris, quemadmodum antiquis erat actio repetundarum. Postremo statuatur in hos severissima animadversio, si convicti fuerint.

*Quando
pure cre-
antur
magistra-
tus.* Pure creabuntur magistratus, si Princeps eos asciscat, non qui plurimo emant, non qui improbissime ambient, non qui cognatione coniunctiores, non qui ad illius mores, aut affectus, cupiditatesque maxime sint accommodi, sed qui moribus sint integerrimis, & ad functionem mandati muneris aptissimi.

Cæterum ubi Princeps unum hoc agit, ut quam plurimo vendat officia, quid tandem ab iis expelet, nisi ut itidem revendant, & quomodo cunque damnum suum sarciant, & cauponentur in administrando, quemadmodum negotiatione sunt consecuti. Nec hoc ideo minus perniciosum Reip. videtur.

deri oportet, quia consuetudine
pessima apud plerasque nationes
receptum est, cum ethnicis etiam
fuerit improbatum, & Cæsareæ
leges iubeant eos, qui iudiciis præ-
sunt, Principali salario esse invi-
tandos, nequa sit illis ansa facien-
di quæstus.

Olim gravissimum erat crimen Corru-
ptus in-
dex.
corrupti iudicii. At qua fronte
puniet Princeps iudicem, qui mu-
neribus corruptus pronuntiavit,
aut pronuntiare noluit, cum ipse
iudicandi munus ære vendiderit,
& hanc corruptelam prior suum
docuerit iudicem? Hoc præstet
Princeps erga magistratus, quod
illos præstare vult erga plebem.

Prudenter admonet in Politicis
Aristoteles super omnia caven-
dum esse, ne ex magistratibus lu-
cra proveniant iis, qui ea gerunt.
Alioqui geminum incommodum
hinc sequi. Nam primum hac ra-
tione fieri ut avarissimus quisque,
& corruptissimus ambiat, immo
occupet & invadat magistratum,
& po-

& populus duplici discrucietur
molestia, tum quod ab honoribus
excluditur, tum quod lucro pri-
vatur.

De Fæderibus.

Debeat
esse quis
fœderum
scopus.

IN pangendis fœderibus quem-
admodum & cæteris in rebus,
non alio spectabit bonus Prin-
ceps, quam ad publicam utilita-
tem. Alioqui cum hoc agitur ut
commodius habeant Principes
populi rebus attenuatis, non fœ-
dus est appellandum, sed conspira-
tio. Si quidem qui hoc sunt ani-
mo, duos populos ex uno faciunt,
procerum & plebis, quorum alter
alterius malo melius habeat, ve-
rum id ubi sit, ibi non est Resp.
Inter omnes Christianos Princi-
pes arctissimum simul, & sanctis-
simum fœdus est vel ob hoc ip-
sum, quod Christiani sunt. Quor-
um igitur attinet quotidie tot fœ-
deribus agere? perinde quasi o-
mnes omnium sint hostes, & hu-
manis pactis sit impetrandum,
quod

sq. 2.

quod non impetrat Christus? Ubi multis syngraphis res agitur, argumentum non optima agi fide. & saepenumero fieri videmus ut ex his plurimæ nascantur lites, quæ in hoc adhibebantur, nequid existet litium. cum fides intercedit, & inter bonos agitur, non est opus admodum multis & anxiis syngraphis; cum inter improbos, & malæ fidei homines res agitur, syngraphæ pariunt etiam litis materiam. Itidem inter bonos, ac sapientes Principes, etiam si nullum intercedat fœdus, constat amicitia. Inter stultos ac malos ex ipsis fœderibus, quæ in hoc adhibebantur ne bellum exoriretur, bella nascuntur, dum inter innumeros articulos hunc, aut illum violatum queritur aliquis.

Fœdus in hoc feriti solet, ut bello finis imponeretur. At hodie fœdus appellant in hoc initum, ut moveatur bellum. Nec aliud est istorum fœderatio, quam belli mollimina. Et utcunq; se resincli-

Fœderum
incom-
moda,

I
nant,

Principum ea debet esse fides in præstandis iis, quæ recipiunt, ut simplex horum promissum sanctius sit quovis aliorum iurecurando. Quam igitur fœdum non præstari, quæ solennibus fœderibus pacta sunt, interpositis etiam iis rebus, quibus apud Christianos nihil potest esse sanctius? Et tamen videmus id quotidie usu venire, nihil addo, quorum vitio. Certe sine vitio non potest accidere.

Siquid in fœdere violatum videbitur, non statim huc inclinandum ut universum fœdus irritetur, ne videatur occasio captata redendi ab amicitia. Quin magis adnitendum ut quam minimo in commodo sarciantur id, quod ruptum est. Quin expedit aliquoties ad quædam connivere, quandoquidem nec inter privatos homines diu cohæret necessitudo, si cuncta ad vivum, quod aiunt, exigant. Neque statim id sequaris,

quod

PRIN. CHRISTIANI. 195
quod dictat ira, sed quod publica
suadet utilitas,

Dabit operam bonus ac sapiens Princeps ut cum omnibus pacem habeat, sed præcipue tamen cum finitimis, qui plurimum noceant infensi, profint amici, & sine quorum mutuo commercio ne durare quidem possit Resp. Et facile coit & cohæret amicitia inter eos, quos lingua communis, regionum propinquitas, ingeniorum ac morum similitudo conciliat. Est tanta inter quasdam nationes rerum omnium dissimilitudo, ut prorsus ab illorum abstinuisse commercio longe consultius sit, quam arctifismis etiam astringi fœderibus. Sunt quædam ita procul dissitæ, ut etiam si bene velint, prodesse nihil possint. Postremo sunt quædam adeo morosæ, ac fœdifragæ, & insolentes, ut etiam si finitimæ sint, tamen inutiles sint ad omnem amicitiam. Cum his consultissimum fuerit nec bello dissidere, nec arctioribus fœderum,

Cum fi-
nitimis
haben-
da pax.

aut affinitatum vinculis alligari,
quod & bellum semper sit exitia-
le , & quorundam amicitia non
multo bello tolerabilior.

Princeps
omnium
ingenia
gentium
habeat
perspecta,
& con-
suetudi-
nes co-
gnitas.

Hæc erit igitur una regiæ sa-
pientiæ pars , gentium omnium
ingenia, moresque cognoscere. id
partim è libris , partim è sapien-
tum & expertorum commemora-
tione consequetur , ne sibi necesse
puter cum Ulysse per omneis ter-
ras , mariaque circumagi. Ac de
cæteris quidem haud facile sit cer-
tum aliquid præscribere. Illud in
genere licet pronuntiare , non o-
portere arctius astringi his , quos
religio diversa à nobis alienat , ve-
luti cum ethnicis , aut quos natu-
ræ providentia Alpibus , aut fretis
interiectis à nobis separat , aut
quos immensum locorum spatum
penitus à nobis semovit , hi nec ad
nos accersendi , nec à nobis impe-
tendi sunt. cuius rei cum plurima
suppetant exempla , tamen unum ,
quod è proximo sese offert , pro o-
mnibus sufficerit. Est quidem

Fran-

Franciæ regnum rebus omnibus omnium multo florentissimum. At multo esset florentius, si ab Italia impetenda temperasset.

De Principum affinitatibus.

EQuidem multo saluberrimum iudicarim Reip. si Principum affinitates intra regni fines continerentur, aut si quid recedendum sit à limitibus, cum proxime finitimi duntaxat iungerentur, sed iis, qui ad amicitiæ fidem sint idonei. At qui non decet (inquit) regis filiam nisi cum rege, aut regis filio copulari. At isti privatorum sunt affectus, suos quantum possint evehere, à quibus operet Principem alienissimum esse. Minus potenti nubet Principis soror, quid tum postea, si id magis expeditat universis? Et illi plus dignitatis afferat neglecta sororii coniugii dignitas, quam si mulierculæ affectum publicis commodis prætulisset.

Princeps
affinita-
tem cum
suis aut
situ pre-
ximis
iungat.

Qualis
uxor sit
ducenda
Principi.

Privata quædam res est Principum matrimonium. At huc rerum humanarum summam pene vocari cernimus, ut sæpen numero nobis eveniat, quod olim Græcis ac Troianis in Helena. Quod si placet adhibere delectum Principem dignum, feligatur ex omnibus integritate, modestia, prudenterque commendata, quæ optimo Principi morigera sit uxor, & illi liberos utroque parente, patriaque dignos generet. Satis honesta est quocunque sanguine nata, quæ bono Principi bonam præstat uxorem.

Illud in confessu est, nihil æque expedire in rem omnium, atque ut Princeps vehementer ameritos, & ab iisdem vicissim ameritur. Ad quos ingens habet momentum patria communis, corporum & animorum similitudo, & nescio quid nativæ fragrantiae, quam arcana quædam geniorum affinitas addit. At hinc magna pars pereat oportet, si hæc omnia confun-

PRIN. CHRISTIANI. 199
confundant imparia matrimonia.
Vix enim fieri potest, ut sic natos
toto pectore agnoscat patria, aut
sic nati toto pectore sint dedi-
ti patriæ.

Et tamen vulgus hæc velut ada-
mantina publicæ concordiæ vin-
cula putat, cum hinc res ipsa do-
ceat maximos rerum humanarum
tumultus exoriri, dum hic queri-
tur ex sponsalium pactis præteri-
tum nescio quid, hic offensus re-
quapiam sponsam abducit, ille mu-
tato consilio renuntiat priori, &
aliam dicit in thalamum, alias
aliud quippiam causatur. Sed quid
hæc ad Remp.? Si Principum in-
ter se affinitas præstaret orbi tran-
quillitatem, optarem omnes sex-
centis affinitatibus esse colligatos.
At quid ante paucos annos profuit
affinitas, quo minus Iacobus Sco-
torum rex infestis copiis invade-
ret Angliæ fines? Et fit aliquoties
ut post diutinos bellorum tumul-
tus, post innumeræ clades tandem
affinitate contracta, res compona-

Ex affi-
nitatibus
mala.

I 4



Illud agendum Principibus, ut
æterna quædam pax coëat inter
omneis, & in hoc conferant sua
consilia, vt affinitas pacem con-
ciliet, certe perpetuam non po-
test. altero defuncto, solvitur con-
cordiæ vinculum. Quod si veris
rationibus pax conflaretur, ea sta-
bilis esset ac diurna. Sed dixerit
aliquis, liberorum propagatione
coniunctionem eam perpetuam
reddi. Cur igitur inter hoc maxi-
me bellatur, inter quos summa
propinquitas est? Immo per hanc
propagationem potissimum oritur
regnorum commutatio, dum di-
tionis ius aliunde alio transfer-
tur, dum huic decedit aliquid,
& illi accrescit, quibus ex rebus
gravissimi tumultus exoriri so-
lent.

Igitur hisce rationibus non fit
ne cooriantur bella, sed fit ut a-
trociora moveantur, & crebriora.
Dum enim regna regnis affinitate
conne-

connexa sunt, quoties unusquis-
piam offensus est, is affinitatis
iure concitat & cæteros, ut ex qua-
libet levi offensa magna pars or-
bis Christiani statim ad arma mo-
veatur, & immensa Christiani san-
guinis iactura placatur unius ho-
minis stomachus. Ab exemplis
consulto temporo, nequid offen-
dam quenquam. In summa, hu-
ijsmodi affinitatibus Principum
res fortassis augentur, at populi
res atteruntur, & affliguntur. Cæ-
terum bonus Princeps non aliter
iudicat suas res prospere habere,
nisi cum Reip. commoditatibus
consulitur. ut ne dicam interim
quod hac via non admodum hu-
maniter agitur cum ipsis puellis,
quæ nonnunquam in procul se-
motas regiones ad homines lin-
gua, specie, moribus, ingeniis
dissimillimos velut in exilium re-
legantur, felicius apud suos vi-
cturæ, ut aliquanto minore stre-
pitu. Quanquam autem hanc con-
suetudinem video receptionem,

I 5 quam

202 INSTITUTIO
quam ut sperem posse convelli, ta-
men visum est admonere, si quid
forte præter spem evenerit.

De Principum occupationibus
in Pace.

Princeps
populum
suum a-
met. Princeps igitur Christi decre-
tis, & sapientiae præsidiis in-
structus nihil omnium habebit
carius, immo nihil aliud habebit
carum, quam populi sui felici-
tem, quem oportet velut unicum
corpus ex æquo tum diligere, tum
curare. Et in hoc unum omneis
cogitationes, omneis conatus, o-
mnia studia destinabit, ut ad eum
modum administret provinciam
sibi creditam, ut & Christo ratio-
nem exacturo probetur, & apud
mortales omneis honestissimam
sui memoriam relinquat.

Sive domi sit Princeps, aut in
secessu, laudatum illum Scipio-
nem imitetur, qui negabat se
unquam minus esse solum,
quam cum solus esset, aut minus
manu otiosum

PRIN. CHRISTIANI. 203
otiosum esse, quam cum esset in o-
rio, quod is quoties vacaret à
Reip. negotiis, semper animo se-
cum agitabat aliquid, quod ad ci-
vitatis salutem aut dignitatem
pertineret. Imitetur Aeneam Vir-
gilianum, quem prudentissimus
poëta frequenter aliis dormien-
tibus multa per noctem suo cum
animo volventem facit, quo re-
ctius suis consuleret. Et Home-
ricum illud omnibus regiæ parie-
tibus, sed magis regum animis in-
scribi decet.

Ἐχεὶ ταπεύχειον δέ τινας θεληφόρους ἄνδρας,
ῳ λαοῖστ' ὅπερες ἀφεταῖ, καὶ τόσα μέμηλε.

Quorum carminum hæc ferme
sententia est.

*Haud decet hunc solidam noctem in-
dulgere sopori,
Cui populi commissi, & tanta nego-
cia cure.*

Sive versetur in publico, sem-
per aliquid agat, quod ad rem
communem faciat, hoc est nus-
quam non principem agat.

At magis decet Principem in
I 6 publi-

Non la-
tendum
Principi. publicis versari functionibus, quā
 abditum agere. Quoties autem
 prodit, advigilet ut ipse vultus,
 incessus, & præcipue sermo talis
 sit, ut populum reddat meliorem,
 memor quicquid fecerit, aut dixe-
 rit, ab omnibus observari, cognos-
 cique. Nec enim probatum est
 Reges
 Persarum sapientibus viris Persarum institu-
 pub ico
 abstine-
 bant. tum, apud quos domi abditi vi-
 tam exigebant. Et hac una via
 studebant à suis magnifici, quod
 nunquam conspicerentur, & ra-
 rissime sui copiam facerent popu-
 lo. Quod si quando prodibant,
 nihil aliud, quam fastum barbari-
 cum, & opes malo populi immo-
 dicas ostentabant. Reliquum æ-
 dum aut lusibus, aut furiosis ex-
 peditionibus transigebant, perin-
 de quasi decesser quod pacis tem-
 poribus agat egregius Princeps,
 cum tanta semp̄ pateat pulcher-
 rimorum facinorum seges, si mo-
 do adsit Principe dignus animus.

Et sunt hodieque nonnulli, qui
 putent id esse parum regium, quod
 solum

In publi-
cis versa-
ri fundo-
nibus re-
gi pul-
cherri-
mum.

solum est regibus pulcherrimum, in publicis functionibus velsari. Quemadmodum & episcopi non nulli nihil minus suum esse ducunt, quam id quod unum episcopo dignum est, docere populum, ac miro cōfilio quod peculiare est episcoporum, id veluti dignum in alios relegant, quod sordidissimum, id sibi potissimum vindicant. At non puduit Mithridatem non minus eruditione quam imperio nobilem regem suo ore, nulloque interprete populo ius reddere, quod ut faceret viginti duas linguas ad plenum legitur perdidicisse. Nec Philippus Macedonum rex parum decorum regi iudicavit, quod quotidie cognoscendis causis sederet. Nec Alexander magnus huius filius, quamquam aliās ad insaniam usque ambitiosus, cui morem hunc fuisse proditum est, ut altera aure manu obturatā cognosceret, dicens sese alteram illam integrā servare diversæ parti.

Ve-

Cur à pu- Verum quo magis ab hisce re-
 blicis bus abhorreant nonnulli, perva-
 functio- sa educatio Principum in causa
 nibus & est. Etenim iuxta vetus prover-
 cognoscendis bium, quam quisque novit artem,
 causis ab horreant in hac se libenter exercet, refu-
 Princi- giens ab iis, in quibus intelligit
 pes. se parum valere. Qui fiat igitur,
 ut qui inter assentatores & mulier-
 culas primum paucis opinionibus,
 deinde voluptatibus corruptus
 primos illos annos in alea, cho-
 reis, & venatu consumperit, po-
 stea gaudeat in his versari functio-
 nibus, quarum usus diligentissi-
 mam requirebat meditationem?

Principi
 nunquam
 deest
 quod a-
 gat.

Homerus negat Principi tan-
 tum esse otii, ut totam noctem e-
 dormiat, & isti nihil aliud student,
 nisi ut novis subinde voluptatibus
 totius vitæ tedium fallant, per-
 inde quasi nihil omnino sit, quod
 agant Principes. Bono patrifami-
 lias nunquam deest, quod curet in
 una domo, & Principi deest, quod
 agat in tam vasta ditione?

Bonis legibus occurrentum est
 malis

Quid a-
gendum
principi.

malis moribus, corrigendæ leges depravatæ, tollendæ malæ, pro- spiciendi magistratus integri, pu- niendi aut cohibendi corrupti. Ex- quirendæ rationes, quibus tenuem plebeculam quā minimum gravet, quibus ditionem suam latrociniis ac maleficiis liberet, idque quam potest minimo sanguine, quibus suorum perpetuam concordiam a- lat, ac stabiliat. Sunt his minu- tiora quædam, sed non indigna, quamvis magno Principe, lustrare civitates, sed hoc animo, ut o- mnia reddat meliora, quæ parum tuta sunt communiat, publicis ædificiis ornet, item pontibus, porticibus, templis, ripis, aquæ- ductibus, loca pestilentia obno- xia purget vel mutatis ædificiis, vel desiccatis paludibus: Amnes incommode fluentes alio derivet: Mare pro commoditate publica vel admittat, vel arceat. Negle- ctos agros colendos curet, quo magis suppetat annonæ vis. Pa- rum utiliter cultos aliter coli iu- bear.

208 INSTITUTIO
beat, velutine illic vineta sint, ubi vinum cultura indignum provenit, & frumenta gigni possunt. Huius generis sex millia sunt, quæ curare Principi sit pulcherri-
mum, bono Principi etiam iucundum, ut nihil unquam sit opus vel otii tædio bellum quærere, vel alea fallere noctem.

princeps
in Reip.
rebus sit
spendi-
dus, in
privatis
frugalis.

In his, quæ ad Remp. pertinent, convenit Principem esse non luxuriosum, aut profusum, sed splendidum, velut in publicis ædificiis, aut ludis, in excipiendis legationibus, si quæ populi causam agant. In his, quæ privatim ad illum pertinent, erit frugalior & contractior, partim ne publico sumptu sibi vivere videatur, partim ne cives suos luxuriæ doceat, multorum malorum parentem.

Danda
Principi
opera
non ut
maiorem,
sed ut
meliorem
ditionem
suam red-
dat.

Video veterum permultos in hoc errore fuisse, & utinam hodie nullos idem habeat error, ut huc omnes conatus suos intenderent, non ut meliorem redderent suam ditionem, sed ut maiorem, quibus

bus illud sæpenumero videmus evenisse, ut dum propagando student imperio, etiam id perderent, quod possederant. Non ab tantopere laudata est illa Theopompi vox, qui negavit sua referre quam ingens relinqueret liberis suis imperium, modo melius ac stabilius. Et Laconicum illud proverbium dignum mihi videtur, quod omnium Principum insignibus asscribatur. *ατάπτω ξαρ-
χει, ταύτης κόσμου, hoc est Spartam*
sortitus es, hanc orna.

Hoc sibi penitus persuasum habeat bonus Princeps, nihil à se geri posse magnificentius, quam si quicquid est hoc regni, quod sors dederit, florentius reddat, ac modis omnibus ornatius. Laudatus est à doctissimis viris Epaminundæ ducis animus, cui cum per invidiā magistratus esset delegatus, humilis ac vulgo contemptus ita gessit, ut deinceps inter honestissimos habitus à maximis viris ambiretur, negans magistratum digni-

Epami-
nundas.

Quo pa-
eto re-
gnum flo-
rentius
reddatur.

Id consequetur, si, quemadmo-
dum ex parte demonstravimus,
eas res curet maxime, per quas
Resp. stabilitur & illustratur, eas
rursus excludat, & arceat, quæ
Reip. statum reddunt deteriorem.
Adiuvatur enim maxime boni
Principis exemplo, sapientia, vigi-
lantia, magistratum & officio-
rum integritate, sacerdotum san-
ctimonia, ludimagistrorum dele-
ctu, æquis legibus, & ad virtutem
conducentibus studiis. In his igi-
tur augendis & confirmandis sit o-
mnis boni Principis cura. Lædi-
tur autem diversis, quæ facilius
excludentur à Rep. si stirpes ipsas
ac fontes conabimur tollere pri-
mum, unde hæc nasci deprehen-
dimus. In huiusmodi rebus solli-
citum & ingeniosum esse, Chri-
stiani Principis est Philosophia. In
hæc salubriter conspirare, in hæc
sua simul conferre consilia, id de-
mum Christianis dignum Princi-
pibus.

Quem

Quemadmodum corpora cœlestia, si vel paululum tumultuentur, aut recto cursu divariant, non sine gravi rerum humanarum pernicie id faciunt, id quod palam videmus in defectibus solis ac lunæ: ita summi Principes, si quid aberrant ab honesto, aut si quid ambitione, ira, stultiave peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim ulla unquam eclipsis sic affixit hominum genus, ut Iulii Pontificis, & Lodovici Galliarum regis dissidium, quod nuper & vidimus, & elevimus.

De Bello suscipiendo.

Cum quisquam oporteat Principem præcipiti esse consilio, tum haud alibi cunctantior erit aut circumspectior, quam in suscipiendo bello, quod aliis ex rebus alia nascantur incommoda, ex bello semel omnium bonarum rerum naufragium oriatur, omnium malarum rerum pelagus exunderet.

Cunctanter & circumspecte suscipiendum bellum.

Deinde

Deinde quod non aliud malum
hæret tenacius, bellum è bello se-
ritur, è minimo maximum, ex u-
nico geminum, ex ludicro serium
& cruentum nascitur, & alibi nata
belli pestis in proximos etiam,
immo in procul etiam dissitos pro-
pagatur.

*Quando
tandem
susci-
plendum
bellum.*

*Quæ sunt
ante co-
gitanda
Principi
bellum
susceptu-
re.*

Bonus Princeps nunquam o-
mnino bellum suscipiet, nisi cum
tentatis omnibus nulla ratione vi-
tari potuit. Hoc animo si fueri-
mus, vix unquam existet inter ul-
los bellum. Denique si vitari non
potest res tam pestilens, tum pro-
xima cura fuerit Principis ut
quamminimo suorum malo,
quamminimo Christiani sanguini-
nis impendio geratur, & quam
potest ocyssime finiatur. Primum
illud expendat Princeps vere Chri-
stianus, quantum intersit inter ho-
minem, paci ac benevolentia natu-
rum animal, & interferas ac be-
luas, prædationi, belloque natas.
Ad hæc, quantum intersit inter
hominem, & hominem Christia-
num.

num. Deinde contempletur , quam expertenda , quam honesta , quamque salutifera res sit pax. E diverso , quam calamitosa simul & scelerata res bellum , quantumque malorum omnium agmen secum trahat , etiam si iustissimum sit , si quod omnino bellum iustum vocari debet , postremo sepositis affectibus vel tantisper rationem in consilium adhibeat ; dum vere supputarit , quanti constitutum sit bellum , & num id , quod bello denique petitur , tanti sit , etiam si certa sit victoria , quæ non semper optimæ causæ favere solet . Expende curas , sumptus , pericula , molestum & longum apparatus . Accersenda barbarica fex sceleratissimorum hominum , & dum Princeps erga Principem animosior videri vis , etiam data pecunia blandiendum ac serviendum militi mercenario , quo quidem hominum genere non est aliud vel abiectius , vel execrabilius . Nihil bono Principi carius , quam ut suos habeat

habeat quam optimos. At quæ maior aut præsentior morum pernicies, quam bellum? Nihil Principi magis in votis, quam ut suos incolumes, ac rebus omnibus florenteis videat. At dum bellare discit, iuventutem tot periculis obiicere cogitur, & una sæpe hora tot orphans, tot viduas, tot orbos senes, tot mendicos, tot infelices reddit.

Non bel-
lando
quam ma-
la res sit
bellum,
sed a-
liunde
discat
Princeps.

Nimio constabit orbi Principum sapientia, si quam tetra res sit bellum, pergant experimento discere, ut senex aliquando dicat: Non credebam bellum esse rem a deo pestilentem. Sed ô Deum immortalem, quam innumeris totius mundi malis istam didicisti sententiam! Intelliget aliquando inutile fuisse regni propagasse fines, & quod initio lucrum videbatur, summum fuisse detrimentum, sed interim tot hominum millia vel extincta sunt, vel afflita. Hæc è libris potius discenda sunt, è commemoratione seniorum,

PRIN. CHRISTIANI. 215
rum, è finitimorum periculis. tot
iam annos ille aut ille Princeps
protali ditione digladiatur. Quan-
to plus incommodi fuit illic, quam
commodi?

Eiusmodi res instituet bonus
Princeps, quæ perpetuo placeant.
Quæ affectu sumuntur, tantisper
probantur, donec eo tenemur af-
fectu. At quæ iudicio suscipiun-
tur, & iuveni placuerunt, eadem
placebunt & seni. Verum id nus-
quam magis observandum, quam
in suscipiendo bello.

Plato seditionem vocat non bel-
lum, quoties Græci cum Græcis
belligerarentur. idque si quando
incidisset, modestissime iubet geri.
Quonam igitur nomine vocan-
dum censemus, quoties Christia-
ni cum Christianis digladiantur
tot vinculis inter se connexi?
Quid, cum id ob titulum nescio
quem, ob privatum odium, ob
stultam aut iuvenilem ambitio-
nem, & crudelissime geritur, &
in multos prorogatur annos?

Bellum
inter
Christia-
nos non
bellum
sed sedi-
tio est.

Sic

Sic Principes quidam imponunt
sibi. Est omnino bellum aliquod
iustum, & mihi causa iusta est sus-
cipiendi. Primum an omnino iu-
stum sit bellum, in medio relin-
quemus. cui non videtur sua cau-
sa iusta? Et inter tantas rerum hu-
manarum mutationes ac vicissitu-
dines, inter tot pacta fœderaque
nunc inita, nunc rescissa cui pos-
sit deesse titulus, si qualisunque
titulus satis est ad movendum bel-
lum?

Christus
& Apo-
stoli bel-
lum ubi-
que dete-
stantur.

At Pontificiæ leges non impro-
bant omne bellum. Et Augusti-
nus alicubi probat. Laudat & di-
vus Bernardus milites quosdam.
At Christus ipse, at Petrus, at Pau-
lus ubique diversa docent. Cur ho-
rum auctoritas minus apud nos
valet, quam Augustini, aut Ber-
nardi? Augustinus uno aut altero
in loco bellum non improbavit.
At tota Christi philosophia dedo-
cet bellum. Apostoli nusquam non
improbant. Atque illi ipsi sancti
doctores, à quibus volunt uno aut
altero

altero loco probatum bellum, quot locis idem improbant, ac detestantur? Cur his omnibus dissimulatis captamus quod alat nostra vicia? Postremo, si quis rem excutiat diligentius, is reperiet à nemine probatum hoc bellorum genus, quo nunc vulgo conflictamur.

Quædam artes ob hoc reiectæ sunt à legibus, quod nimium affines essent imposturæ, & plerunque dolo tractarentur, velut Astrologia, & Alchimistica, quam vocant, etiamsi fieri potest, ut aliquis hisce rebus recte utatur. Id longe iustius fiat in bellis, quorum etiam si possit aliquid esse iustum, tamen ut nunc sunt res mortalium, haud scio an ullum eiusmodi reperire liceat, hoc est cuius auctor non sit ambitio, aut ira, aut ferocitas, aut libido, aut avaritia. Sæpenumero fit ut proceres profusiores quam pro re familiari, data opera bellum suscitant, quo suorum etiam expilatio-

Cur à
Principi-
bus bella
suscipi-
antur.

nibus rem augeant domi. Fit aliquoties ut Principes inter se colludant, & fictis titulis rem gerant, quo magis attenuent populi vires, & publicis malis parteis suas stabiliant. Quapropter bonus & Christianus Princeps omne bellum quantumvis iustum suspectum habere deberet.

At inculcant non esse ius deservendum. Primum istud ius magna ex parte ad privatum Principis negotium pertinet, siquid illi accrexit ex affinitate. Ut iniquum sit hoc tam immensis populi malis persequi, & dum nescio quam distinctionis accessionem persequeris regnum universum expilare, & in extremum discrimen adducere. Offendit Princeps Principem in re levicula, eaque privata, nempe in affinitate aut alia simili, quid hoc ad universum populum?

Omnia bonus Princeps publicis metitur commoditatibus, alioquin ne Princeps quidem fuerit. non idem est ius in homines, & in pecunia

Eundum
ad arbitros si
dissidium
natum
fuerit.

pecudes. Bona pars imperii consensus est populi. ea res primo reges peperit. Quod si quod dissidium ortum fuerit inter Princes, cur non potius ad arbitros itur? Sunt tot Episcopi, tot Ab-bates, & eruditi viri, tot graves magistratus, quorum sententia rem confici decebat, potius quam tot stragibus, tot expilationibus, tot orbis calamitatibus.

Primum suspectum esse debet Christiano Principi suum ius, deinde si maxime constet, expenditure oportet an tantis totius orbis malis sit vindicandum, qui sapient, malunt aliquoties rem perdere, quam persequi, quod hic perspiciant minus esse dispendii. Mallet (opinor) Cæsar concedere de iure suo, quam monarchiam illam veterem persequi, & ius illud, quod illi deferunt iure consultorum literæ.

At quid erit tutum (inquiunt) si nemo ius suum persequatur? Persequatur sane, si id expediat

Reip. modo ne nimio constet ci-
vibus ius principis. At nunc quid
usquam tutum est, dum suum quis-
que ius tam ad vivum persequi-
tur? Videmus bella ex bellis na-
sci, bella bellis succedere, nec ul-
lum tumultuandi modum, aut fi-
nem. Satis igitur constat hisce ra-
tionibus nihil agi. Proinde di-
versa tentanda remedia. Ne inter
amiculos quidem constabit ne-
cessitudo, nisi alter alteri non nun-
quam concederit. Maritus saepe
quædam condonat uxori, ne scin-
dat concordiam. Bellum quid gi-
gnat, nisi bellum? At civilitas ci-
vilitatem invitat, æquitas equita-
tēm. Movebit & hoc Principem
pium, & clementem, quod per-
spiciat ex tam immensissimalis, que
bellum omne secum invehit, ma-
ximam partem ad eos redire, ad
quos bellum nihil attinet, qui que
his calamitatibus sunt indignis-
simi.

*Quid co-
gitandum
Principi
bellatu-
re.*

Posteaquam Princeps univer-
forum malorum subductis calculis
summam

summam collegit (si tamen unquam colligi possit) tum ita secum cogitet. unus ego tot malorum auctor fuero? Tantum humani sanguinis, tot viduæ, tot luctu funestæ domus, tot orbi senes, tot indigne egentes, tanta morum, legum, ac pietatis pernicies mihi uni imputabitur? Hæc mihi luenta Christo?

Non potest Princeps ulcisci hostem, nisi prius hostilia fecerit in suos. Expilandus populus, accipiendus miles, non sine causa Maroni dictus impius. Excludendi cives ab hisce regionibus, quibus antea suo bono fruebantur. Includendi cives, ut includas hostem. Et sæpen numero fit ut atrociora committamus in nostros, quam in hostem.

Ut difficilius, ita pulchrius est extruere præclaram civitatem, quam demoliri. Videmus autem ab idiotis & privatis condi florentissimas urbes, quas Principum ire demoliuntur. Et sæpen numero ma-

Bellum
sumptuo-
sius pace.

222 INSTITUTIO
iore negotio & impensa demoliti.
mur oppidum , quam aliud no-
vum condi poterat, ac bellum tan-
to sumptu , tanto dispendio , tan-
to studio , curaque molimur , ut
decima earum rerum portione
pax constare potuerit.

Eam gloriam semper affectet
bonus Princeps , quæ sit incruen-
ta , & cum nullius coniuncta ma-
lo? In bello ut optime res eveniat,
tamen alterius partis felicitas , al-
terius est pernices. Sæpenumero
flet & victor nimio emptam vi-
ctoriam.

Abstî-
nendum à
bellis vel
ob Chri-
stiani no-
minis
honorem.

Si non movet nos pietas , si non
orbis calamitas , certe moveat ho-
nos Christiani nominis. Quid
censemus loqui de nobis Turcas ,
& Saracenos , cum videant tot
iam sæculis adeo nihil convenire
inter ullos Principes Christianos?
Nullis fœderibus cohærere pa-
cem? Fundendi sanguinis nullum
esse modum ? & minus esse tu-
multus inter ethnicos , quam inter
eos , qui ex Christi doctrina
sum-

PRIN. CHRISTIANI. 223
summam profiteantur concordiam?

Quam fugax, quam brevis,
quam fragilis est hominum vita,
& quot obnoxia calamitatibus,
quippe quam tot morbi, tot casus
impetunt assidue, ruinæ, naufragia,
terræmotus, fulmina. Nihil
igitur opus bellis accersere mala,
& tamē hinc plus malorum quam
ex omnibus illis.

Concionatorum partes erant ^{officio} dissidiorum affectus ex animis ^{conciona-}
^{torum.} vulgi penitus revellere. Nunc fere
Gallum odit Anglus non ob aliud, nisi quod Gallus est, An-
glum Scotus, tantum quia Scotus
est, Germanum Italus, Elvetium
Suevus, atque item de cæteris.
regio regioni invisa, civitas civi-
tati. Cur hæc stultissima nomi-
na magis nos distrahunt, quam
conglutinat omnibus commune
Christi vocabulum?

Ut donemus aliquod bellum ^{sacerdo-}
esse iustum, tamen quoniam vi-
demus in hanc pestem insanire
^{tum par-}
^{tes,}

mortales omnes, sacerdotum prudentia fuit in diversam partem avocare plebis ac Principum animos. Nunc videmus hos non nunquam esse belli faces. Non pudet episcopos versari in castris. Illic crux, illic Christi corpus, & cum re plusquam tartarea miscent coelestia sacramenta, & in tam cruento dissidio adhibent summæ charitatis symbola. Quodque magis est absurdum, in utrisque castris adest Christus, velut ipse secum pugnans. Non sat erat inter Christianos tolerari bellum, nisi summus etiam habetur honos?

A bellis
deterrent
euange-
lia.

Si non tota undique Christi doctrina cum bello pugnat. si unum proferre possint illi belli nomine commendatum, bellemus Christiani. Permissum erat Hebreis bello conflictari, sed consulto Deo. At nostrum oraculum, quod assidue nobis in Evangelicis literis resonat, à bello deterret, & tamen belligeramus insatiens,

nus, quam illi. David aliis virtutibus Deo fuit gratissimus, & tamen vetuit ab hoc sibi conditum, non ob aliud, nisi quod sanguinarius, hoc est bellator esset. Solomonem pacificum in hoc delegit. Si hæc acta sunt inter Iudeos, quid de nobis fiet Christianis? Illi Solomonis umbram habebant, nos verum Solomonem, pacificum illum Christum omnia conciliantem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.

Ego nec in Turcas bellum temere suscipiendum censeo. Pri-
mum illud mecum reputans Chri-
sti ditionem longe diversa via na-
tam, propagatā, & constabilitam.
Neque fortasse convenit aliis ra-
tionibus vindicari, quam quibus
orta, propagataque est. Et vide-
mus huiusmodi bellorum prætex-
tibus iam toties expilatam ple-
bem Christianam, nec aliud quic-
quam actum. Iam si fidei nego-
tium agitur, ea martyrum tole-
rantia non militū copiis aucta, il-
lustra-

Bellum in
Turcas.

Iustrataq; est, si de imperio, de opibus, de possessionibus pugna est, etiam atque etiam videndum est nobis, ne res ea parum sapiat Christianismum. Quin ut nunc sunt fere, per quos huiusmodi bella geruntur, citius fiat, ut nos degeneremus in Turcas, quam illi per nos redantur Christiani. Primum hoc agamus, ut ipsi simus germane Christiani, deinde si visum erit, Turcas adoriamur.

Principes
sunt stu-
dioſi
pacis.

Verum de belli malis aliâs plura conscripsimus, quæ non est huius loci repetere. Tantum illud horabar Principes Christiani nominis, ut omissis fictis titulis & facultatis praetextibus serio, totoque pectore hoc agant, ut tam diutina, tamque fœda bellandi rabies inter Christianos finiatur, & inter eos, quos tot copulant pignora, pax & concordia coeat. In hoc ingenium explicit suum, in hoc vires expediant, in hoc consilia conferant, in hoc nervos omneis intendant, qui magni videri student.

dent, sic se magnos probent. Id si quis præstiterit, is rem longe splendidiorem confecerit, quam si totam Africam armis subegerit. Nec admodum difficile factu fuerit, si suæ quisque causæ blandiri desinat, si sepositis affectibus privatis rei communis negotium agamus, si Christus nobis sit in consilia, non mundus. Nunc dum suum quisque negotium agit, dum Pontifices & Episcopi de ditione, & opibus axii sunt, dum Princes ambitione, aut ira feruntur præcipites, dum his obsequuntur sui compendii gratia omnes, in has nimirum rerum procellas incurrimus stultitiæ ducta.

Quod si communi consilio commune negotium ageremus, etiam ea, quæ cuique privata sunt, magis florerent. Nunc & hoc perit, pro quo solo digladiamur.

Neque mihi dubium est Principum illustrissime, quin hoc sis animo. Sic natus es, sic ab optimis & in-

per ora- & integerrimis viris institutus.
 tiuncula Quod supereft, precor ut Christus
 ad Caro- optimus maximus tuos egregios
 lum Prin- cipem conatus bene fortunare perga.
 cipem Maximi- Dedit ille incruentum imperium.
 liani Cx- Idem velit semper esse incruen-
 faris ne- tum. Ille Princeps pacis dici gau-
 potem. det. Faxit idem ut tua bonitate,
 tuaque sapientia tandem ab insa-
 nissimis bellis liceat feriari. Pacem
 nobis commendabit etiam præte-
 ritorum malorum recordatio,
 & tui beneficii gratiam su-
 periorum temporum
 calamitates con-
 duplicabunt.

F I N I S.

ENCHIRIDION
MILITIS
CHRISTIANI,
Auctore,
DESIDERIO ERASMO
Roterodamo.



LUGDUNI BATAVORUM;
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
c I o I o c x l i .

CHRISTIAN

310332

ДИАЛОГИ СО СВОИМ БОЖИЕМ

Expositione Mariae
Immaculatae Batavorum
Clericorum

UNED

Reverendo in Christo Pa-
tri ac D. D.

PAULO VOLSIO

religiosissimo Abbati mona-
sterii, quod vulgo dici-
tur Curia Hugonis,

D E S. E R A S M U S

R O T E R O D A M U S

S. D.



Vñquam libellus il-
le, cui titulum feci-
mus, Enchiridion
militis Christiani,
quem olim uni mihi,
& amiculo cuidam
prorsus ἀναφεζότε scripseram, minus
disspicere cœperit pater integerrime,
posteaquam tibi tuique similibus vi-
deo probari, quibus ut estis ipsi pia do-
ctrina, & docta pietate prædicti, scio
nihil probari quod non iuxta pium
sit atque eruditum, tamen propemo-
dum etiam placere cœpit, ubi video
toties iam excusum formulis, semper

A 2

velut

4 ERASMI EPISTOLA
velut novum efflagitari, si modo mihi non blandiuntur typographi. Verum illud rursus sapenumero male habet animum meum, quod olim amicus quidam eruditus falsissime dixit, ludens quidem ille, sed utinam non perinde vere ac false, in libello plus conspici sanctimoniam quam in libelli autore. Idque eo gravius etiam fero, quod idem usu venit in eo, cui mutando potissimum hoc laboris suscipiebatur. Siquidem & is adeo se non revulsit ab aula, ut multo altius in dies immergatur, qua pietate nefcio, sed omnino, quod ipse fatetur, magna calamitate. Nec me tamen admodum miseret amici, quo vel fortuna magistra resipiscat aliquando, qui nostris monitis parere noluerit.

Adversa fortuna quosdam corrigit.
Me vero licet semper huc enitentem, tot casibus, tot tempestatibus meis exercuit genius, ut Ulysses Homericus pra me Polycrates quispiam videre possit. Et tamen eius laboris me non omnino paenitet, sitam multos extimulat ad vera pietatis studium. Nec ipse tamen modis omnibus insectandus,

Polycrates Sa-
miorum
tyrannus
perpetua
prosperi-
tate usus.

dus, si monitis meis parum respondeo. Primum, est aliqua pietatis pars, ex animo velle pium fieri, neque reiiciendum opinor peccatum, talibus intentum cogitationibus, etiam si contum aliquando destituat successus. Semper hoc agendum in omni vita, & crebro retentatum, succedet aliquando. Bonam autem itineris perplexi partem confecit, qui viam probe didicit. Nihil igitur me movent quorumdam scommata, qui libellum hunc ceu parum eruditum aspernantur, & qui vel ab elementario quovis scribi possit, quod nihil tractet Scoticarum questionum, quasi sine his nihil omnino sit eruditum. Sit sane parum acutus, modo sit pius. Non reddit instructos ad palestram Sorbonicam, modo reddit instructos ad tranquillitatem Christianam. Non faciat ad disputationem Theologicam, modo faciat ad vitam Theologicam. Quorsum autem attinet hoc tractare, quod nemo non tractat? Quis hodie non versatur in questionibus Theologicis, aut quid aliud agunt gymna-

6 ERASMI EPISTOLA

siorum examina? Tot pene sunt in
Sententiarum libros commentarii,
quot Theologorum nomina. Quis
Summulariorum modus aut nume-
rus, aliud ex alio miscentium acre-
miscentium, & pharmacopola-
rum ritu, ex novis veteris, ex ve-
teribus nova, è pluribus unum, ex
uno plura subinde fingentium acre-
fingentium? Qui fiet ut huiusmodi
voluminum moles, nos ad recte vi-
vendum instituant, quæ ne per o-
mnem quidem vitam vacet evolve-
re? Veluti si medicus morbo presenta-
neo laboranti prescribat, ut Iacobi à
Partibus libros, ac reliquos his adsi-
mileis omneis evolvat, illic repertu-
rus, quo valetudinem sarciat. At
hunc interea mors occuparit, nec erit
cui possit succurri. In tanta etatis
fugacitate, parato promptoque reme-
dio est opus. Quot voluminibus pre-
cipiunt de restitutione, de confessione,
de scandalis, deque aliis innumeris?

Temeri-
tas fin-
gula desi-
niendi, Cumque minutatim excutiant sin-
gula, singula sic definiant quasi cate-
rorum omnium ingenii diffidant,

imo

imo quasi Christi diffidant bonitati,
dum p̄ntāc pr̄scribunt, quid ille cui-
que factō vel p̄mii debeat vel sup-
plicii, tamen nec inter se consentiunt,
nec aliquoties rem liquido explicant,
si proprius consulantur, tanta est vel Differ-
no.
ingeniorum vel circumstantiarum
varietas. Porro ut omnia vere, ut
omnia recte definierint, pr̄terquam
quod iejune frigideq; tractantur ista,
quo cūique vacat tantum volumi-
num evolvere? aut quis possit secum
Aquinatis Secundæ secundam cir-
cumferre? Et tamen nullius non re-
fert bene vivere, ad quod Christus o-
mnibus aditum facilem esse voluit,
non inexplicabilibus disputationum
Labyrinthis, sed fide sincera, charitæ-
te non ficta, quam comitatur spesque
non pudebit. Postremo versentur in
magnis illis voluminibus magni Ra-
bini, qui pauci sint oportet. At nigh-
lo secius interim imperita multitudi-
ni pro qua mortuus est Christus, con-
sulendum est. Pracipuam autem
Christianæ pietatis portionem docuit,
quisquis ad huius inflammatu*rem.*

Theolo-
gia pau-
corum,
Salus o-
mniuum.

8 ERASMI EPISTOLA

rem. Sapiens ille Rex filium insituens ad veram sapientiam, non pauclo plus opera sumit in adhortando quam in docendo, quasi sapientiam amasse, propemodum parasse sit. Quod turpe est iurisperitis ac medicis, quorum utrique de industria suam artem reddidere difficillimam, quo simul & questus sit uberior, & gloria maior apud imperitos, id longe turpius fuerit fecisse in philosophia Christi. Imo contra conniti par est, ut eam quam fieri potest, reddamus facilissimam, & omnibus expositam. Neque illud sit nobis studio, ut ipsi literati videamur, sed ut quamplurimos ad Christianam vitam pelliciamus. Adornatur iam bellum in Turcas, quod quo cunque consilio institutum, precandum est, non ut paucis quibusdā, sed ut in commune bene vertat omnibus. Sed quid futurum arbitramur, si victis (neque enim universos opinor ferro trucidabimus) ut Christum amplectantur, Occamos, aut Durandos, aut Scotos, aut Gabrieles, aut Alvaros proposuerimus? Quid cogitabunt,

Bellum
in Tur-
cas.

tabunt, aut quid sentient (sunt enim
et illi, ut nihil aliud, certe homines)
ubi audierint spinoas illas et inex-
tricabileis argutias de instantibus, de
formalitatibus, de quidditatibus, de
relationibus? præsertim ubi viderint
de iis adeo non convenire inter ma-
gnos illos religionis professores, ut fre-
quenter usque ad pallorem, usque ad
convicia, usque ad spuma, nonnun-
quam et usque ad pugnos invicem
digladiantur: ubi Prædicatores pro
suo Thoma cominus atque eminus
dimicantes, Minoritas contrasubti-
lissimos ac seraphicos doctores iunctis
umbonibus tuentes: alios ut nomi-
nales, alios ut reales loqui? Si vide-
rint rem usque adeo difficilem esse, ut
nunquam satis discussum sit, quibus
verbis de Christo sit loquendum: per-
inde quasi cum moroso quopiam agas
dæmone, quem in tuam ipsius perni-
ciem evocaris, si quid te fefellerit in
verbis præscriptis, ac non potius cum
clementissimo servatore, qui à nobis
præter puram simplicemque vitam
nihil exigit. Obsecro te per Deum

Discor.
dia Theo-
logorū.

Christus
animum
exigit,
non ver-
ba.

10 ERASMI EPISTOLA
immortalem, quid istis agetur rebus,
maxime si superciliosae doctrinae mo-
res & vita similis respondeat? Si ex
streITU nostro plusquam tyrannico,
perspexerint ambitionem nostram,
si ex rapacitate avaritiam, si ex stu-
bris libidinem, si ex oppressionibus sa-
vitiam, qua fronte ingeremus illis
Christi doctrinam, ab hisce rebus lon-
ge lateque discrepantem? Efficacissi-
ma Turcas expugnandiratio fuerit, si
cōspexerint in nobis elucere, quod do-
cuit & expressit Christus, si senserint
nos non ipsorum inhiare imperiis, non
sitire aurum, non ambire possessiones,
sed præter eorum salutem & Christi
gloriam nihil omnino querere. Hac
est illa Theologia vera, germana, ef-
ficax, qua olim & philosophorum su-
pericia, & principum invicta sceptra
Christo subegerit. Hoc agentibus
nobis, aderit ipse CHRISTUS. Ne-
que vero convenit, ut hoc argumen-
to nos valde Christianos declaremus,
si quam plurimos occiderimus, sed si
quam plurimos servaverimus, non
si multa impiorum millia sacrificia-
veri-

Vita
Christia-
na.

Quibus
rebus po-
ti'simum
expugna-
di Tur-
ce.

Christia-
num est
servare,
non per-
dere.

AD P. VOLSIUM. II

verimus Orco , sed si quam plurimos ex impiis reddiderimus pios: non si illos diris execrationibus devoveamus, sed si piis votis salutem illis ac meliorrem mentē à superis optemus. Quod si hic non adsit animus , citius futurum est , ut nos in Turcas degeneremus, quam ut Turcas in nostras partes pertrahamus. Et ut feliciter cadas Martis semper ancipitis alea , fiet ut latius fortasse regnet Pontifex , aut huius Cardinales, non ut latius regnet Christus , cuius regnum ita demum floret, si vigeat pietas, si charitas, si pax, si castitas , id quod optimi Leonis decimi ductu atque auspiciis fore confidimus, ni quod optimum est conantem aliorum rapiat rerum humanarum astus. Ipse Christus sese regni cœlorum vindicem ac principem profitetur , quod non aliter splendidum est , quam si triumphent cœlestia. Neque enim ideo mortuus est Christus ut opes, ut copia , ut arma, reliquaque illa mundani regni Tragœdia, qua quondam penes ethnicos aut certe prophanos principes fuit,

Belli extus in-
certus.

Christi
regnum.

12 ERASMI EPISTOLA
ethnicis non ita multum absimiles,
nunc sit penes sacerdotes aliquot. Ac
mea sententia consultum fuerit, mul-
to ante, quam armis experiamur, il-
lorum animos epistolis ac libellis so-
licitare. Sed qualibus epistolis? Non
minacibus, non tyrannicis, sed que
spirent vere paternam charitatem,
qua & Petri Paulique pectus referant,
qua non titulum modo preferant A-
postolicum, sed & p[ro]p[ter]ea resipiant a-
postolicam. Non quod nesciam fontem
omnem ac venam Christianae philo-
sophiae reconditam esse in Euangelicis
& apostolicis literis, sed sermo pere-
grinus, ac sapenumero perturbatus,
tum figura tropique obliqui, tantum
habent difficultatis, ut nobis etiam
non raro sudandum sit, priusquam
intelligamus. Commodissimum ita-
que mea sententia fuerit, si muneras
hoc viris aliquot iuxta piis ac doctis
delegetur, ut ex purissimis fontibus
Euangelistarum & apostolorum, ex

Compen- probatissimis interpretibus univer-
dium de- sam Christi philosophiam in compen-
arinx. Christia- dium contrahant, ita simpliciter, ut
na. tamen

tamen erudite: ita breviter, ut tam
men dilucide. Quae pertinent ad fi-
dem, quam paucissimis articulis ab-
solvantur. Quae ad vitam, item pau-
cis tradantur, & sic tradantur, ut
intelligant Christi iugum blandum
& commodum esse, non asperum, ut
intelligant se patres esse nactos non
tyrannos, pastores non predones, ad
salutem vocari, non ad servitutem
pertrahi. Homines sunt & illi, nec
ferrum aut adamantem gestant in
pectore, possunt mollescere, possunt
officiis adiungi, quibus mansuescunt
& ferae. Et efficax in primis res est
Christianæ veritas. Sed quibus Ro-
manus Pontifex hoc negotii volet de-
legare, eadem opera mandabit, ne
quid deflectant ab archetypo Christo,
nec usquam ad hominum affectus aus
cupiditates respiciant. Tale quid-
dam utcunque mihi tum parturie-
bat animus, cum hoc Enchiridii cu-
derem. Videbam Christianorum vul-
gus non affectibus modo, verum etiam
opinionibus esse corruptum. Perpen-
debam eos qui pastores ac doctores se-

Homines
sunt &
Turce.

Corru-
ptela sc-
culi.

pro-

14 ERASMI EPISTOLA
profitentur, plerosque ad suum compendium CHRISTI titulis abuti, ne quid interim commemorem de his, quorum nutu ac renatu res humanae sursum deorsum ἀγοντες καὶ φέροντες, ad quorum vitia quantumvis manifesta vix licet ingemiscere. Et in tanta rerum caligine, in tantis mundi tumultibus, in tanta humanarum opinionum varietate, quo potius confugiendum quam ad vere sacram anchoram Euangelicae doctrinae? Quis Vere pius non videt ac suspirat, hoc seculum longe corruptissimum? Quando unquam tyrannis, quando avaritia regnavit, aut latius aut impunitius? Quando unquam plus tributum ceremoniis? Quando licentius exundavit iniquitas? Quando sacerdotia fricxit charitas? Quid affertur, quid legitur, quid auditur, quid decernitur, nisi quod ambitionem quaestumque sapiat? O infelices nos, nisi CHRISTUS nobis aliquot sua doctrina scintillulas, suaque mentis ceu vivas & eternas venulas reliquisset. In hoc igitur enitendum, ut omis-

omissis hominum prunis, has scintil-
las àrāζωπυρῷμψ; nam Paulino ver-
bo libenter utimur, has venas scrute-
mur, donec reperiamus aquam vi-
vam salientem in vitam eternam.
Hanc nostram terram altissime scru-
tamur, ut vitiorum eruamus ali-
menta, & Christi ditissimam terram
non rimamur, ut eliciamus salutem
animatorum? Nunquam ulla vitio-
rum hyems sic extinguit charitatis
ardorem, quin ex hoc silice possit re-
stitui. Petra C H R I S T U S: sed hæc ^{I Cor. 10.}
petra seminarium habet ignis cœle-
stis, venas habet aquæ vivæ. Fodit
olim putoes Abraham in omni ter- ^{Gen. 16.}
ra, ubique scrutans venas aquæ vi- ^{25.}
væ. Sed eosdem à Philistinis terra
oppletos refodit Isaac cum pueris suis,
nec contentus instaurasse pristinos, fo-
dit & novos. Ac rursum movent
iurgium & rixas philistai, neque ta-
men ille desinit fodere. Nechis tem-
poribus omnino desunt philistai, qui-
bus terra gravior est vitalibus fon-
tium scatebris, quippe ii qui terrena
sapiunt, & ad terrenos affectus detor-

Rebus
confusis,
ad Euau-
gelia re-
currēndū.

Philistai
nostrorū
temporū.

quent

16 ERASMI EPISTOLA

quent doctrinam Euangelicam, quam cogunt humana servire ambitioni, cogunt lucris turpibus & tyrannidi sua obsecundare. Quod si quis Isaac, aut si quis ex huius familia foderit, repereritque venam aliquam puram, protinus obstrepunt ac reclamat, intelligentes eam venam offeturam lucris, offeturam ambitioni, etiam si pro Christi gloria faciat. Mox terram iniiciunt, & corrupta interpretatione venam obturant, fossorem depellunt, aut ita certeluto sordibusque conspurcant aquam, ut qui inde biberit, plus hauriat limisordiumque, quam liquoris. Nolunt
Hiere. 2. sitientes iustitiam, de puro latice bibere, sed adducunt ad suas cisternas contritas, que rudera habent, aquam non habent. Sed tamen non oportet germanos pueros Isaac, hoc est, veros Christi cultores ab hoc labore defatigari. Nam inter hos quoque volunt baberi, qui terram ingerunt Euangelicis fontibus, adeo ut inter Christianos iam minime tutum sit, Christum pure docere. Tantum invaluerunt

Phili-

Philistai, pro terra belligerantes, pro cœlestibus terrena, pro diuinis humana prædicantes, hoc est, non ea quæ faciunt ad Christi gloriam, sed quæ ad illorum questum, qui condonationes, Redem-
qui compositiones, similesque caupo- ptores veniarū.
nationes redimunt. Idque faciunt hoc periculosius, quod suis cupiditatibus, magnorum principum, summi Pontificis, atque ipsius etiam Christi titulos prætexunt. At qui nemo verius summi Pontificis agit negocium, quam qui cœlestem Christi philosophiam pure tradit, cuius ille primus est doctor. Nemo de principibus melius meretur, quam qui dat operam, ut populares quam maxime florent. Et quam minima tyrannide premantur. Sed reclamabit hic aliquis e scholarum agminibus. Facile est cuivis in genere præcipere, quid sequendum, quid fugiendum. At quid interim respondebitur iis qui de tot eventis, tot casibus consulunt? Primum, plures sunt rerum humanarum species: quam ut ad singulas possint haber certa responsa. Deinde

Non po-
test certo
respon-
deri ad
singula.

tanta

18 ERASMI EPISTOLA
tanta est circumstantiarum varietas,
ut nisi his cognitis ne possit quidem
certum responderi. Postremo haud
scio an isti certum habeant quod re-
pondeant, præsertim cum de plerisque
inter se dissentiant. Et qui in hoc ge-
nere cordatores sunt, non ita respon-
dere solent: Hoc facies, hoc fugies, sed,
hoc tutius est measententia, hoc arbi-
tror tolerabile. Quod si nobis adsit
simplex ac lucidus ille oculus ex Eu-
angelio, si domus animi puræ fidei lu-
cernam habeat candelabro imposi-
tam, facile minuta ista ceu nebula
discutientur. Si adsit Christianæ cha-
ritatis regula, ad hanc omnia facile
exequabuntur. At quid facias, cum
hæc regula pugnabit cū his, quæ sunt
publico seculorum usu recepta, quæ
que principum legibus sancita: nam
et hoc non raro usu venit. Ned am-
naris, quod pro suo officio gerunt prin-
cipes. At rursum: Noli contaminare
cœlestem illam Christi philosophiam
humanis decretis. Maneat Christus
id quod est, centrum, ambientibus
circulis aliquot. Noli scopum suo
move-

Lumen
fidei.

Obieatio.

Solutio.

Christas
centrum.
Circuli
tres, Pri-

moveare loco. Qui proximi Christo sunt, Sacerdotes, Episcopi, Cardinales, Pontifices, & quorum est sequi agnum quocunque ierit, purissimam illam partem amplectantur, & quo ad licet in proximos transfundant.

Secundus circulus habeat principes prophanos, quorum arma legesque suo quodam modo Christo serviunt, sive dum iustis bellis profligant hostem, publicamque tuentur tranquillitatem, sive dum legitimis suppliciis coercant facinorosos. Et tamen quonia necessario versantur in his rebus, que cum insima fecerat terra, queque cum mundi negotiis coniuncta sunt, periculum est ne prolabantur longius: Ne bellum non pro republica, sed pro sua libidine gerant: Ne iustitia pratextu saviant & in eos, quos clementia sanare poterat: Ne titulo dominii populam expilent, quorum res tueri debuerant. Porro ut Christus velut ignis eternifons, sacerdotum ordinem proxime ad se trahit, ac velut igneos reddit, puros ab omni terrena fecis contagio: ita sacerdotum est & praesertim

mus Ecclesiasticorum.

Secundus circulus.

Sacerdotum officium.

20 ERASMI EPISTOLA
sertim summorum, principes quoad li-
ceat ad se servare. Sicubi bellum
ingruerit, admittantur pontifices, ut
aut componantur res citra sangu-
inem, aut si id non potest, ut sunt re-
rum humanarum procellae, certe id
agant, ut minus cruenta geratur bel-
lum, neve in longum propagetur. O-
lim & iniustis suppliciis intercedebat
Episcoporum auctoritas, & subinde
nocentem è iudicium manibus extor-
quebat, ut palam in epistolis suiste-
statur Augustinus. Sunt enim que-
dam ita necessaria ad ordinem reipu-
blice, ut ea tamen Christus partim
dissimularit, partim à se reiecerit,
partim nec improbans, nec approbans
velut ad ea conniveat. Non agnoscit
nummum Cæsaris nec inscriptionem.
Censum ita dari iubet, si debeatur,
quasi ad se non multum pertineat,
modo detur Deo quod illi debetur.
Adulteram nec damnat, nec palam
absolvit, tantum iubet, ne repetat ad-
missum. De damnatis à Pilato, quo-
rum sanguinem miscuerat cum illo-
rum sacrificiis, non pronunciat recte

Augusti-
nus.

Quz, &
quatenus
ad Ecce-
fix pro-
ceres
pertinet.

an

an secus hoc passi sint, tantum simile exitium comminatur omnibus, nisi resipiscant. Porro vocatus arbiter dividenda hereditatis palam reiicit, velut indignum se de rebus tam crassis pronunciare, qui cœlestia doceret. Contra sunt quæ palam detestatur.

In Phariseos avaros, in hypocritas, in ^{Quæ} Christus divites elatos, vœ intonat: Apostolos ^{palam} nunquam acrius redarguit, quam u-^{damna-}
bi vindicta cupiditate, aut ambitio-
nis affectu tanguntur. Rogantibus
an iussi essent ignem è cœlo descen-
dere, qui exureret civitatem unde
excludedbantur: Nescitis, inquit, cuius
spiritus sitis. Petru à cruce ad mun-
dum revocare conantem, Satanam
appellat. De primatu disputantes, ^{Quæ} palā
quot modis & quoties revocat ad di-
versum affectum? Sunt item quæ pa-
lam docet ac præcipit: Non resistere,
malo, bene mereri de inimicis, animi
mansuetudinem, aliaque consimilia.
Distinguenda sunt hæc, & in suum
quæque digerenda locum. Ne proti-
nus igitur horum quæ geruntur à ^{Principū}
principibus aut prophanis magistrati-
<sup>leges me-
diæ sunt,</sup>
bus

22 ERASMI EPISTOLA
bus CHRISTUM faciamus aucto-
rem, aut, ut nunc loquuntur, iuri
divino asseramus. Crassa quædam ab
illis tractantur, nec omnino Christia-
nae puritatis, sed quæ tamen insectan-
da non sint, utpote necessaria ad re-
rum ordinem tuendum. Nec enim
horum ministerio fit, ut boni simus,
sed ut minus mali, utque qui mali
sunt, minus noceant reipublica. De-
betur igitur & his suus honos, quod
ut cunque serviant iustitia divina,
publica & que tranquillitati, sine qua
turbantur aliquoties & ea, quæ sunt
pietatis. Honorandi sunt ubi suo fun-
guntur officio, tolerandi fortassis ubi
gerunt potestatem, ne quid deterius
exoriatur, Sublucet enim in his quo-
que imago vel umbra verius divina
iustitia, quam tamen oportet longe
expressius, evidentius, ac purius in sa-
cerdotum moribus ac legibus elucere.
Aliter in ferro relucet imago, aliter in
vitreo speculo. In tertio circulo pro-
miscuum vulgus collocemus, veluti
crassissimam huius orbis partem, sed
ita crassissimam, ut tamen ad Christi
per-

Mali
principes
aliquan-
do tote-
randi,

Circulus
tertius.

pertineant corpus. Neque enim oculi tantum corporis membra sunt, verum etiam sura, pedes, ac pudenda. His sic est indulgendum, ut semper quoad fieri poterit, vocentur ad ea quæ Christo sunt potiora. Nam in hoc corpore, qui modo pes erat, oculus fieri potest. Et tamen ut principes si sint impii, non sunt exacerbandi conviciis, ne provocati graviores excitant Tragœdias, iuxta sententiam Augustini: ita populus imbecillus ex-
emplo Christi, qui tanta lenitate tulit ac fovit suos discipulos, ferendus erit, ac paterna fovendus indulgentia, do-
nec paulatim grandescat in Christo. Habet enim & pietas suam infan-
tiam, habet etatis accessus, habet perfectum & vegetum robur. Omni-
bus tamen pro sua cuique portione ad Christum est enitendum. Elemen-
torum suus cuique locus est. Sed ignis
qui summam tenet sedem, omnia
paulatim ad se rapit, & quoad licet
in suam transformat naturam. A-
quam aliquatam vertit in aërem, aë-
rem extenuatum in se transformat.

Toleran-
di infir-
mi, donec
proficiat.

Multa

Multa Paulus indulget Corinthiis,
distinguens interim, quæ domini no-
mine proponeret perfectis, & quæ suo
nomine indulgeret infirmis, hac spe
tamen ut proficerent. Galatas ite-
rum parturit, donec in eis formetur
Christus. Iam qui putabit hunc cir-
culum principibus magis tribuen-
dum, cum hoc non fuerit magna con-
tentio. Quicquid autem extra ter-
tium circulum erit, id semper & in
omnibus detestandum, quod genus
sunt ambitio, studium pecunia, libi-
do, vindicta, invidia, obrectatio, reli-
queque pestes: sed quemdem
fiunt immedicabiles, cum pietatis &
officii persona commendata, in supe-
riores circulos irrepunt, hoc est, cum
iustitia iurisque praetextu nostram ex-
ercemus tyrannidem, cum per religio-
nis occasionem consulimus quæstui, cum
Ecclesia defendenda titulo munda-
num venamur imperium: cum praci-
piuntur velut ad Christi rem facien-
tia, que longissime absunt à Christi
doctrina. Proinde scopus omnibus est
ingerendus, ad quem enitantr. Sco-
pus

scopus
non est
mutatus.

pus autem unicus est, videlicet Christus, & huius doctrina purissima. Quod si pro cœlesti scopo terrenum proponas, non erit ad quod recte intentatur qui contendit proficere. Quod summum est, id omnibus est destinandum, ut saltem asequamur mediocria. Nec est quod ullum vita genus ab hoc scopo submoveamus. In affectibus est Christi perfectio, non in vita genere: in animis est, non in palliis aut cibis. Sunt inter monachos, quos vix recipit extremus circulus, & tamen de bonis loquor, sed infirmis. Sunt inter digamos, quos Christus primo dignatur circulo. Neque vero fit interim ulli vita professioni iniuria, si quod est optimum ac perfectissimum omnibus proponitur. Nisi forte Plato contumeliosus fuisse putatur in omnibus civitates, quoniam in politia sua eiusmodi reipublica proposuit exemplar, quale hactenus videre non licuit: Aut Quintilianus universum oratorum ordinem lafit, quia tale finxit oratoris exemplar, qualis adhuc nullus extitit. Procul abes ab archetypis.

Omnibus
ad perfe-
ctionem
est eni-
tendum,

typus non reiiceris, sed extimularis ut
 proficias. Non multum abes? admoni-
 neris, ut accedas proprius. Neque enim
 quisquam usque adeo processit, ut non
 habeat quo proficiat. Habet autem u-
 numquodque vita genus cognata
 Princi- quādam degenerandi pericula: ea qui
 pum vitia commonstrat, non derogat ordini, sed
 commu- rem ordinis agit. Veluti, principū fe-
 nia. licitas obnoxia est tyrannidi, obnoxia
 est stultitia, obnoxia adulatio: hac
 qui commonstret vitanda, beneme-
 retur de principum ordine. Nec dero-
 gat illorum maiestati qua glorian-
 tur, qui demonstrat, quibus in rebus
 sita sit vera principum maiestas: qui
 illos admonet, quid iurarint insu-
 sciendo principatu, quid debeant po-
 pulo suo, quid magistratibus. Eccle-
 siastici praēcones fere affines sunt dua-
 bus potissimum pestibus, avaritia &
 ambitioni. Quod ceu præsentiens pri-
 mus ille secundum Christum pastor,
 3. Petri. admonet Episcopos ut pascant gregem
 5. suum, non autem expalent aut de-
 glubant: nec pascant turpis lucri gra-
 tia, sed ex animi prompta volunta-
 te:

te: nec dominantur in suos, sed exemplo vita provocent ad pietatem potius, quam minis aut imperio. An igitur derogare videbitur ordini sacerdotali, qui commoneat, quibus rationibus Episcopi vere magni sint, vere potentes, vere divites? Porro monacho-
rum genus fere comitatur præter alias Monachorum vulgus.
morbos, supersticio, supercilium, hypocrisia, obtrectatio. Non damnat igitur protinus horum institutum, qui monet quibus in rebus sita sit vera religio, & quantum absit à supercilio vere Christianæ pietas, quantum absit à furo germana charitas, quam pugnet cum sincera religione lingue & virulentia, præsertim si tali moderamine commonstret quid sit vitandum, ut nec hominem ullum notet, nec ordinem attingat. Quid autem est in rebus humanis tam felix, cui non sua pestes sint additæ? Sicut igitur adiuvat non lœdit sanitatem corporis, quisquis indicat quæ res vitient aut tueantur veram sanitatem: Ita non avocat à religione, sed adhortatur potius qui demonstrat vera reli-

gionis corruptelas, ac remedia. Nam
 audio quosdam sic interpretari, quasi
 præceptiones huius libelli, quoniam
 minus tribuunt ceremoniis, quam
 vellent quidam, qui plus nimio tri-
 buunt, nec ita multum humanis con-
 stitutionibus, hominum animos aie-
 nent à vita monastica. Usque adeo
 nihil tam circūspecte dici potest, quod
 non rapiatur ab improbis vel in ali-
 quam calumniam, vel in ansam pec-
 candi, ut iam vix tutū sit quicquam
 recte monere. Si quis à bellis, qua-
 iam seculis aliquot ob res nihil, plus
 quam ethnice gerimus, deterreat, no-
 tatur à sycophantis, quasi sentiat cum
 iis qui negant ullum bellum geren-
 dum Christianis. Nam hereticos fe-
 cimus auctores huius sententia, quod
 Pontifex nescio quis bellum approba-
 re videatur. Neque tamen notatur,
 qui contra Christi & Apostolorum
 doctrinam, ad bellum quibuslibet de
 causis suscipiendum, classicum canit.
 Si quis admoneat, vere Apostolicū es-
 se, Turcas Christi praesidiis ad religio-
 nem pertrahere, potius quam armis,
 con-

Bellum.

continuo vocatur in suspicionē, quasi
doceat, Turcas si impetant Christianos,
nullo modo coercendos. Si quis
predicet Apostolorum frugalitatem,
& in horum temporum luxum dicat
aliquid, non desunt à quibus notetur,
velut Ebionitis favens. Si quis im-
pensius adhortetur, ut qui coniugio
copulati sunt, magis pietate, & ani-
morum consensu, quam complexu co-
bareant, & ita pure colant matri-
monium, ut virginitati quo ad potest,
simillimum sit, in suspicionē vocatur,
quasi cum Marcionitis omnem coi-
tum spurcū ducat. Si quis admoneat,
in diatribis, præcipue Theologicis, ab-
sīt ambitiosa vincendi suaque tuendi
pertinacia, absīt theatrica illa ostend-
tarum virium ambitio: non recte
defertur, quasi scholas in totum da-
mnet. Neque enim divus Augustinus,
admonens dialecticis cavendā esse ri-
xandi libidinē, damnat dialecticam,
sed pestem illius ostendit, ut vitetur.

Item, si quis præpostorum vulgi iudi-
cium taxet, inter virtutes primas tri-
buentis iis, quæ sunt extrema classis,

Præpo-
sterum
iudicium
de virtu-
tibus ac
vitiis.

& contra: item inter vitia vehemen-
tissime detestantis, quæ levissima sunt
mala, cum sint atrocissima, ac retror-
sum, protinus in ius vocatur, quasi
vitiis faveat, quibus gravius vitium
anteponit, aut quasi damnet benefa-
cta quibus alia præfert ut sanctiora.
Veluti si quis admoneat, tutius esse
benefactis fidere, quam pontificiis con-
donationibus, non utique damnat il-
lius condonationes, sed præfert id quod
ex Christi doctrina certius est. Itidem
si quis admoneat, rectius facere eos,
qui domi liberis & uxori moderandæ
dent operam, quam si visendi gratia
Romam, Hierosolymam, aut Compo-
stellam adeant, eamque pecuniā quam
insumunt in longam ac periculofam
profectionem, sanctius in bonos ac ve-
ros pauperes erogari, nō damnat pium
illorum affectum, sed antefert id quod
proprius est vera pietati, Iam vero non
nostrorum modo temporum est, que-
dam vitia sic detestari, quasi sola sint,
cum ceteris ita blandiamur, quasi vi-
tia non sint, cum sint illis quæ sic ex-
cramur atrociora. Queritur in epi-
stolis

stolis suis Augustinus, unum libidinis
 crimen apud Afros imputari sacerdo-
 tibus, ceterum avaritia & temulentiaq;
 vitium pene laudi verti. Vnum illud
 tragicis modis exaggeramus, terque
 quaterque horrendum facinus, iisdem
 manibus tractare corpus Christi, qui-
 bus attractaris corpus meretricis. Nec
 desunt qui nimium tragice ausint
 publicitus asseverare, leviorem esse
 culpam, si mulier habeat rem cū bru-
 ra pecude, quam cum sacerdote. Ho-
 rum impudentiam qui refellit, non
 continuo favet impudicis sacerdoti-
 bus, sed admonet ea negligi qua magis
 erant exaggeranda. Est sacerdos alea-
 tor, est bellator aut gladiator, est to-
 tus indoctus, totus prophanis rebus Sacerdos
malus.
 immersus, malorum principum malis
 obsequiis deditus, in hunc non itidem
 vociferantur, qui totus prophanus
 tractet sacrosancta mysteria. Est sa-
 cerdos sycophanta qui lingua viru-
 lenta, mendaciisque confictis lacerat
 famam hominis nihil commeriti, imo
 bene meriti, cur hic non vociferamur:
 O scelus horrendum! Tun lingua

Tartareo veneno tincta, tun ore quo
iugulas innocentem, & conficis &
sumis corpus illus, qui pro impiis etiā
mortuus est? At hoc mali sic negligi-
mus, ut hinc pene laudem ferant, qui
religionem religiosissimam profiten-
tur. Reprehendi merentur qui perni-
cioso populi exemplo palam concubi-
nas domialunt. Quis neget? Sed hic
morbis non paulo est invisiōr Chri-
sto. Non damnat igitur butyrum qui
illi præfert mel, nec probat febrim
qui monet phrenesim esse magis vi-
tandam. Neque facile dictu sit, quan-
tamorum lues ex huiusmodi prepo-
steris iudiciis nascatur. Iam quadam
ita recepta sunt in ordinē virtutum,
ut personam pietatis habeant verius
quam vim pietatis, adeo ut nisi cir-
cumspēcte agas, pietatem veram
prorsus extinguant. Si mediocris re-
ligionis pestis latuisset in ceremoniis,
Paulus non tam acriter in omnibus
suis epistolis in eas destomacharetur.

Ceremo- Neque tamen usquam damnamus
nia in re- moderatas ceremonias, at non feri-
bus me- mus in his puppim ac proram t̄quod
diis. dici

dici solet) sanctimonia constitui. Divus Augustinus vetuit etiam ne clerici quos domi alebat, notabili vestitu utearentur, sed si commendari vellent populo moribus commendarentur, non vestibus. Nunc quam novi, quam prodigiosi cultus? Neque tamen hoc insector. Illud demiror, plus satis his tribui, qua fortassis iure reprehendi poterant, rursus tam parum tribui his, qua sola conveniebat spectari. Non insector convitiis, quod Franciscani suam, Benedictini suam amplectantur regulam, sed quod quidam illorum plus illis tribuunt, quam Evangelio. Quod utinam non in plerosque istorum competit. Non insector quod alii piscibus vicitant, alii leguminibus aut herbis, alii ovis, sed admoneo, vehementer errare eos, qui Iudaico animo ex his iustitia persuasionem induunt, ex huiusmodi nugis ab homuncionibus repertis se ceteris anteponunt, cum iisdem pro nullo vitio habeatur famam alienam mendaciis incessere. De ciborum delectu nihil usquam præcipit Christus, nihil Apostoli.

Regule
hominū.

stoli. Paulus sape dehortatur. Virulentam obtrectationē execratur Christus, detestantur Apostolicae literae: & tamen illic volumus religiosuli vide ri, hic fortes sumus & intrepidi. Hac qui admonet, cum in genere, tum amanter, quæso num is religionem vi Obiectio. detur lādere? Quis autem tam demens sit, ut proferendis in lucem monachorum vitiis, velit haberi disertus? At metuunt isti, ne suos habeant minus dicto audientes, tum ne pauciores ambiant in illorum cooptari gregem. Imo nemo magis obedit, atque ut verbo utar Paulino, μιθαρχεῖ, quā qui hausto Christi spiritu liber esse cōperit. Vera charitas omnia boni consulit, omnia suffert, nihil detretat, obedit præpositis non solum benignis, verum etiam asperis ac difficiili bus.

Non abutendum aliena obediētia. Sed tamen hoc interim caver dum præpositis ne alienam obedientiam in suam vertant tyrannidem, & ideo malint eos supersticiosos quam pios, quo magis ad omnem nutum observiant. Patres appellari gaudent. At qui quis est patrū carnalium, qui suos

suos liberos optet semper infantes esse, quo magis regnum in illos exerceat pro sua libidine? Rursus qui proficiunt ad Christi libertatem, hoc in primis cavere debent, ne quod admonet Paulus, libertatem faciant pretextū carni, aut ne iuxta Petri doctrinam, libertatem faciant velamen malitia. Quod si unus aut alter hac libertate sit abusus, non continuo par est ob id omneis in perpetuo Iudaismo continere. Comperiet quisquis observarit, nullum inter istos arctius astringere laqueos ceremoniarum, quam qui sub hoc pretextu regnant, & ventri suo vivunt, non Christo. Iam vero non est quod metuant, ne non propagetur Essorum genus, in tanta ingeniorum & animorum varietate: qua sit, ut nihil etiam sit usquam absurdum: quod non expetatur à multis. Quanquam magis optandum istis, ut ingenuos ac veros habeant religionis professores quam ut multos. Atque utnam id lege cautum esset, ne quis ante trigesimum annum eiusmodi laqueis implicaretur, antequam ipse sibi no-

tus sit , aut cognita vera religionis
 Matt. 23. vis. Ceterum iis qui Pharisaorum
 exemplo suum agunt negotium , obe-
 untes terras ac maria , quo faciant
 unum proselytum , nusquam deerunt
 adolescentes rerum imperiti , quos in
 nassam illectent , & quos captent . In-
 gens ubique stultorum ac simplicium
 est numerus . Ego certe sic optarim , nec
 dubito quin idem optent omnes vere
 pii , Euangelicā religionem sic omni-
 bus esse penitus cordi , ut hac contenti ,
 Benedictinam aut Franciscanam nul-
 lus ambiat , nec dubito quin idem op-
 tet ipse Benedictus ac Franciscus . Ap-
 plaudit Moses Christi gloria obscura-
 tus : applauderent & ii , si nobis amo-
 re legis Euangelicæ sorderent humana
 constitutiones . Vellem universos Chri-
 stianos ita vivere , ut qui nunc soli re-
 ligiosi vocantur , parum religiosi vi-
 derentur : quod & hodie in non paucis
 verum est , cur enim manifesta dissi-
 mulemus ? Et tamen olim prima mo-
 nastica vita origo , secessus erat ab ido-
 latrarum savitia . Mox , hos sequen-
 tium monachorum instituta , nihil
 aliud

Omnia
 cedunt
 Christi
 glorie.

aliud erant quam revocationa ad Christum. Principum aulae titulo magis quam vita quondam erant Christianæ. Episcopos mox ambitionis & avaritia morbus corripuit. Vulgus item à primitiva illa charitate refrixit. Hinc secessum captavit Benedictus, & post hunc Bernhardus, deinde alii atque alii. Conspiratum est à paucis non in aliud, quam in purum ac simplicem Christianismum. Deinde temporis progressu paulatim cum opibus accreverunt cæmonia, refrixit germana pietas ac simplicitas. Et cum videamus passim monasteria ad mores plus quam prophanos degenerasse, tamen novis institutio-nibus oneratur mundus, quasi non & ii paulo post eodem sint prolapsuri. Olim, ut dixi, secessus erat monachorum vita. Nunc ii vocantur monachi, qui toti in meditullio negotiorum mundanorum versantur, plane tyrannidem quandam in rebus humani excentes. Et tamen ii ob cultum, ob titulum, nescio quem, tantum arrogant sibi sanctimoniam, ut ceteros

Vnde cæ-
remonize.

præ

præ se non habeant pro Christianis.
Cur sic arctamus Christi professio-
nem, quam ille latissime voluit pate-
re? Si magnificis vocabulis commove-
mur, quæso te, quid est civitas, quam
magnum monasterium? Monachi ab-
bati suo parent, aut præpositis, cives
Episcopo ac pastoribus suis obsequun-
tur, quos ipse C H R I S T U S præfecit,
non hominum auctoritas. Illi vivunt
in ocio, & aliena liberalitate sagi-
nantur, in commune possidentes, quod
citra sudore illis obvenit (nihil enim
interim dicam de vitiosis) isti, quod
sua pepererunt industria, pro suis
quisque facultatibus impertiunt e-
gentibus. Iam vero quod ad castitatis
votum attinet, non ausim explicare
quantulum intersit inter cœlibatum
& castum matrimonium, Postremo
non admodum in eo desiderabimus
tria illa vota ab hominibus reperta,
qui primum illud & unicum votum,
quod in baptismo non homini sed
Christo nuncupavimus, sinceriter
pureque servarit. Iam si ex utroque
genere malos cum malis conferas, ex-
tra

tra controversiam potiores sunt hi:
 si bonos cum bonis, minimum est di-
 scrimen, si tamen est ullum, nisi quod
 religiosores videntur, qui minus coa-
 cti præstant religionem. Supereft igi-
 tur, ut nemo vel sibi stulte placeat ob-
 vit & genus ab aliis diversum, vel alie-
 num institutum despiciat damnetve.
 Verum in omni vita genere sit hoc o-
 mnium commune studium, ut pro sua
 quisque virili, ad Christi scopum o-
 mnibus præfixum enitamur, & ad id
 invicem nos cohortemur, atque etiam
 adiutemus, nec invidentes iis qui nos
 in hoc stadio præcurrunt, nec fastidien-
 tes imbecilles, qui nos assequi nondum
 possunt. Denique cum quisq; quod po-
 tuit præstítit, ne fiat similis Euangelico
 illi Pharisæo, qui sua benefacta iactat
 apud Deū: Ieiuno bis in sabbato &c.
 sed iuxta Christi consilium dicat, &
 dicat ex animo, dicat sibi non aliis
 modo: Servus inutilis sum: quod de-
 bui facere, feci. Nemo verius fidelis,
 quam qui sic diffidit. Nemo longius
 abest à vera religione, quam qui sibi
 valde videtur religiosus. Nec unquam
 peius

Nullū vi-
 tz genus
 reprehē-
 dendum.

peius agitur cum pietate Christiana,
 quam cum quod est mundi, ad Christum
 detorquetur, cumque hominum
 auctoritas divina prefertur. In unum
 illud caput conspiremus oportet, si ve-
 re Christiani esse volamus. Porro qui
 ad Christum vocanti homini paret,
 Christo paret, non homini. Et qui fu-
 catos homines, savios & imperiosos,
 non docentes ea quae faciant ad reli-
 gionem, sed ad suam tyrannidem, to-
 lerat, is Christianam prestat patien-
 tiam, modo que prcipiunt, calamito-
 sum faciant tantum, non etiam im-
 piūm. Alioqui conveniet Apostolicum.
 illud responsum habere in promptu:
 Deo obedire oportet potius quam ho-
 minibus. Sed iam dudum epistolarem
 modum excessimus, adeo nos fallit
 tempus cum amico suavissimo iucun-
 dissime confabulanteis. Liber Frobe-
 nianis formulis veluti renatus, mul-
 toque quam antea nitidior & emen-
 datior in tuum sinum advolat. Adie-
 cta sunt fragmenta quadam veterum
 studiorum nostrorum. Visum est au-
 tem tibi potissimum hoc quicquid est

edi-

Quate-
nus pa-
rendum
malis
praelatis.

æditionis adiungere, ut qui ex Erasmo
recte vivendi præceptiones sumpserit,
à Volzio protinus ad manum habeat
exemplum. Bene vale pater optime,
ac vera religionis eximium decus.
Admone Sapidum meis verbis, ut sibi
vere sapiat, hoc est, sui similis esse
pergat, VVimphelingium, ut adornet
¶ πανοπλίαν, mox cum Turcis confli-
cturus: quandoquidem iam satis diu
bellum gerit cum concubinariis. Spes
est fore, ut illum aliquando videa-
mus Episcopum, mitra bicorni pedo-
que conspicuum, sublimen mula ve-
hi. Sed extra iocum, & hos, & Ruse-
rum, ceterosque amicos meo nomine
multum salvere iubebis. Erasmi tui
salutem interdum puris votis piisque
precibus Christo Optimo Max. com-
mendato. Basilea, pridie Virginis ma-
tris assumptæ. Anno M. D. XVIII.

A'ρχικ' ἀπάρτων κα τέλος ποιεῖ Θεόν.

LIBEL.

LIBELLUS LOQUITUR.

Nil moror aut laudes, levius aut,
convitia vulgi:
Pulchrum est, vel doctis, vel pla-
cuisse pii.

Spe quoque maius erit, mihi si con-
tingat utrumque.

Cui Christus sapit, huic si placeo,
bene habet.

Vnicus ille mihi vena largitor Apollo,
Sunt Helicon, huius mystica ver-
ba, meus.

EN-

ENCHIRIDION
 MILITIS
 CHRISTIANI,
 Auctore
 DESIDERIO ERASMO
 Roterodamo.

Eflagitasti non mediocri studio, frater in domino dilectissime, ut tibi compendiariam quādam vivendi rationem præscriberem, qua instructus, posses ad mentem Christo dignam pervenire. Ais enim te iam pridem aulicæ vitæ pertæsum, hoc tecum agitare, quo pacto queas Ægyptum unacum suis & vitiis & delitiis effugere, ac Mose duce ad virtutum iter feliciter accingi. Quo mihi charior es, hoc impensius gratulor tuo tam salutari proposito, quod spero, vel citra nostram operam fortunabit provehetque ipse.

ipse, qui dignatus est excitare. Ego tamen nimis quam libens parui vel homini tam amico, vel tam pia postulanti. Tu modo annite-re, ne vel ipse nostrum officium si-ne causa videare flagitasse, vel ego sine fructu tuæ morem gessisse voluntati. Immo votis communibus benignum illum Iesu Spiritum imploremus, ut & mihi scribenti suggerat salubria, & tibi ea reddat ef-ficacia.

Vigilandum esse in vita.

Principio etiam atque etiam memineris oportet, nil aliud esse vitam mortalium, nisi perpetuam quandam militiam, teste Cap. 7. Iob, milite longe tum exercita-tissimo, tum invictissimo, nimis prestatigie que falli vulgus hominum, quo-mundi. rum animos mundus hic præsti-giator blandissimis ludibriis tenet occupatos, qui perinde ac si iam debellatum sit intempestivas agunt ferias: neque prorsus aliter, Pax pax, & non est pax. quam in certissima pace, mirum quan-

quanta vivant securitate, quamque ociosi in utramque dormiant aurem, cum sine fine tot ferratis vitiorum copiis oppugnemur, tot captemur artibus, tot appetamur insidiis. Ecce tibi superne in tuum ^{Hostes} exitium pervigiles excubant, ne-^{varii è} quissimi dæmones, mille dolis, ^{sublimi.} mille nocendi artibus in nos armati, qui mentes nostras telis igniferis, lethalique tintis veneno, moliuntur è sublimi configere, quibus quidem neque Herculi, neque Cephalo fuit ullum iaculum certius, nisi impenetrabili dei scuto excipientur. Tum rur-^{Vicini.} sus à dextra levaque, à fronte pariter atq; à tergo mundus hic nos oppugnat, qui iuxta Ioannis vocem, totus in vitiis est constitutus, eoque Christo tum infestus, tum etiam invisus. Neque vero simplex oppugnandi ratio: interim enim rebus adversis, velut aperto Marte sæviens, animi mœnia gravi quatit ariete: interim ingentibus quidem, sed vanissimis promissis ad ^{Varia op-}
^{pugnandi}
^{via.} pro-

proditionem solicitat: interim actis oblique cuniculis, inexpectatus adrepit, ut inter oscitantes ac securos opprimat. Postremo inferne quoque lubricus ille anguis, primus pacis nostre proditor, nunc in virenti gramine concolor abditus, nunc in cavernis illis suis delitescens, centenis contortus voluminibus, non desinit mulieris nostræ semel corruptæ calcaneis insidiari. Mulierem autem carnalem hominis partem intellige: Hæc est enim Eva nostra, per quam versutissimus serpens, ad mortiferas voluptates mentem nostram illectat. Porro autem quasi parum sit sic undique tantum hostium imminere, intus denique in ipsis animi penetralibus hostem ferimus plusquam familiarem, plusquam domesticum, quo ut nihil interius, ita nihil potest esse periculosius. Hic est vetus ille & terrenus Adam, consuetudine plusquam civis, studio plusquam hostis, quem neque arcere vallo licet, neque castris exigeret

*Hostes
inferi.*

*Mulier
affectus.*

*Hostis
domesti-
cus.*

gere fas est. Hic nobis centenis
 est observandus oculis , ne forte
 Dei præsidium aperiat dæmonibus.
 Ergo cum tam formidabili , tam
 que difficili bello distringamur o-
 mnes , cumque nobis res sit cum
 hostibus tam multis , tam in no-
 stram perniciem iuratis atque de-
 votis, tam vigilantibus, tam arma-
 tis, tam perfidis , tam exercitatis:
 nos male sani , contra non arma
 capimus ? non excubias agimus?
 non omnia suspecta habemus? Sed
 perinde ut in rebus bene pacatis,
 supini stertimus, cessamus , volu-
 ptamur , atq; cuticulam (ut aiunt)
 curamus ociosi. Neque omnino
 secus, quam si ista vita nostra Græ-
 ca sit compotatio, non bellum, ita
 pro castris & pellibus, in cubilibus
 volutamur. Pro duris armis, rosis
 & Adonidis deliciis redimimur,
 pro militaribus studiis, luxu & o-
 cio indulgemus, pro Martiis telis,
 citharam imbellem tractamus ,
 quasi vero non ista pax bellum sit
 omnium teterimum. Etenim qui
 cum

cum vitiis pacem iniit, cum Deo in baptisme percussum foedus violavit. Et tu vesane clamas pax pax, cum Deum habeas inimicum, qui solus & pax est, & pacis auctor.

*Non est
pax im-
piis.*

Clareq, reclamat ipse per os Prophetæ, non est, inquiens, pax impiis. Neque enim prorsus alia est cum illo pacis conditio, nisi dum in hoc præsidio corporis militamus, odio capitali summaque vi, cum vitiis belligeremur. Alioqui si cum iis nobis conveniet, eum qui solus potest, amicus beare, inimicus perdere, bis hostem sumus habituri, simul quod ab illis stamus, cum quibus solis nihil convenit Deo (quid enim conveniat luci cū tenebris?) simul quod ingratissimi, pactam illi fidem non præstamus, & sanctissimis cæremoniis ictum foedus nefarie solvimus. An nescis ô Christiane miles, iam tum cum vivifici lavacri mysteriis initiabar, nomen dedisse te duci Christo, cui bis vitam debebas, pariter & donatam & re-

stitu-

stitutam, cui plusquam te ipsum
debebas? Non succurrit te verbis
conceptis, in tam benigni impera-
toris iurasse sententiam, eius sacra-
mentis, veluti donariis aucto-
rum, tuumque ipsius Diritis devo-
uisse caput, si minus pacto stares?
Quorsum attinebat crucis char-
acterem imprimi fronti tuæ, nisi ut ^{Symbola}
quoad viveres, sub illius signo mi-
litares? **Quorsum** pertinebat sacro
illius perungi ceromate, nisi ut
cum vitiis æternum luctamen in-
gredereris? **Quantus** pudor, quan-
ta pene publica humani generis
execratio, cum à duce principe de-
ficit homo? Tu cur ludibrio habes
Christum ducem tuum? neque
metu illius coercitus, cū sit Deus,
neque amore prohibitus, cum tua
causa sit homo? Cuius etiam voca-
bulum præte ferens, admoneri de-
bebas, quid illi promiseris. Cur ad
hostem, unde te semel precio san-
guinis sui redemit, perfidus descen-
sis? cur bis transfuga in hostili-
bus castris meres? **Qua** fronte au-

^{baptismi.}<sup>Christia-
ni titu-
lus.</sup>

C

des

50 M I L I T I S C H R I S T.

Luc. cap.
xi.

des contra tuum regem signa infesta tollere, qui pro te vitam impendit? Nam qui pro illo non stat, ut dixit ipse, contra illum stat, & qui cum illo non colligit, dispergit. Meres autem non solum fœdo titulo, sed etiam infelicissimo stipendio. Vis audire stipendum tuum, tu quisquis mundo militas? En tibi Paulus Christianæ militiæ signifer respondet, Stipendum inquiens peccati mors. Quis vel speciosam militiam suscipiat, si mors proposita sit corporis? Tu vero tam fœdam toleras, animę mortem mercedis loco reportaturus? In bellis istis insanis, quæ cum hominibus homines, vel ferina rabie, vel certe misera necessitate gerunt, nonne vides si quando militum animos, vel prædæ promissæ magnitudo, vel formidata victoris crudelitas, vel opprobratæ pudor ignaviæ, vel laudum denique cupido stimulavit, quā alacribus studiis, quicquid est laboris exhaustant, quam vilem habeant vitam,

quan-

zob

quanto ardore certatim in hostem
adversum rapiantur? Et quantula,
quæso te, merces miseris tanto di-
scrimine, tantoque studio petitur?
Nempe ut ab homunculo impera-
tore collaudati, militari fremitu,
castrensiisque atque incondita can-
tiacula celebrentur, ut corolla
graminea, aut quernis frondibus
cingantur, ut peculii plusculum
domum referant. Nos contra, ne-
que pudore, neque præmio accen-
dimur, cum eundem habeamus
nostræ certaminis spectatorē, quem
habituri sumus & remunerato-
rem. Quæ vero victori præmia
proposuit noster Agonothetes?
profecto non tripodas, aut mulos,
qualia apud Homerum Achilles,
apud Maronem Æneas, sed quæ
neque oculus vidit, neque auris
audivit, neque in cor hominis a-
scenderunt, & hæc quidem inte-
rim veluti laborum solatia impar-
tit adhuc dimicantibus. Quid de-
inde? felicem immortalitatē. Sed
in ludicris illis certaminibus, in

quibus potissima præmii pars gloria est, & victi sua munera sortiuntur: Nobis summo atque ancipiti periculo res geritur, neque de laude, sed de capite certatur. Et ut summa merces proposita gnaviter operam navanti : ita summa decreta pœna desertori. Cœlum promittitur strenue pugnanti , & non incalescit generosæ mentis vivida virtus, tam felicis præmii spe? Præsertim promissi auctore illo, qui tā fallere non potest , quam non esse nequit. Geruntur omnia sub oculis cuncta contuentis Dei, habemus universum cœli cœtum nostri conflictus spectatorem, & non vel pudore accendimur? Collaudabit ille virtutem nostram , à quo probari suprema felicitas est. Quin hanc gloriam , vel vitæ dispendio petimus? Ignavū pectus est , quod nullis præmiis excitatur, at solent & ignavissimi malorum metu expergefieri. Et illic quidem hostis, ut sit violentissimus , in fortunas atque in corpus sœvit. Quid autem

tem amplius in Hectorem potuit crudelissimus victor Achilles? At hic saevitur in immortalem tui partem. Neque cadaver tuum circum sepulchrum trahitur, sed corpus pariter atque anima ad inferos demergitur. Illic extrema calamitas, ut animam à corpore victor gladius auferat, hic ipsi animæ sua vita eripitur Deus. Naturæ est interire corpus, quod etiam si nullus occidat, tamen non emori non potest. At animam mori, infelicitatis extremæ est. Corpusculi vulnera quanta cautela depellimus, quanta solicitudine medemur, & animæ vulnera negligimus? Corporis interitum immane quantum horremus, propterea quod oculis videatur corporeis: Animam vero morientem quoniam nemo videt, pauci credunt, paucissimi formidant, cum sit hæc mors illa morte tanto atrocior, quanto corpori præstat anima, quanto animæ Deus. Vis tibi coniecturas quasdam commonstrem, quibus ani-

mæ deprehendas vel mōrbum, vel interitum? Male concoquit stomachus, cibum non continet: corporis morbum intelligis. Non tam panis cibus est corporis, quam animæ cibus verbum Dei. Id si tibi amarum est, si nauseam sapit, quid adhuc dubitas, quin animæ tuæ palatum, morbo sit infectum? Si non continet, si non concoctum in viscera traiicit, evidens habes argumentum valetudinariam esse animam. Cum genua labant, & membra vix ægra trahuntur, corpus male habere cognoscis, & non colligis animi morbum, cum ad omnia pietatis officia languet, nauseatque, cum ne levi quidem contumeliæ ferendæ robur suppetit, cum paululo pecuniolæ dispensio frangitur? Posteaquam oculos destituit visus, ubi desierunt audire aures, posteaquam constituit omne corpus, nemo dubitat, quin emigrarit anima. Tu cum habeas cordis oculos obscuratos, & evidentissimum lumen, quod est veritas,

Languor
animæ.

Mors
quid a-
gat.

veritas, non videoas, cum vocem divinam internis auribus non percipias, cum omni prorsus sensu careas, vivere credis animam? Vides fratrem indigna patientem, nihil commoveretur animus, modo tua res sit incolumis. Cur nihil hic sentit anima? Nempe quia mortua. Quare mortua? Quia non adest illius vita, Deus. Siquidem ubi Deus, ibi charitas. Deus enim charitas est. Alioqui si vivum es membrum, cur ulla pars corporis dolet, te non modo non dolente, verum ne sentiente quidem. Accipe signum, non paulo etiam certius. Defraudasti amicum, commisisti adulterium, capitale vulnus accepit anima, & tamen adeo tibi non dolet, ut etiam quasi de lucro gaudeas, iactesque, quod turpiter admisisti; certum habe mortuam iacere animam. Non vivit corpus, si punctionem aciculæ non sentiat, & vivet anima, quæ tanti vulneris sensu vacat? Audis quem-
piam sermones impios, tumidos,

Cadaver
animæ.

maledicos, impudicos, obscenos proferentem, verbis rabiosis in proximum debacchantem, cave putes isti homini vivam esse animam: iacet in sepulchro pectoris putre cadaver, unde eiusmodi fœtores exhalantur, & proximum quenque inficiunt. Christus Pharisæos sepulchra dealbata vocat. Quid ita? Nempe quia mortuam animam secum circumferebant. Et regius ille propheta: Sepulchrum, inquit, patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Piorum corpora templa sunt spiritus sancti. Impiorum, sepulchra cadaverum, ut potissimum in eos quadret illa grammaticorum etymologia, οὐ μέν quasi οὐδὲ μέν. Sepulchrum pectus, guttur & os, hiatus sepulchri. Neque ullum corpus mortuum tam est destitutum anima, quam mortua est anima relata à Deo. Neque ullum corporeum cadaver sic obolet naribus hominum, ut fœtor animæ sepulta iam quatriduum offendit nares

divi-

divinas omniumque cœlitum. Ergo cum verba mortua proficiscuntur è pectore, cadaver intus cubet necesse est. Nam cum iuxta vocem Euangelicam, ex abundantia cordis os loquatur, nimirum viva verba Dei loqueretur, si illic adficeret vita Deus. Contra in Euangelicis literis Christo dicunt discipuli: Domine quo ibimus? verba vitae habes. Cur ita tandem verba vitae? Nempe quod ab ea manarent anima, à qua nunquam vel momento discesserat divinitas, quæ & nos vitae restituit immortali. Sed ægrotanti corpori paulo succurrerit medicus. Corpus examine non raro revocarunt ad vitam & homines pii. Animam vero mortuam, non nisi singulari gratuitæq; virtute resuscitat Deus, ac ne resuscitat quidem, si mortua corpus reliquerit. Tum corporeæ mortis aut nullus, aut certe brevissimus est sensus, animæ semper tenuis. Et cum alioqui plus quam mortua sit, tamen ad mortis sensum

Remedia,

sum quodammodo est immortalis. Proinde cum tam novo periculo nobis sit dimicandum, quis ille stupor, quæ securitas, quæ suspitas animi nostri, quem tanti mali metus non acuit? At è diverso nihil est quod te vel periculi magnitudo, vel hostium copiæ, vires, artes, consternent animo. Succurrit quam gravem habeas adversarium, succurrat è regione, quam præsentem habeas opitulatorem. Innumerabiles adversum te, sed qui pro te stat, unus plus potest omnibus. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si ille sustinet, quis deiiciet? Tu modo victoriæ votum toto pectore concipe. In mentem veniat, non tibi cum integro hosti rem esse, sed cum eo qui iam olim fractus, fusus, exutus atque adeo triumphatus sit à nobis, sed in Christo capite nostro, à quo procul dubio vicissim vincetur & in nobis. Tu modo cura ut sis in corpore, & omnia poteris in capite. In te ipso quidem nimis es imbecillis,

cillis, in illo nihil non vales. Proinde ne anceps quidem est nostri Martis exitus , propterea quod neutquam à fortuna pendeat victoria , sed ea omnis in manu sita sit Dei, ac per eum nostris quoque in manibus. Nemo hic non vicit, nisi qui vincere noluit. Auxiliatoris benignitas nulli defuit unquam: si caveris ne benignitati illius desis ipse, vicisti. Pro te pugnabit, & liberalitatem suam tibi pro merito imputabit. Victoriam omnem illi feras acceptam oportet, qui primus & solus à peccato immunis, peccati tyrannidem oppressit, verum ea tibi non sine tua continget industria. Nam qui dixit, confidi- Ioan. 16.
 te, quia ego vici mundum , magno te vult animo esse, non securo. Ita demum per illum vincemus , si illius exemplo pugnabimus. Quare sic inter Scyllam Charybdimque medius quidam cursus est obtinendus, ut neque divina gratia fretus, securius agas atque solutius, neque belli difficultatibus exani-

C 6 matus,

matus, animum simul cum armis
abiicias.

De armis Militia Christianæ.

Nunquam
cessandum
Christianis, **A**Tque illud in priinis arbitror
ad huius militiae disciplinam
pertinere, ut quam maxime cogni-
tum, meditatumque habeas, quo
potissimum armorum genere, qui-
bus cum hostibus oporteat con-
gredi. Tum ut ea semper in expe-
dito habeas, ne quando possit in-
sidiator ille versutissimus, inermē
opprimere atque inopinantem. In
vestris bellis non raro licet inter-
quiescere, vel cum hybernat ho-
stis, vel cum intercedunt induciae.
Nobis donec in hoc corpore mili-
tamus, ne digitum quidem, ut
aiunt, transversum licet ab armis
discedere. Nunquam non stan-
dum pro castris, nunquam non ex-
cubandum, quia nunquam cessat
hostis noster. Immo cum tranqui-
llus est, cum fugam aut inducias si-
mulat, tum vel maxime molitur
infidias, neque unquam cautius
exclu-

excubias oportet agere, quam cum
pacis speciem exhibet, nunquam
minus trepidandum, quam cum a-
perto Marte nos adoritur. Ergo
prima cura sit, ne inermis sit ani-
mus. Armamus corpusculum hoc,
ne timeamus sicam latronis, non
armabimus mentem, ut in tuto
sit? Armati sunt hostes ut perdant,
nos piget arma capere ne peream-
us? Vigilant illi ut perimant, nos
non vigilamus, quo simus incolu-
mes? Sed de armatura Christiana
speciatim suo loco dicetur. Inter-
rim ut summatim dicam, duo præ-
cipue paranda sunt arma ei, cui sit
cum septem illis gentibus Chana-
næo, Cethæo, Amorraeo, Phere-
zæo, Gergezæo, Evæo, Iebusæo,
hoc est, cum universa vitiorum co-
horte pugnandum, quoru septem
capitalia potissimum numerantur,
precatio, & scientia. Semper ar-
matos esse vult Paulus, qui sine
intermissione iubet orare. Preca-
tio pura in cœlum subducit affe-
ctum, arcem videlicet hostibus in-
acces-

accessam. Scientia salutaribus opinionibus communis intellectu, ita ut neutram alteri deesse oporteat. Alterius sic altera poscit operem res, & coniurat amicæ. Illa quidem exorat, sed haec suggestit quid sit orandum: ut ardenter ores, &, iuxta Iacobum, nihil hesitans, fides spesque praestant: ut in nomine Iesu, id est, salutaria petas, scientia monstrat. Audierunt & filii Zebedæi à Christo, nescitis quid petatis. Sed precatio quidem potior, ut quæ cum Deo sermones misceat, at scientia non minus necessaria tamen. Aegypto profugus, nescio an satis tutot tam longo, tamque difficulti itineri commissurus sis, nisi duobus his ducibus, Mose, & Aaron. Aaron sacris prefectus, precationis gerit typum. Moyses legis cognitionem significat. Sed ut scientiam oportet non esse mancam, ita precationem non convenit esse ignavam. Precationis armis pugnat cum hostibus Moyses, sed manibus in altum

tum sublatis. Quas simul atque demiserat, sit inferior Istraël. Tu fortasse cum oras, hoc modo spectas, quantum psalmorum permurmuraris, & multiloquium orandi virtutem arbitraris. Quod vitium potissimum est eorum, qui adhuc in litera sunt infantes, neque ad spiritus maturitatem adleverunt. Sed audi quid apud Matthæum nos doceat Christus: Orrantes autem, inquiens, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo audiantur: nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Et Paulus decem milia verborum in spiritu, hoc est, oretenus pronuncianda contemnit præ quinque in sensu proferendis. Moyses nullam edebat vocem, & tamen audiebat, quid clamas ad me? Non strepitus ille labiorum, sed ardens animi votum, tanquam intentissima quæpiam vox ferit aures divinas. Tum igitur hoc ti- Allegoria
bifa. Mof.

bi familiare facias, simul atque inguerit hostis, ubi te relicta vitia solicitant, ut statim mentem cum certa fiducia ad cœlum erigas, unde veniet auxilium tibi, sed eodem tollantur & manus. Tutissimum est pietatis officiis occupari, ut opera tua non ad terrena studia, sed ad Christum referantur. Sed ne scientiæ subsidia contemnas, illud considera. Antea satis erat Israël hostem effugere, at non prius sibi fudit, ut Amalechiten provocet, ut cominus experiatur, quam esset manna cœlesti, & aqua de petra scatente refectus. His epulis confirmatur egregius ille bellator David, universam hostium cohortem contemnit. Parasti, inquiens, in conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant nos. Crede mihi frater animo meo charifice, nulla tam vehemens hostium impressio, id est, nulla tam valida tentatio quam ardens sacrarum literarum studium non facile retundat, nulla tam tristis aduersitas, quam

quam non reddat tolerabilem.
 Atqui ne videar audaculus inter-
 pres (quanquam possem me ma-
 gnis auctoribus tueri) quid aptius
 arcanae legis scientiam adumbrare
 queat, quam manna? principio
 enim quod non è terra provenit,
 sed cœlitus depluit, discriminem vi-
 des inter humanas & divinas lite-
 ras: omnis enim scriptura sancta
 divinitus est inspirata, atque à Deo
 auctore profecta. Quod minu-
 tum; sermonis est humilitas, sub
 verbis pene sordidis, ingentia my-
 steria claudentis. Quod candidum;
 nulla mortalium doctrina est, que
 non sit aliquo nigrore erroris vi-
 tiata: Sola Christi doctrina tota ni-
 vea, tota candida, tota syncera est.
 Quod rigidulum est atque suba-
 sperum, mysterium litera obte-
 ctum exprimit. Superficiem &
 quasi siliquam si quis attrecter,
 quid durius atque insuavius? Non
 nisi tunicam manna gustaverant,
 qui dicebant: Durus est hic ser- Ioan. 6.
 mo, & quis potest eum audire?

Allegoria
de man-
na.

Erue

66 - MILITIS CHRIST,
Erue sensum spiritalem, iam nihil
suavius, nihil succulentius. Deni-
que manna Hebræis sonat, quid
est hoc, quod & ipsum pulchre
quadrat in divinam scripturam,
quæ nihil habet ociosum, imo ne
apicem quidem non dignum ve-
stigatione, non dignum admirati-
one, non dignum hac voce, quid
est hoc. Aquarum vero nomine,
scientiam divinæ legis significare
familiare est Spiritui sancto. Legis

Allegoria de aquis. aquas refectionis, super quas se
gloriatur educatum David, legis
aquas, quas sapientia derivat in ca-
pita viarum omnium, legis flumen
illud mysticum, in quod ingressus
Ezech. 47. Ezechiel, vado transire non pote-
Gen. 26. rat, legis puteos quos foderat A-
braham, quos terra oppletos à Phi-
Exod. 15. listæis, denuo restituit Isaac. Legis
fontes duodecim, ad quos pera-
gratis quadraginta mansionibus,
iam fatiscentes respirant Israëlitæ.
Legis & in Euangelio puteum, su-
per quem itinere fessus assedit Ie-
sus. Legis aquas Syloë, ad quas
idem

idem mittit cæcum, ut visum recipiat. Legis aquam in pelvim mis-
sam, abluendis Apostolorum pedi-
bus. Et ne singula recenseam hoc
significatu, frequens mentio est in
arcanis literis puteorum, fontium,
fluminum, qua nobis nihil aliud
quam mysticæ scripturæ diligens
vestigatio commendatur. Quid
enim aqua in terræ venis abdita,
nisi mysterium obductum litera?
Quid eadem ad scatebram elicita,
nisi mysterium erutum atque ex-
planatum? quod ubi ad auditio-
rum ædificationem, longe lateque
propagatur, quid iam prohibet
flumen appellare? Ergo si te totum
studio scripturarum dedicabis, si
in lege domini meditaberis die ac
nocte, non timebis à timore no-
cturno, sive diurno, sed ad omne
hostium insultum munitus atque
exercitatus eris. Neque equidem ^{studia}
usquequaque improbaverim ad ^{prima}
hanc militiam, velut tyrocinio
quodam præludere in literis poë-
tarum, & philosophorum genti-
lium,

lium, modo modice ac per ætatem quis eas attingat, & quasi in transcurso arripiat, non autem immo-retur, & veluti ad scopulos Sire-næos consenescat. Nam ad hæc quoque studia vocat divus Basilius adolescentulos, quos ad Christianos mores instituit: & ad Musas revocat Licensum suum noster Augustinus. Neque pœnitet adamatæ captivæ Hieronymum. Laudatur Cyprianus, quod Aegyptiis spoliis templum Domini locuple-tarit. Verum nolim te cum genti-lium literis, gentilium & mores haurire. Alioqui permulta repe-ries & illic ad recte vivendum con-ducibilia: neque aspernandum, quod etiam ethnicus auctor bene monet, quandoquidem nec Moy-ses Iethro soceri consilium est aspernatus. Fingunt illæ literæ ve-getantque puerile ingenium, at-que ad divinarum scripturarum cognitionem mirè præparant, ad quas illico pedibus manibusque illotis irrum-pere, pene sacrilegii genus

genus est. Hieronymus eorum impudentiam taxat, qui modo à secularibus studiis profecti, audent divinas tractare scripturas. At quanto faciunt impudentius, qui ne gustatis quidē illis, istuc ipsum audent. Sed uti divina scriptura non multum habet fructus, si in litera persistas hæreasque: Ita non parum utilis est Homerica Vergiliianaque poësis, si memineris ^{poëtæ} ^{quomodo} totam esse allegoricam: Id quod nemo negabit, qui modo veterum eruditionem, vel summis labiis degustarit. Obscenos autem poëtas suaserim omnino non attingere, aut certe non introspicere penitus, nisi forte noveris descripta magis horrere vitia, & contentione turpium, vehementius amare honesta. E philosophis autem Platonicos te sequi malim, propter ^{philoso-} ^{phia.} rea, quod cum plerisque sententiis, tum ipso dicendi charactere, quam proxime ad propheticam euangelicamque figuram accedunt. Breviter omneū ethnicam
lite.

literaturam delibare profuerit, si quidem id fiat, ut dixi, & annis idoneis, & modice, tum cautim & cum delectu: deinde cursim, & peregrinantis non habitantis more: postremo, quod est præcipuum, si omnia ad Christum referantur. Sic enim mundis omnia munda sunt, cum immundis contra nihil sit mundum. Neque vitio tibi vertetur, si Salomonis exemplo, sexaginta reginas, octoginta concubinas, & innumerabiles secularis sapientiae puellas domi alas, modo divina sapientia præter cæteras sit unica tua, formosa tua, columba tua.

Deut. 21. Et Israëlitæ amat alienigenam barbaramque, forma captus, sed capillis derasis, unguibus præfectis, ex allophyla facit Ifraëlidem.

Ozee. 1. Et Ozee fornicariam dicit, verum ex ea liberos tollit non sibi, sed domino Sabaoth, sanctumque prophetæ stuprum dominicam auget familiam. Hebræi posteaquam Aegyptum reliquerant, aliquandiu consperso vivebant,

**Confser.
sum.** sed

sed hic cibus temporarius erat,
neque ad tantam profectionem
poterat suppetere. Ergo eo mox
fastidito, ad manna quantum po-
test properandum cœlestis sapien-
tiæ, quæ te affatim alet animabit-
que, donec propositi victor per-
venias ad palmas illas præmii,
nunquam desituri. Sed interim et-
iam atque etiam memineris, non
oportere nisi lotis manibus , hoc
est, summa animi puritate tractari
divinas literas , ne tibi antidotus
tuo vitio vertatur in venenum , &
manna tibi putrescat , nisi in visce-
ra affectus traieceris : eveniat au-
tem quod & illi Osæ, qui non veri-
tus est arcæ nutanti prophanas ad-
moliri manus , & improbum offi-
cium subita morte luit. Primum
est ut de eis literis digna sentias.
Oracula mera (ut sunt) esse puta,
de divinæ mentis adyto profecta.
Afflari te numine, affici, rapi, tran-
figurari ineffabili modo senties , si
religiose, si cum veneratione, si hu-
militer adieris . Videbis sponsi
beati

¹ Paralip.
^{13.}

beati delicias, videbis opes ditissimi
 Solomonis, videbis abditos
 thesauros æternæ sapientiæ. Sed
 cave improbe irrumpas in conclave.
 Humile est ostium, vide ne capite impingas ac resilias. Sic porro
 existima, nihil tam verum esse
 eorum quæ vides oculis, quæ manibus contrectas, quam quæ ibilegis.
 Ut cœlum, ut terra intereant:
 certe de verbis divinis ne unum
 quidem iota aut apiculus interiturus
 est, quin omnia fiant. Ut
 mentiantur, ut errent homines, veritas
 Dei neque fallit, neque fallitur.
 Ex interpretibus divinæ scripturæ eos potissimum delige, qui
 à litera quam maxime recedunt.
 Cuiusmodi sunt in primis post
 Paulum Origenes, Ambrosius,
 Hieronymus, Augustinus. Video
 enim Neotericos Theologos literæ
 nimium libenter inhærere, &
 captiosis quibusdam argutiis, magis
 quam eruendis mysteriis operam dare, quasi vero non vere dixerit
 Paulus, legem nostram spiritualem.

Fides
 scripture
 divinæ.

Theologi
 interpretes.

tualem esse. Audivi ego nonnullos, qui sibi usque adeo humanis illis commentatiunculis placebant, ut veterum interpretamenta pene pro somniis contemnerent, tantumque illis fiduciæ Scotus faciebat, ut ne lectis quidē unquam sacris literis, se tamen absolutos Theologos putarent. Qui etiam si argutissima dicant, an spiritu sancto digna dixerint, aliorum esto iudicium. Tu si mavis spiritu esse vegetior, quam ad contentionem instructior, si saginam animæ quæris, magis quam ingenii pruritum, veteres potissimum evolve, quorum & pietas spectatior, & eruditio uberior antiquiorque, & oratio neque iejuna neque folididæ, & interpretatio sacris mysteriis accommodationior. Neque vero hoc dixerim, quod Neotericos contemnam, sed quod utiliora præferam tuoque proposito conducibiliora. Habet autem spiritus ille divinus suam quandam linguam, suasque figuræ, quæ tibi sunt in primis di-

Sermo
scripturæ
sacrae.

D

ligenti

74 MILITIS CHRIST.
ligenti observatione cognoscenda. Balbutit nobis divina sapientia, & veluti mater quæpiam efficiosa, ad nostram infantiam voces accommodat. Lac porrigit infans tulis in Christo, holus infirmis. Tu vero festina adolescere, & ad solidum propria cibum. Demittit illa sese ad tuam humilitatem, at tu contra ad illius sublimitatem assurge. Monstri simile est, semper infantem esse, nimis ignavum, non desinere esse infirmum. Magis sapiet, magis pascet, unius versiculi meditatio, si rupta siliqua medullâ erueris, quam universum Psalterium ad literam tantum decantatum. Quod quidem ego hoc diligentius admoneo, quod re ipsa cognitum habeam, errorem hunc non vulgi modo animos passim occupasse, sed & eorum qui vestitu & nomine perfectam religionem profitentur, ut putent summam pietatem hac una in re sitam, si quam plurimum psalmorum vix etiam ad literam intellectorum, quo-

quotidie percenseant: neque aliud
in causa esse iudico quod videa-
mus monasticam pietatem sic ubi-
que frigere, languere, evanescere,
quam quod in litera consenescunt,
neq; ad spiritualem scripturarum
cognitionem elaborant. Neque
audiunt Christum in Euangelio
clamantem: Caro non prodest
quicquam, Spiritus est qui vivifi-
cat: Non Paulum magistro astru-
centem, litera occidit, spiritus est
qui vivificat. Et scimus quoniam ^{Ioan. 4.}
lex spiritualis est, non carnalis. Et
spiritualibus spiritualia compa-
randa, Olim in monte, nunc in
spiritu vult adorari pater spirituum.
Quanquam haud aspernori eorum
imbecillitatem, qui mentis inopia
quod unum possunt faciunt, my-
sticos psalmos simplici puraque fi- ^{1. Cor. 12.}
de pronunciantes. Immo quem-
admodum in precaminibus magi-
cis voces quædam ne ab iis quidem
qui eas pronunciant intellectæ, ef-
ficares tamen esse creduntur: Ita
divina verba quanquam parum

D 2 cogni-

cognita, tamen prodesse credendū est, iis, à quibus syncera fide, puroque affectu vel dicuntur, vel audiuntur: Angelosque qui adsunt, atque intelligunt, ad opem ferendam invitari. Neque vero Paulus contemnit eos, qui spiritu psallunt, vel qui linguis loquuntur, sed ad secunda Charismata meliora hortatur. Ad quæ si cui non contigit eniti vitio non animi, sed naturæ, certe non obstrepatis, qui potiora conantur. Et iuxta Pauli vocem, qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Te vero qui ingenio tam felici prædictus es, omnino nolim in sterili litera lentum esse, sed ad reconditionia mysteria festinare, & improbum conatum industria, crebris precibus adiuvare, donec aperiat tibi librum septem signaculis ob-signatum is qui habet clavem David, qui claudit, & nemo aperit, arcana patris, quæ nemo novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare.

re. Sed quonam nostra delabitur oratio? Propositum erat, ut tibi vita, non studii formam præscriberemus: verū huc defleximus, dum tibi conamur officinam idoneam commonstrare, unde debeas novæ militiæ tuæ nova arma petere. Ergo ut ad institutum revertamur, + si ex libris gentilium optima quæque decerpseris, atque apiculæ exemplo, per omnes veterum hortulos circumvolitans præteritis venenis, succum modo salutarem ac generosum exsuxeris, animum tuum ad communem quidem vitam, quam ethicam vocant, redideris non paulo armatiorem. Sunt enim profecto & illorum Palladi sua quædam arma neutram contemnenda. Christi autem esse puta, quidquid usquam veri offenderis. Verum divina illa & (ut Poëtæ loquuntur) Vulcania panopolia, nullo telo violabilis, non nisi ex arcanarum literarum armamentario depromitur: In quo David noster Imperator,

D 3 tor,

tor, universum belli apparatus
 suis militibus reposuit, quibus co-
 minus, eminusque pugnent cum
 præputiatis Philisteis. His armis
 nec Achilles Homericus tectus
 erat, et si fingitur, neque Aeneas
 Virgilianus, quorum alter ira, al-
 ter amore tam turpiter vinceba-
 tur. Neque absurde dictum, quod
 ea non in humanis officinis excu-
 duntur, sed in ea quæ Vulcano est
 cum Minerva communis. Nam
 Minervam artibus atque ingeniosis,
 Vulcanum igni præficiunt, Deo-
Poëtæ fi-
guli deo-
rum, rum figuli Poëtæ. Id quod ego
 tum demum vere fieri existimo,
 cum videlicet honestis artibus ex-
 cultum ingenium, sic divini amo-
 ris ignis communis, ut etiam si fra-
 ctus illabatur orbis, impavidum
 feriant ruinæ. Sed ante superbi
 Saulis arma reiicias oportet, quæ
 magis oneri sunt quā usui, & cum
 Goliad congressurum David gra-
 vant non iuvant. Deinde de ripa
 torrentis mysticæ scripturæ, quin-
 que colligas lapillulos (quæ forte
 quin-

quinque sunt verba Pauli , qui loquitur in sensu.) Postremo fundibula dextram armes. His demum armis prosternitur unicus ille noster hostis, superbiæ pater, Satanas. Quem & caput nostrum Christus Iesus , quomodo tandem devicit? Nonne cum tentanti divinæ scripturæ verbis respondet, quasi petitis de torrente lapillis , frontem inimici percussit ? Vis autem audire Christianæ Palladis arma ? Et sapientia accipiet, inquit , armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum , induet pro thorace Iustitiam , & accipiet pro galea iudicium certum . Sumet scutum inexpugnabile, equitatem: acuet autem diram irâ in lanceam. Legis & apud Esaiam, indutus est iustitia ut lorica, & galea salutis in capite eius. Indutus est vestimentis ultionis , & opertus est , quasi pallio zeli. Iam si libet Pauli non in strenui ducis adire promptarium , nimirum invenies & illi arma nostræ militiæ , non carnalia,

80 MILITIS CHRIST.

sed potentia Deo , ad destructio-
 nem munitionum , cogitationes
 destruentia , & omnem altitudi-
 nem extollentem se adversus scien-
 tiam Dei. Invenies armaturam
 Dei qua possis resistere in die ma-
 lo. Invenies arma Iustitiae à dex-
 tris & à sinistris. Invenies laterum
 munimentum, veritatem , & lori-
 cam iustitiae, scutum fidei , in quo
 possis universa maligni tela ignea
 extinguere. Invenies & Galeam
 salutis, & gladium spiritus , quod
 est verbum Dei. Quibus omnibus
 si quis erit diligenter tectus, atque
 munitus , is denique poterit ani-
 mosam illam Pauli vocem intrepi-
 dus emittere. Quis ergo nos sepa-
 rabit à charitate Christi ? tribula-
 tio, an angustia, an fames, an nudi-
 tas, an periculum , an persecutio,
 an gladius ? vide quantos hostes,
 quam omnibus formidatos ipse
 pro nihilo ducat. Sed audi quid-
 dam etiam fortius. nam sequitur.
 Sed in his omnibus superamus,
 propter eum qui dilexit nos. Cer-
 tus

Rom.8.

tus sum enim , quia neque mors, neque vita , neque angeli , neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia , poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. O felicem fiduciam, quam præstant Paulo, id est, pusillo homini, arma lucis , qui se etiam projectamentum huius mundi appellat. Talis igitur armaturæ vim, sacræ literæ tibi suppeditabunt , si toto pectore in eis versaberis , ita ut nostris monitis nihil sit opus futurum. Sed quoniam tu ita vis , ne tibi non morigeri fuisse videamur: Enchiridion, hoc est, pugnunculum modo quendam excudimus, quem nunquam de manu deponas, ne in convivio quidem, aut in cubiculo , ut etiam si quando cogeris in huius mundi negotiis peregrinari , iustumque istam armaturam gravaberis circumferre, non committas tamen, ut ullo momento insidiator ille

^{1. Cor. 4.}Enchiri-
dion
quid.

D 5 oppri-

82 MILITIS CHRIST.

opprimat te proorsus exarmatum,
salemque non piceat, hunc gla-
diolum tecum habere, qui neque
onerosus erit gestatu, neque inu-
tilis ad tutelam. Est enim perpu-
llus, quo tamen si adhibita fidei
parmula, scite uteris, facile susti-
nebis tumultuarium hostis assul-
tum, ne quod letale vulnus acci-
pias. Sed iam tempus est, ut uten-
dirationem quandam experiamur
tradere, quam si tu diligenter ad
exercitationem accomodabis,
fore confido, ut te victorem impe-
rator noster Christus, ex hoc præsi-
dio, in suam civitatem Hierusa-
lem transferat ovantem, ubi nul-
lus omnino belli tumultus, sed pax
immortalis ac perfecta tranquilli-
tas, cum interim omnis spes salu-
tis in ferro sita sit.

Transi-
tio.

Caput

*Caput esse sapientia ut temetipsum
noris, deque duplii sapientia,
falsa & vera.*

PAx igitur summum illud est bonum, ad quam omnia sua studia, mundi quoque amatores referunt, sed falsam, ut dictum est. Eandem & philosophi suorum dogmatum sectatoribus falso pollicebantur. Christus enim unus eam donat, quam mundus non potest dare. Ad hanc perveniendi una ratio est, si cum nobis ipsis bellum geramus, si cum vitiis nostris acriter depugnemus. Cum his enim hostibus implacabili odio dissidet Deus, pax nostra, cum natura sit virtus ipsa, virtutumque omnium parens & auctor, atque ex omnium vitiorum genere contracta colluvies, à Stoicis fortissimis assertoribus virtutis, stultitia vocatur, in nostris literis malitia dicitur. Itidem ut omnibus suis numeris absoluta probitas, utrifice sapientia nominatur. Ioan. 14. Malitia.

tiam autem nonne (iuxta Sapien-
tis oraculum) vincit sapientia? Ma-
litiae pater atque princeps est, re-
ctor ille tenebrarum Belial, cuius
ductum quisquis sequitur, in no-
cte ambulans, ad noctem properat
æternam. Contra sapientiae au-
ctor, atque ipsa adeo sapientia
Christus Iesus, qui verum est lu-
men, stultitiae mundanæ noctem
solus discutiens, splendor paternæ
gloriæ, qui nobis in se renatis, uti
factus est redemptio atque iustifi-
catio, teste Paulo, ita factus est &
sapientia. Nos, inquit, prædica-
mus Christum crucifixum, Iudæis
quidem scandalum, gentibus au-
tem stultitiam, ipsis autem voca-
tis Iudæis atque Græcis, Christum
Dei virtutem, ac Dei sapientiam:
per quā ipsius exemplo, nos quo-
que de hoste malitia triumphum
referre queamus, si modo in eo sa-
puerimus, in quo & vincemus.
Hanc tu. contempta seculi sapien-
tia amplectere, quæ mendacissimo
titulo sese venditat stultis, cum
iuxta

iuxta Paulum, nulla verior sit stulti-
tia apud Deum quam terrena sa-
pientia, dediscenda ei qui vere cu-
piat sapere. Si quis videtur (in-
quiens) inter vos sapiens esse in
hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiēs.
Sapientia enim huius mundi, stul-
titia est apud Deum. Et Paulo su-
perius. Scriptum est enim: Perdam
sapientiam sapientium, & pruden-
tiam prudentium reprobabo. Ubi
sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor
huius seculi? Nonne stultam fecit
Deus sapientiam huius mundi?
Nec dubito quin iam nunc odiose
tibi obſtrepat stulti isti sapientes,
& cæci cæcorum duces, delirare
te, despere, insanire clamitantes,
quod ad Christum pares descisce-
re. Hi sunt nomine duntaxat Chri-
ſtiani, cæterum doctrinæ Christi
tum irrisores, tum oppugnatores.
Vide ne quid istorum blateramen-
ta te permoveant, quorum miseranda
cæcitas, deploranda potius
quam imitanda. Quod est enim
istud præposterum sapientiæ ge-
nus,

nus, in rebus nugatoriis nihilq;; imo ad turpitudinem tantum esse catum & callidum, in iis vero quæ sola ad salutem nostram pertinent, non ita multo plus pecude sapere? Paulus vult nos esse sapientes, sed in bono, simplices autem in malo. Sapiunt isti ut inique agant, bene autem facere nesciunt. Et cum facundus ille Poëta Græcus, ad nihil utilem hominem censeat, qui neque ipse per se sapiat, neque bene monenti obtemperet, qua tandem in classe ponentur isti, qui cum turpissime desipient, tamen non desinunt obturbare, ridere, deterrere eos, qui iam resipuerunt? Verum irrisor nonne irridebitur? Qui habitat in cœlis, vicissim irridebit eos, & dominus subsannabit eos. Legis in libro sapientiæ, Videbunt enim, & contemnent eum, illos autem Deus irridebit. Ab improbis rideri, pene laudari est, certe religiosum, capitis nostri & Apostolorum æmulos fieri. At horrendum profecto, à Deo irideri.

Hesio-
dus.

deri. Ego quoque, inquit Sapientia, in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit, videlicet, cum sero iam experrecti, dicent, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improprietatis. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem sine honore. Animalis ista, & ut Iacobus ait, diabolica est sapientia, ac Deo inimica, cuius finis interitus, quippe quam semper affectatur pedissequa pestilens arrogantia, arrogantiam animi cæcitas, cæcitatem affectuum tyrannis, affectuum tyrannidem universa vitiorum seges & licentia quidvis peccandi, licentiam istam sequitur consuetudo, consuetudinem infelicissimus animi stupor, quo fit, ut & mali sensu careant: stupentes mors occupat corporis, quam mors excipit secunda. Vides ut summi mali mater est, mundi sapientia. De Christi vero sapientia, quam mundus stultitiam

pu-

putat, ita legis: Venerunt autem mihi pariter omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam bonorum omnium mater est. Hæc enim modestiam & mansuetudinem comitem dicit. Mansuetudo nos divini Spiritus reddit capaces. Super humilem enim & mansuetum gaudet requiescere, qui simul atque septeno illo chrismate mentem nostram imbuerit, tum demū pullulascit felix illa seges virtutum omnium cum fructibus illis beatis, quorum præcipuus, gaudium internum, gaudium arcanum, gaudium solis iis cognitum, quibus contigit, quod denique cum mundi gaudiis nec evanescit, nec aufertur, sed cumulatur in gaudium æternum. Eam mi frater, & iuxta Iacobi monita, ardentissimis votis oportet à Deo postulare, & iuxta Sapientem quendam, è divinæ scripturæ venis, veluti thesau-

Esa. 11.

Dona
Spiritus.

Prov. 2.

- 59 -

thesauros effodere. Caput autem huius sapientiae esse puta, ut temet ipsum noris, quod verbi e coelo profectum credidit antiquitas, & magnis auctoribus usque adeo placuit, ut in eo omnem sapientiae vim summatim contineri iudicaverint. Sed leve pondus huius dogmatis apud nos sit, nisi congruit cum literis nostris. Minatur sponsae suae mysticus ille amator in Canticis, ac foras abire iubet, nisi semet cognorit. Si ignoras te o pulchra inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. Proinde ne quis sibi temere rem tantam arroget, ut ipsi sibi satis sit cognitus. Corpus suum haud scio an quisquam ad plenum norit, & mentis habitum cognoscet quilibet? Paulus cui contigerat vel tertii coeli mysteria discere, semet ipsum tamen non audet iudicare, ausurus utique, si sibi sat esset notus. Si homo tam spiritualis, qui omnia diiudicat, iudicandus a nemine, sibi adhuc parum perspicuus erat,

90 MILITIS CHRIST.

erat, nos carnales quid confidimus? Porro miles nimis inutilis videatur, cui neque suæ copiæ, neque hostium cohortes satis habentur cognitæ. At homini non cum homine, verum secum ipso bellum est, atque adeo ex ipsis visceribus hostilis acies nobis ultro suppululat, quemadmodum de terrigenis fratribus Poëtæ fabulantur. Usque adeo autem tenui discrimine ab hoste distat amicus, ut ingens periculum sit, ne parum cauti, vel inimicum pro amico tueamur, vel amicum pro hoste lædamus. Hæret etiam in angelo lucis Dux ille egregius. Noster es, inquiens, an adversariorum? Ergo quoniam tecum ipse bellum suscepisti, & in hoc prima victoriæ spes sita est, si tute tibi sis quam maxime cognitus, simulachrum quodam tui, tibi velut in tabula proponam, ut quid intus, quid in cunctis plane pernoscas.

Gigantes
de terra
nati.

Bolum 5.

De

*De homine exteriore &
interiore.*

Est igitur homo prodigium quoddam animal ex duabus tribusve partibus multo diversissimis compactum, ex anima veluti numine quodam, & corpore tanquam muta pecude. Si quidem corpore usque adeo reliquo brutorum generi non praestamus, ut omnibus eius dotibus inveniamur inferiores. Secundum animam vero, adeo divinitatis sumus capaces, ut ipsas etiam angelicas mentes liceat prætervolare, & unum cum Deo fieri. Si tibi corpus additum non fuisset, numen eras: si mens ista non fuisset indita, pecus eras. Has duas naturas tam inter se diversas summus ille opifex felici concordia colligarat, at serpens pacis inimicus, infelici rursus discordia dissecuit, ut iam neque dirimi queant sine maximo cruciatu, neque coniunctim vivere sine assiduo bello, planeque
(quod

Homo ex
diversis
simis co-
patus.

(quod dici solet) utrumque in altero auribus lupum tenet, possetque mutuo competere versiculus ille lepidissimus, Nec tecum possum vivere, nec sine te. Adeo perplexa seditione inter se tumulantur, veluti diversa, quæ unum sunt. Corpus enim ut est ipsum visibile, rebus visibilibus delectatur, ut est mortale, temporalia sequitur, ut est grave, deorsum sedit. Contra anima generis etherei memor, summa vi sursum nititur, & cum terrestri mole luctatur, contemnit ea quæ videntur, scit enim esse caduca, quærerit quæ vere, quæ semper sunt. Immortalis amat immortalia, cœlestis cœlestia: Similis similibus capit, nisi penitus fuerit corporis immersa fôrdibus, atque à nativa generositate eius contagio degenerarit. Neque vero hanc discordiam, vel fabulosus ille Prometheus insevit, admixta menti nostræ de quoque animante particula: neque primitiva conditio indidit, sed peccatum quod bene

Vnde
propen-
sio ad vi-
tia.

(boup)

bene conditum erat, male depravavit, inter bene concordes dissensionis virus serens. Antea enim & mens corpori sine negocio impetrabat, & corpus animo lubens volensque parebat, nunc contra perturbato rerum ordine, affectus corporis rationi praetire certant, cogiturque illa in corporis sententiam pedibus discedere. Quare non absurde pectus hominis cum seditione quapiam republica componas licebit, quam quoniam ex variis hominum generibus constat, propter dissensionem studiorum oportet crebris motibus & factionibus collidi, ni penes unum sit imperii summa, isque sit eiusmodi, ut nihil imperet, nisi reipublicæ salutaria. Quare necesse est, ut plus in ea valeat, quo plus sapit, pareat, qui minus. Nihil est autem infima plebe recordius, eoque magistratibus obtemperare debet, nullum ipsa gerere magistratum. Qui vero optimates sunt, aut natu maiores, audiendi sunt illi

illi quidem in consultationibus, at ita si statuendi arbitrium penes unum maneat regem, quem admoneri quidem oportet nonnunquam, cogi vero aut praetiri non convenit.

**Rex uni
legi pa-
ret.** Porro Rex ipse nulli paret nisi legi, lex responder honestatis ideæ. **Quod si preposteris vicibus vulgus
indomitum, & fex illa civitatis tu-
multuosa, natu maioribus præire
contendit, aut si primates regis
imperium negligunt, cooritur in
republica nostra periculosa sedi-
tio, & nisi divina dictatura succur-
ritur, ad extremam perniciem res
omnis spectat. In homine vero
**Optima-
tes qui.** ratio regis vice fungitur. Optimates accipias licet, affectus quosdam corporeos quidem illos, sed tamen non proinde brutos: quod genus sunt, genuina pietas erga parentes, charitas in fratres, benevolentia in amicos, misericordia in afflictos, metus infantiae, cupido honestæ opinionis, & si qua sunt consimilia. Eos porro motus animorum, qui à rationis decretis**

quam

quam maxime dissident, suntque infime ad pecorum humilitatem abiecti, plebis quasi ultimam fēcēm esse puta, cuiusmodi sunt libido, luxus, invidentia, hisque consimiles animi morbi, qui ad unum omnes, veluti servi sordidi & improbi, ergastulis sunt coērcendi, ut si queant, pensum operamque domino præscriptam præstent: sin minus, nihil certe damni dent.

Quæ omnia Plato divinitus intelligens, scripsit in Timæo, filios Deorum ad sui similitudinem duplex animæ genus in homine fabricatos fuisse, alterum divinum & immortale, alterum quasi mortale & variis perturbationibus obnoxium: quarum prima sit voluptas, esca malorum (ut ait) proxima dolor, fuga, impedimentumque bonorum: deinde metus atque audacia, consultores amentes: quibus accedit & implacabilis iracundia: Præter ea spes blanda, cum irrationali sensu, amoreque omnium invasore. Hæc enim ferme

Plebs
quæ.

Quatuor
affectus
animi.

me verba Platonis. Nec ignoravit
in huiusmodi perturbationibus
coercendis , vitæ beatitudinem
consistere. Scribit enim eodem in
opere, eos qui ista superassent, iu-
ste victuros: iniuste autem, qui ab
his victi fuissent. Et divinæ qui-
dem animæ, hoc est, rationi, tan-
quam regi in cerebro , velut in ar-
ce civitatis nostræ sedem statuit,
corporis videlicet parte editissima,
cœloque proxima , tum minime
bruta, quippe quæ & osse sit perte-
nui, neque nervis neque carne o-
nerata , sed sensibus intus forisque
longe munitissima , ut illis quasi
renunciantibus, nihil tumultus in
republica cooriretur , quod non
protinus ille persentisceret. At
mortalis animæ partes, hoc est af-
fectus, ut quæque rationi vel mo-
rigera est , vel obstrepera, ita ab ea
semovit. Nam inter cervicem , &
diaphragma, partem animæ consti-
tuit, fortitudinis atque iræ partici-
pem , affectum videlicet sedicio-
sum quidem illum & cohiben-
dum,

vis ira-
scibilis.

dum, at non perinde brutum, eo-
que mediocri intervallo à summis
imisque semovit, ne vel nimia vi- ^{vis con-}
cinitate regis ocium perturbet, vel ^{cupisci-}
infimæ plebis contagio corrupta, ^{bilis.}
simul in eum coniuret. Vim porro
concupiscibilem quæ esculenta &
poculenta appetit, quaque in Ve-
nerem impellimur, porro infra
præcordia procul à regia, in iecur
& alvum relegavit, ut quasi ferum
quoddam & indomitum animal,
illic ad præsepe habitaret, propte-
rea quod ea violentissimos exci-
tare motus consuevit, minimeque
præsidis imperiis audiens esse. Hu-
ius infima pars, quam pecuina sit,
quamque rebellis, vel illa puden-
da corporis portio, in qua potissi-
mum tyrannidem obtinet, docu-
mento potest esse: quæ membris
ex omnibus una, frustra reclaman-
te rege, obscœnis motibus subinde
rebellionem parat. Vides nimi-
rum ut hac superne divinum ani-
mal homo, plane in pecudem de-
finat. At consultor ille divinus,

E

Ratio tā-
sub. quā res.

sublimi in arce præsidens, memor originis suæ, nihil sordidum, nihil humile cogitat. Sceptro autem insignis eburno propterea, quod nihil non rectum imperet, in cuius fastigio aquilâ insidere scripsit Homerus, quod ad cœlestia subvolans, quæ humi sunt aquilinis oculis despicit. Postremo aurea redimitus corona. Aurum enim in mysticis literis sapientiam fere significat, circulus autem perfectam, & omnibus numeris absolutam. Hæ sunt enim propriæ regum dotes. Primum, ut quam plurimum sapiant, ne quid peccent per errorem, tum uti quæ recta sunt, ea modo velint, ne quid contra animi iudicium pérperam corrupteque faciant: quarum altera qui careat, eum non regem, sed latronem existimato.

De

De varietate affectuum.

NOster autem Rex propter æternam legem, sibi divinitus insculptam, opprimi quidem potest, corrumpi non potest, quin reclamat, quin revocet. Cui si reliqua plebs parebit, nihil ille unquam neque pœnitendum, neque perniciosum committet, sed summa moderatione, summaque tranquillitate gerentur universa. Ac de affectibus quidem Stoici Peripateticique nonnihil diversa sentiunt, quanquam illud convenit inter omnes, ratione vivendum, non affectu. Sed illis placet, ubi affectibus, qui à sensibus proxime excitantur, tanquam paedagogis usus ad iudicium, verumque discrimen expetendorum & fugientorum perveneris, tum eos prorsus esse relinquendos: Iam enim non solum utiles non esse ad sapientiam, verum etiam perniciosos. Atque ob id perfectum illum sapientem suum omnibus eiusmodi motibus,



tibus, tanquam morbis animi, vacare volunt: vixque humaniores quidam primos illos impetus, rationem prævertentes, sapienti concedunt, quas illi phantasias appellant. At peripatetici non extirpandos affectus, sed coërcendos docent: esse enim nonnullum eorum usum, propterea quod hos à natura additos opinentur, uti quedam ad virtutem incitabula, atque exhortamenta, sicuti fortitudinis iram, industriæ invidiam, & item de reliquis. Socrates autem in Phedone Platonis, cum nihil aliud putat esse Philosophiam, quam mortis meditationem, hoc est, ut animus quantum potest abducatur sese à rebus corporeis, & sensibili bus, transferatque ad ea, quæ ratione, non sensibus percipientur, cum Stoicis nimirum sentire videatur. Oportet igitur primum omnes animi cognitos habere motus, deinde scire nullos esse tam violentos, quin à ratione vel compesci, vel ad virtutem deflecti queant.

Au-

Audio enim vulgo hanc pestiferam opinionem, ut se dicant ad virtutia cogi. Alii contra imperiti sui, motus huiusmodi pro rationis dictamine sequuntur, atque adeo quod suasit ira aut invidia, id zelū Dei vocant. Atque ut est alia Republica alia factiosior, ita aliis alio ad virtutem propensior. Quæ differentia, non ex animorum discrimine, sed vel influxu cœlestium corporum, vel progenitoribus, vel ex educatione, vel ex ipso corporis habitu proficiscitur. Non anilis est illa Socratis fabula, de aurigis & equis bonis ac malis. Videas enim nonnullos ita moderato ingenio natos, ita tractabiles ac faciles, ut sine ullo negocio ad virtutem instituantur, ac sine calcaribus ultro præcurrant. Aliis contra corpus rebelle, tanquam equum indomitum & calcitrosum contigisse, ut multum sudans dormitor ille, vix tamen asperrimo freno, vix fuste, calcaribusque subigat ferocientem. Qualis si tibi

Rebellio
naturæ
nemini
imputan-
da.

E 3 forte

102 MILITIS CHRIST.
forte obtigit, ne protinus abiicias
animum, immo tanto acrius eni-
tere, sic existimans, non tibi inter-
clusam ad virtutem viam, sed ube-
riorem virtutis materiam oblatam
esse. Quod si bonam mentem na-
ctus es, non hoc protinus alio me-
lior es, sed felicior. At rursum ita
felicior, ut obligatior. Quanquam
quis est ingenio usque adeo felici,
ut non abunde multa sint, in qui-
bus luctari oporteat? Ergo qua
maxime turbari sentiet, hac quam
maxime advigilet Rex oportet.
Sunt vitia quædam pene gentili-
tia, quemadmodum gentibus
nonnullis perfidiam aiunt esse fa-
miliarē, aliis luxum, aliis libidinē.
Quædam corporis habitum comi-
tantur, sicut sanguineos mulierosi-
tas, & voluptatum amor: Choleri-
cū, ira, ferocitas, maledicētia: Phle-
gmaticum inertia, somnolentia:
Melancholicum, invidia, tristitia,
amaritudo. Nonnulla cum ætate,
aut remittuntur, aut invalescunt,
quemadmodum libido in iuven-
tia,

ta, itē profusio, temeritas: In sene-
cta tenacitas, morositas, avaritia.
Sunt & quæ sexui videantur adna-
ta, ut in viro ferocitas, in muliere
vanitas, & vindictæ cupido. Fit in-
terim ut natura veluti paria fa-
ciens, morbum animi dote qua-
piam diversa compenset. Est hic
quidem propensior ad volunta-
tem, sed neutquam iracundus,
neutquam invidus. Est aliis in-
corrupta pudicitia, sed elatior, sed
iracundior, sed attentior ad rem.
Neque desunt qui prodigiosis
quibusdam ac fatalibus vitiis soli-
citentur, furto, sacrilegio, homici-
dio, quibus quidem omni conatu
obviam est eundum, contraque eo-
rum insultum, certi propositi mu-
rus quidam aheneus obiciendus.
E diverso sunt nonnulli affectus,
ita vicini virtutibus, ut periculum
sit, ne ambiguo discrimine falla-
mur. Erunt hi corrigendi, & ad
proximam virtutem commode de-
flectendi. Est exempli gratia qui-
spiam excandescitior, iniiciat

E 4 ani.

104 MILITIS CHRIST.
animo frenum, & erit alacrior, erit
erectus, minimeque languidus,
erit liber ac simplex. Est aliis pau-
lo tenacior, adhibeat rationem, &
fuerit frugalis. Qui blandior est,
fiet comis & commodus. Qui pre-
fractus, constans. Qui tristior, se-
verus. Qui ineptior, morigerus,
atque ad eundem modum de reli-
quis animi levioribus morbis. Hoc
modo cavendum, ne naturæ vi-
tium virtutis nomine palliemus,
tristitiam gravitatem, asperitatem
severitatem, invidiam zelum, sor-
des frugalitatem, assentationem
comitatem, scurrilitatem urbani-
tatem appellantes. Hæc igitur est
unica ad beatitudinem via. Pri-
mū, ut te noris. Deinde, ut ne quid
pro affectibus, sed omnia pro iudi-
cio rationis agas. Sana sit autem
& sapiat ratio, hoc est, tantum ho-
nesta spectet. At difficile est, in-
quies, quod præcipis. Quis negat?
Atqui verum est illud apud Plato-
nem adagium: quæ pulchra sunt,
eadem esse difficultia. Nihil for-
tius,

tius, quam ut quis seipsum vincat, sed nullum maius præmium, quam beatitudo. Præclare illud Hieronymus, ut cætera omnia: Nihil Christiano felicius, cui promittitur regnum cœlorum. Nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur. Nihil fortius, qui vincit diabolum. Nihil imbecillus, qui à carne superatur. Si tuas perpenderis vires, nihil difficilis, quam carnem subigere spiritui; si Deum auxiliatorem resperxeris, nihil facilius. Tu modo ingenti animo, perfectæ vitæ propositum concipe, conceptum urge. Nihil unquam vehementer imperavit sibi humanus animus, quod non effecerit. Magna pars Christianismi est, toto pectore velle fieri Christianum. Quod aditu videbitur inexpugnabile, id fiet successu mollius, usu facile, consuetudine demum etiam iucundum. Scitum est illud Hesiodum: Arduam initio esse virtutis viam: Verum ubi ad cacumen eresperis,

Velle fieri Christianum pars est Christianismi.

- 106 MILITIS CHRIST.
tutissimum ocium te manet. Nullum animal tam ferum, quod non mansuescat humana cura, & animi domitoris omnium nulla erit domandi ratio? Ut corpore valeas, potes in annos aliquot imperare tibi, ut abstemius sis, ut à Venere temperes, quæ præscripsit homo medicus: & ut omnem vitam tranquille transfigas, non potes vel inenses pauculos imperare affectibus, quod conditor præcipit Deus? Ut corpus morbo subducas omnia facis. Ut corpus & animam ab æterna morte subtrahas, non illa facis, quæ fecerunt & Ethnici?

De Homine interiore, & de duabus partibus hominis, ex literis sacris.

Pudet me profecto Christianorum nomine, quorum maxima pars veluti muta pecora servit affectibus suis, adeoque in hac discriminatione non sunt exercitati, ut ne norint quidem rationis atque perturbationum discrimen. Hoc tan-

tantum hominem esse putant,
quod vident, quod sentiunt. Imo
nihil esse putant, nisi quod sub
sensum cadat, cum nihil sit minus.
Quicquid impense cupiunt, id re-
ctum existimant. Pacem appell-
lant, certam comploratamque
servitutem, dum obruta ratio, quo-
cunque vocat affectus, nihil reni-
tens, sequitur. Hæc pax est illa
misera quam Christus veræ pacis
auctor, qui fecit utraque unum,
venit dirimere, bellum salutare ex-
citaturus inter patrem & filium,
inter maritum & uxorem, inter ea
quæ turpis concordia male conci-
liavit. Iam vero Philosophorum
levis sit auctoritas, nisi eadem o-
mnia, tametsi verbis non iisdem,
sacris in literis præcipiuntur. Quod
Philosophi rationem, id Paulus
modo Spiritum, modo interiorem
hominem, modo legem mentis
vocat. Quod illi affectum, hic in-
terim carnem, interim corpus, in-
terim exteriorem hominem, inte-
rim legem membrorum appellat.

Spiritu, inquit, ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversum carnem, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Et alibi: Quod si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nova profecto rerum commutatio, ut in bello pax quæratur, in pace bellum, in morte vita, in vita mors, in servitute libertas, in libertate servitus. Scribit enim alibi Paulus: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Libertatem audi: Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Et: Non iterum concepimus spiritum servitatis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei. Idem alibi: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Legis apud eundem de exteriore homine qui corrumpitur, & interiore qui renovatur de die in diem.

Plato

Plato duas uno in homine animas ^{Duplex} constituit. Paulus eodem in homine duos homines facit adeo conglutinatos, ut neuter sine altero, neque in gloria neque in gehenna sit futurus, adeo rursum disiunctos, ut unius mors, vita sit alterius. Eodem, opinor, pertinent, quæ scribit Corinthiis: Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in animam vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de cœlo cœlestis. Atque ut evidentius esset, ista non solum ad Christum & Adam, sed ad nos omnes pertinere, subiecit: Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur si portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Vides lique-

re,

110 M I L I T I S C H R I S T.

re, quod alibi carnem, & exterio-
rem, qui corrumpitur, hominem
dixit, hic terrenum Adam nomi-
nasse. Hoc ipsum nimis est, &
corpus illud mortis, quo gravatus
exclamabat Paulus : Infelix ego
homo, quis me liberabit de corpo-
re mortis huius ? Porro fructum
longe diversissimum carnis & spi-
ritus aperiens, alibi scribit: Qui se-
minat, inquit, in carne sua, de car-
ne & metet corruptionem, qui au-
tem seminat in spiritu, de spiritu
metet vitam æternam. Hoc igitur
illud est vetus dissidium gemino-
rum Iacob & Esau, qui & ante-
quam in lucem ederentur, iam
intra materni ventris claustra lu-
tabantur. At Esau quidem præ-
occupavit exortum, sed Iacob pre-
ripuit benedictionem. Prius enim
carnale, sed quod spiritale potius
est. Alter erat rufus & pilis obsi-
tus, alter levis. Alter inquietus &
venator, alter doméstico gaudens
ocio. Et ille quidem famelicus, ius
vendidit primogenitorum, dum
vili

Fru&us
carnis &
spiritus
differunt.

Iacob &
Esau,
sunt fi-
gura spi-
ritus &
carnis.

vili voluptatis auctoramento ille-
ctus, à nativa libertate excidit in
servitutem peccatorum: hic quod
iure non debebatur, arte gratiæ si-
bi vendicat. Inter hos fratres, quā-
quam uterinos, quanquam ge-
meljos, nunquam perfecta coit
concordia. Odit enim Esau Iacob,
Iacob contra, et si non responderet
odio mutuo, fugit tamen suspe-
ctumque semper habet Esau, ne-
que sese illi credit. Tibi quoque
quicquid suaserit affectus, suspe-
ctum sit propter dubiam auctoris
fidem. Iacob solus vidit domi-
num. Esau ut sanguinarius, gla-
dio vivit. Postremo dominus à
matre consultus respondit, Maior
serviet minori. Pater vero adiecit:
Fratri tuo servies, tempusque ve-
niet, cum excutias & solvas iugum
eius de cervicibus tuis. Dominus
de piis vaticinatur, pater de repro-
bis. Ille quid ab omnibus oport-
eat fieri commonstrat, hic quid
plerique facturi sint, prædictit. Pau-
lus vult mulierem subditam esse

viro

Mulier
affectus.

viro suo. Melior enim est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. Eva nostra carnalis est affectus, cuius oculos callidus ille coluber quotidie solicitat, ea corrupta pergit & virum ad communionem mali solicitare. Sed quid legis de muliere nova, id est, ea quæ viro suo morigera est? Inimicitias ponam inter te (nempe serpentem & mulierem) & semen tuum, & semen illius, Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. Deiectus est coluber in peccatus, impetum eius fregit mors Christi: tantum calcaneo insidiatur clancularius. Cæterum gratia fidei, tanquam in viraginem versa mulier, venenatum caput animosa conterit. Aucta est gratia, imminuta carnis tyrannis. Sara imminuta, auctore Deo, crevit Abraham, iamq; illa non maritum, sed dominum vocat. Neque prius tamen illa partum meretur, quam illi desissent muliebria. Quid vero tandem peperit domino suo Abra-

OMN

brahæ , iam anus , iam effœta?
 Nempe Isaac, hoc est gaudium.
 Simul atque in homine consenue-
 runt affectus , tum demum exori-
 tur felix illa tranquillitas innocen-
 tis animi, & mentis securitas quasi
 iuge convivium. Et ut pater ipse
 non indulxit uxori, ita in liberis
 suspectam habet collusionem, Isa-
 ac cum Hismaële. In ea ætate non
 vult convenire filio ancillæ , cum
 filio liberæ . Dum adhuc fervet a-
 dolescentia, procul ab oculis able-
 getur Hismaël, ne sub blandimen-
 ti specie , puerum adhuc Isaac, ad
 suos mores pelliceat. Iam senue-
 rat Abraham, iam anus erat Sara,
 iam ediderat Isaac, adhuc diffidit,
 nisi uxoris consilium divinum o-
 raculum comprobasset. Non est
 securus de muliere, donec audit à
 domino: Omnia quæ dixerit ti-
 bi Sara , audi vocem eius. O feli-
 cem senectam eorum , in quibus
 sic præmortuus est ille terrenus
 homo, ut nullum negocium exhi-
 beat spiritui , qui consensus an per
 omnia

omnia perfectus homini contingat in hac vita, haud equidem affirmaverim: fortasse ne expediat quidem. Nam & Paulo datus est stimulus carnis, angelus Satanæ, qui illum colaphizaret, ac iam tertium dominum rogans, ut à se tolleretur, hoc tantum audivit: Paule sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Novum profecto remedii genus. Paulus ne superbiret, tentatur à superbia: ut solidus sit in Christo, in se cogitur esse infirmus. Portabat enim thesaurum revelationum cœlestium in vase fictili, ut sublimitas esset virtutis Dei, & non ex ipso. Quod unum exemplum Apostoli multorum pariter nos admonet: Primum cum à vitiis solicitamus, mox iteratis precibus implorandum esse auxilium divinum. Deinde tentationes viris perfectis interdum non solum periculosas non esse, verum etiam ad custodiā virtutis necessarias. Postremo reliquis omnibus perdomitis, solum

Tentatus
oret.

solum inanis glorię vitium, in mediis etiam virtutibus insidiari, & hanc esse velut Hydram illam Herculananam, monstrum vivax, & suis vulneribus fœcundum, quod omnibus exantlatis laboribus, supremo fine vix demum queat confici. Verum labor omnia vincit improbus. Interim dum vehementibus perturbationibus æstuat animus, tu modis omnibus preme, urge, immine, ac Proteum istum vinclis stringe tenacibus, dum Omnia transformat sese in miracula rerum, Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem, donec in nativam speciem redeat. Quid autem tam Proteus, quam affectus & cupiditates stultorum, que cum eos nunc in belluinam libidinem, nunc in iram ferinam, nunc in venenatam invidiā, nunc in alia atque alia vitiorum portenta trahunt, nonne pulchre quadrat, quod eruditissimus Poëta dixit: Tum variæ illudent species, atque ora ferarum. Fiet enim subito sus

bito sus horridus, atraque tigris,
 Squamosusque draco & fulva cer-
 vice leæna: Aut acrem flammæ so-
 nitum dabit. Hic vero memento
 quod sequitur. Sed quanto ille
 magis formas se vertet in omnes,
 Tanto nate magis contendere tena-
 cia vincla. Imo ne rursum ad fa-
 bulas revolvamur poëtarum, ex-
 emplo sancti patriarchæ Iacob lu-
 ctamen nocturnum constanter ur-
 ge, donec illucescat aurora opis
 divinæ, dicitoque, non dimittam
 te, nisi benedixeris mihi. Quod
 autem virtutis suæ præmium tule-
 rit fortissimus ille palæstrites, ope-
 ræ pretium est audire: Primum be-
 nedixit ei in eodem loco. Semper
 enim post superatam temptationem
 præcipuum quoddam auctarium
 divinæ gratiæ adiicitur homini,
 qua sit ad futurum hostis assal-
 tum, multo quam fuerat muni-
 tior. Deinde tacto fémore emar-
 cuit nervus victoris, & cœpit alte-
 ro claudicare pede. Execratur per
 os prophetæ Deus, eos qui utro-
 que

præmis
victoria.

que claudicant pede, id est, qui simul & in carne esse, & Deo volunt placere, & dum utrumq; male conantur, utroque claudicant. Felices autem illi, in quibus sic affectus carnis emortuus est, contingente Deo, ut dextro pedi potissimum, hoc est, spiritui innitantur. Postremo nomen illi commutatum: ex Iacob enim fit Israël, ex luctatore quietus. Ubi castigaris carnem tuam, & eam crucifixeris cum vitiis & concupiscentiis, iam nullo obstrepente, continget tibi tranquillitas & otium, ut vaces & videas dominum, ut gustes & videas, quoniam suavis est dominus. Hoc enim sonat Israël. Videtur autem non in igni, non in turbine ac tumultu temptationum, verum tempestatem diaboli, si modo perseveraris, consequitur sibilus auræ tenuis consolationis spiritualis. Ea simul atque leniter aspiraverit, tum intende acriter internos oculos, & eris Israël, dicesque cum eodem: Vidi dominum, & salva facta est.

est anima mea. Videbis eum qui dixit: Non videbit me omnis caro. Excute te ipsum: Si caro es, non videbis dominum: si non videris, non salvabitur anima tua. Cura igitur ut sis spiritus.

*De tribus hominis partibus spi-
ritu, & anima, & carne.*

ERANT HÆC VEL NIMIO PLUS SATIS,
VERUM UT FIAS TIBI PAULO ETIAM
PERSPECTIOR ATQUE EXCUSSIOR, LIBET
& ORIGENICAM HOMINIS SECTIONEM
BREVITER REFERRE. IS ENIM PAULUM
SECUTUS TRES PARTES FACIT, SPIRITUM,
ANIMAM, & CARNEM, QUAS OMNES
CONIUNXIT APOSTOLUS SCRIBENS THEF-
SALONICENSIBUS, UT INTEGER, INQUIT,
CORPUS VESTRUM, ANIMA, & SPIRITUS,
IN DIE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
SERVETUR. ESAIAS AUTEM OMILLA PAR-
TE INFIMA, DUARUM MEMINIT: ANI-
MA, INQUIT, MEA DESIDERABIT TE IN
NOCTE, SED & SPIRITU MEO IN PRÆCOR-
DIIS MEIS, DE MANE VIGILABO AD TE.
DANIEL ITEM: LAUDATE, INQUIT, SPI-
RITUS & ANIMÆ IUSTORUM DOMI-
NUM.

Origenes
libro
primo
super e-
pist. ad
Ro.

flō

num. Quibus ex locis non absurde colligit triplicem hominis portionem: Corpus sive carnem, infi-
mam nostri partem, cui per genita-
talem culpam legem inscripsit pec-
cati serpens ille veterator, quaque
ad turpia provocamur, ac vici diabolo connectimur: Spiritum vero ^{Spiritus.}
qua divinæ naturæ similitudinem
exprimimus, in qua conditor optimus,
de suæ mentis archetypo, æ-
ternam illam honesti legem in-
sculpsit digito, hoc est spiritu suo.
Hac Deo conglutinamur, unum-
que cum eo reddimur. Porro ter- ^{Anima.}
tiam, & inter istam medium, ani-
mam constituit, quæ sensuum ac
motuum naturalium sit capax. Ea
velut in factiosa republika non po-
test non alterūtri partium accede-
re. Hinc atque hinc solicitatur, li-
berum habet utro velit inclinare.
Si carni renūcians ad spiritus par-
tes sese traduxerit, fiet & ipsa spi-
ritalis. Sin ad carnis cūpiditates
semet abiecerit, degenerabit &
ipsa in corpus. Hoc enim est quod
luron sensit

sensit Paulus, scribens Corinthiis:
 An nescitis, quoniam qui adhæret
 meretrici, unum corpus efficitur.
 Qui autem adhæret domino, unus
 spiritus est. Meretricem lubricam
<sup>Caro mea
retrix est
animam
seducens.</sup> hominis partem appellat. Hæc est
 illa illex & blanda mulier, de qua
 legis Proverbiorum capite secun-
 do: Ut eruaris à muliere aliena, &
 ab extranea, quæ mollit sermones
 suos, & relinquit ducem puberta-
 tis suæ, & pacta Dei sui oblita est.
 Inclinata est enim ad mortem do-
 mus eius, & ad inferos semitæ
 ipsius. Omnes qui ingredientur ad
 eam, non revertentur, nec appre-
 hendent semitas vitæ. Et capite
 sexto: Ut custodiant te à muliere
 mala, & à blanda lingua extraneæ.
 Non concupiscat pulchritudinem
 eius cor tuum, ne capiaris nutibus
 illius. Precium enim scorti, vix
 unius est panis, mulier autem viri
 pretiosam animam rapit. Nonne
 cum de scorto, corde, & anima
 meminit, nominatim tres hominis
 partes expressit? Rursum capite
 nono:

nono: Mulier stulta & clamosa,
 plenaque illecebris, & nihil omnino
 sciens, sedet in foribus domus
 suæ super sellam in excelso urbis
 loco, ut vocaret transeuntes per
 viâ, & gentes in itinere suo. Quis
 est parvulus declinet ad me. Et ve-
 cordi locuta est: Aquæ furtivæ dul-
 ciores sunt, & panis absconditus
 suavior, & ignoravit quod ibi sint
 gigantes, & in profundis inferni
 convivæ eius. Qui enim applica-
 bitur illi, descendet ad inferos.
 Nam qui abscesserit ab ea, salvabi-
 tur. Quæso te, quibus coloribus
 magis graphicè depingi, fucarive
 poterant, vel venenatæ carnis ille-
 cebræ, ad turpitudinem sollicitan-
 tes animam, vel improbitas spiri-
 tui reclamantis, vel exitus infelix
 superantis? Ergo spiritus Deos nos
 reddit, caro pecora. Anima con-
 stituit homines: spiritus pios, caro
 impios, anima neutros. Sponsus
 quærit cœlestia, caro dulcia, anima
 necessaria. Spiritus evehit in cœ-
 lum. Caro deprimit ad inferos.

F

Animæ

Amor
parentū
matura-
lis.

Animæ nihil imputatur. Quicquid carnale, turpe est. Quicquid spirituale, perfectum. Quicquid animal, medium & indifferens. Visne pinguiore, quod aiunt, Minerva, tanquam digito tibi demonstrari partium istarum discrimen? Evidem experiar: Vereris parentes, amas fratrem, amas liberos, diligis amicum. Non tam virtutis est ista facere, quam sceleratum non facere. Cur enim non facias Christianus, quod naturæ instinctu faciunt & gentes, immo quod faciunt & pecora? Quod naturæ est, non imputatur ad meritum. Sed incidisti in eum locum, ut aut patris contemnenda pietas, vincenda charitas liberorum, benevolentia negligenda amici, aut offendendus Deus. Quid facis? In bivio stat anima. Solicitat hinc caro, illinc spiritus. Dicit spiritus: Potior est parente Deus: Illi corpus modo debes, huic omnia. Suggerit caro: Nisi pares, exhæreditat te pater, vulgo diceris impius.

Con-

Consule rei, consule famæ. Deus aut non videt, aut connivet, aut certe facile placabitur. Iam hæret, iam nutat anima. Utrocnque se flexerit hoc erit, quod est id, cui accesserit. Si contempto spiritu, meretricē carnem audierit, unum corpus est. Sin spreta carne ad spiritum erigatur, transfiguratur in spiritum. Ad hunc modum consuefce temetipsum solerter excutere. Ingens enim hominum error, qui non raro absolutam pietatem putant, quod est naturæ. Imponunt incautis affectus quidam, in speciem honestiores, & quasi virtutum larvis personati. Sævit iudex in sontem, severus & incorruptus sibi videtur. Vis & hunc discuti? Si animo indulget suo, servitque rigori cuidam genuino: nullo animi dolore, nonnulla fortassis cum voluptate, nihil tamen à iudicis officio divari cans, ne sibi protinus placeat, medium est quod facit. Quod si lege, vel ad odium privatum, vel ad cu-

F 2 pidi-

124 MILITIS CHRIST.
piditatem abutitur , iam carnale
est quod gerit , & homicidium
committit : sin ingentem animo
percipit dolorem, quod cum cogi-
tur perdere, quem mallet emenda-
tum & incolumem , & pœnam
commeritam irrogat eo peccoris
sensu , quo pater filium charissi-
mum secari urique iubet , ita de-
mum spirituale erit quod agit. Ple-
rius propensione naturæ , atque
ingenii proprietate , rebus non-
nullis vel gaudent, vel abhorrent.
Sunt quos nihil titillet Venerea
voluptas. Ne protinus sibi ad vir-
tutem arrogant , quod est indiffe-
rens. Non carere libidine, sed vin-
cere libidinem , virtutis est. Alius
gaudet iejunare, gaudet adesse sa-
cris, gaudet frequens esse in tem-
plis, gaudet quam plurimum psal-
morum dicere, sed in spiritu. Exi-
ge ad hanc regulam quod facit. Si
ad famam , si ad emolumentum
spectat, carnem sapit, non spiri-
tum. Si tantum ingenio indulget
suo, facit enim quod animo lubet,
non

Regula
veræ pie-
tatis.

non habet quod sibi magnopere placeat, imo quod timeat habet. En tibi periculum. Oras, & non orantem iudicas. Ieiunas, & fratre manducantem condemnas. Quisquis non facit, quod tu, eo te meliorem iudicas. Vide ne ad carnem pertineat ieiunium tuum. Eget frater ope tua, tu interim preculis tuis Deo obmurmuras, fratris egestatem dissimulans: averfabitur istas preces Deus. Quomodo enim te orantem audiet Deus, cum tu non audias homo hominem? Accipe & illud: Amas uxorem, hoc tantum nomine quod uxor est. Nihil magnificis. Nam istud quidem est tibi cum Ethnicis commune. At amas, non ob aliud, nisi quia tibi voluptati est. Ad carnem tendit amor tuus. Sed amas ob hoc potissimum, quod in ea perspexeris imaginem Christi, putapietatem, modestiam, sobrietatem, pudicitiam, iamque non illam in ipsa, sed in Christo, imo in ea Christum amas, ita deum spiri-

Amos
uxoris
castus.

F 3. tuam.

126 MILITIS CHRIST.
tualiter amas. Verum his de rebus
plura, sed suo loco.

*Regula quadam generales ve-
ri Christianismi.*

Nunc quoniam ad id quod propositum est, utcunque viam aperuisse, & quasi sylvam quandam comparasse videmur, ad reliqua properandum, ne non Enchiridion, sed ingens fiat volumen. Conabimur autem breviter regulas quasdam quasi nexus quosdam palæstricos tradere, quarum ductu, tanquam fili Dædalei, facile queas è mundi huius erroribus, velut è labyrintho quodam inextricabili emergere, atque ad puram lucem vitæ spiritualis pertinere. Nulli disciplinæ sui canones desunt, & sola beate vivendi ratio nullis præceptis adiuvabitur? Est autem omnino virtutis ars quasdam & disciplina, in qua qui se gnaviter exercent, iis denique aspirat ille sanctorum conatum prosector spiritus. Qui vero dicunt,

cunt, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, hos reiciet misericordia divina, propterea quod ipsi reiecerunt scientiam. Sumentur autem hi canones partim à persona Dei, diaboli, & nostra: partim à rebus, id est, virtutibus ac vitiis, & quæ sunt his coniuncta: partim à materia virtutum & vi-
 torum. Conducent potissimum adversus tria mala, reliquias culpæ genitalis. Nam etsi labem absterrit baptismus, tamen hæret adhuc quiddam veteris morbi, relictum in nobis, tum ad custodiam humilitatis, tum materiam segetemque virtutis. Ea sunt cæcitas, ca-
 ro, & infirmitas. Cæcitas ignoran- Cæcitas.
 tiæ nebula, rationis obscurat iudicium. Lumen enim illud purissimum divini vultus, quod conditor infuderat super nos, cum non-nihil obfuscavit culpa primorum parentum, tum corrupta educa-
 tio, improbus convictus, perversi affectus, vitiorum tenebræ, consuetudo peccandi, tanta obduxit

Reliquæ
peccati
originæ-
lis.

128 MILITIS CHRIST.
rubigine , ut divinitus insculptæ
legis vix vestigia quædam appa-
reant. Ergo (ut cœperam) cæcitas
facit , ut in delectu rerum fere cæ-
cutiamus, pro optimis pessima se-
quentes , potiora minus utilibus
posthabentes. Caro solicitat af-
fectum , ut etiam si quid sit opti-
mum intelligamus , diversa tamen
amemus. Infirmitas facit , ut vir-
tutem semel arreptam , vel tædio,
vel tentatione victi deseramus: cœ-
citas officit iudicio: caro depravat
voluntatē: infirmitas frangit con-
stantiam. Primum igitur est, ut fu-
gienda dignoscas ab expetendis,
atque ideo tollenda cæcitas , ne in
rerum delectu hallucinemur. Pro-
ximum ut malum cognitum ode-
ris, bonum ames, & in hoc vincen-
da caro, ne contra mentis iudicium
dulcia pro salutaribus amemus.
Tertium ut in bene cœptis perse-
veres , atque idcirco fulcienda in-
firmitas , ne turpius virtutis viam
deseramus , quam fueramus non
ingressuri. Ignorantiæ meden-
dum,

Caro.

Infirmi-
tas.

dum, ut videas qua sit eundum. Caro domanda, ne à cognita via seducat in devia. Infirmitas animanda, ne viam artam ingressus, vel vacilles, vel resistas, vel deflectas, neve semel aratro manum admolitus, respicias, sed exultes ut gigas ad currēdam viam, semper in ea quæ sunt ante temet extendens, eorum quæ retro sunt oblitus, donec apprehendas bravium, & coronam promissam perseverantibus. Ad hæc itaque tria canones quosdam pro nostra virili accommodabimus.

*Contramalum ignorantie, Ca-
non primus.*

Quoniam vero fides unica est ad Christum ianua, primam oportebit esse regulam, ut de ipso atque illius spiritu traditis scripturis quam optime sentias. Credasque non ore tenus, non frigide, non oscitanter, non hæsitanter, quemadmodū vulgus facit Christianorum, sed toto pectore, peni-

Bene sen-
tiendū de
scriptura.

F 5 tus

130 MILITIS CHRIST.
tus infixum immotumque sedeat,
ne unum quidem in eis iota con-
tineri, quod non magnopere ad
tuam salutem pertineat. Nihil
quicquam te moveat, quod bonam
hominum partem sic vides vivere,
quasi cœlum & inferi, fabulæ que-
piam essent aniles, terricula aut il-
lestanta puerorum. Tu vero
credens, ne festinaveris. Et si ad
unum universus insaniat mundus,
vertantur elementa, desciscant an-
geli, non potest mentiri veritas,
non potest non evenire, quod Deus
eventurum esse prædictit. Si Deum
esse credis, veracem credas oportet.
Sic prorsus habeto, nihil tam
verum esse, nihil tam certum at-
que indubitatum eorum quæ au-
ribus hauris, oculis coram intue-
ris, manibus tenes, quam quæ le-
gis in his literis quas cœlestè nu-
men, hoc est, veritas inspiravit,
sancti Prophetæ prodiderunt, tot
martyrum sanguis comprobavit,
quibus tot iam seculis, piorum
hominum consensus subscriptit,
quas

quas Christus ipse in carne, & sermone tradidit, & moribus expressit, testantur miracula, confitentur & dæmones, adeoque credunt, ut & contremiscant: denique quæ sic consentaneæ sunt æquitati naturæ, quæ sic inter se constant, sic rapiunt attentos, sic movent atque transformant. Si hæc tanta argumenta in eas solas competunt, quæ malum, vesania est, in fide hæsita-re? Vel ex præteritis futurorum coniectionem facito: quanta, quam incredibilia dictu de Christo præ-dixerant Prophetæ. Quid horum non evenit? Qui in illis non fefel-lit, in aliis falleat? Postremo non mentiti sunt Prophetæ, & mentie-tur Christus prophetarum domi-nus? His atque huiusmodi cogita-tionibus, si subinde flammam ex-citaris fidei, tum ardenter roga-veris Deum, ut adaugeat tibi fidé, mirabor, si diu malus esse pateris. Quis enim usque adeo scelestus est, ut non resiliat à vitiis, si modo penitus credat, momentaneis his

voluptatibus, præter infelicem illum conscientiæ mentis cruciatum, æternos quoque emi cruciatus? Piis contra, pro tempora-ria, ac levi vexatiuncula centu- plu[m] gaudium puræ conscientiæ, ac vitam denique reddi immor- talem?

Canon secundus.

Primum igitur esto, nihil hæsi-
tare de promissis divinis: pro-
ximum autem, ut viam salutis, non
cunctanter, non timide, sed certo
proposito, toto pectore, animo fi-
denti, atque (ut ita dixerim) gla-
diatorio capellas, paratus vel rei,
vel vitæ dispendium pro Christo
subire. Piger vult, & non vult.
Non oscitantibus contingit regnū
cœlorum, sed plane vim pati gau-
det, & violenti rapiunt illud. Huc
festinantem non te charorum affe-
ctus rerardet, non revocent illece-
bræ mundi, non remorentur curæ
domesticæ. Incidenda est secula-
rium negotiorum catena, quan-
doqui-

doquidem explicari non potest. Sic deserenda est Aegyptus , ne quando redeas animo ad ollas carnium. Raptim ac semel tota ^{Nō respiciendum.} deserenda Zodoma, non est fas respicere: respexit mulier, & versa est in simulachrum saxeum. Viro non vacat ulla usquam in regione morari, sed iubetur properare in montem, nisi malit perire. Clamat propheta: ut fugiamus de medio Babylonis. Exitus ab Aegypto fuga vocatur. E Babylone fugere iubemur, non sensim, atque cunctanter emigrare. Videas plerosque conperendinantes, & consiliis nimium lentis molientes fugam vitiorum: ubi his me curis, inquiunt, extricavero, ubi illud atque illud negotii confecero. Stulte, quid si hodie à te repeatant animam tuam ? An nescis negotium è negotio seri? Vitium vitio invitari ? Quin hodie potius facis, quod quo maturius feceris, hoc factu fuerit facilius? Alibi diligens esto, hic utilissima præcipitatio. Ne reputa, ne pensiculare.

134 MILITIS CHRIST.
siculare, quantum relinquas, certus, Christum unum tibi satis futurum pro omnibus. Aude modo te illi toto pectore credere. Aude tibi dissidere, aude omnem tui curam in illum transferre. Desine inniti tibi, & plena fiducia abiicete in eum, & excipiet te. Iacta cogitatum tuum in dominum, & ipse te enutriet, ut canas illud eiusdem prophetæ: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Ne velis temet ipsum partiri duobus, mundo & Christo. Non potes duobus dominis servire: nulla societas Deo cum Belial: non fert eos qui utroque genu claudicant: evomit eos, qui neque frigidi sunt, neque calidi, sed tepidi. Nimis quam zelotypus animarum amator Deus est, solus ac totū possidere vult, quod sanguine suo redemit. Non patitur confortium diaboli, quem se-
Dux vix: mel morte sua devicit. Duæ tan-
tum.

Fides.

tum viæ sunt: altera quæ per obse-
quium affectuum ducit in exitiū:
altera quæ per mortificationem
carnis ducit ad vitam. Quid te-
cum hæres? tertia nulla est. Harum
alteram velis nolis adeas oportet:
quisquis es, hæc carta tibi ineunda
semita est, per quam pauci morta-
lium ambulant. Sed hanc ipse cal-
cavit Christus, calcarunt ab orbe
condito, quicunque Deo placue-
runt. Hæc est profecto Adrastei
numinis inevitabilis necessitas :
cum Christo, mundo crucifiga-
ris necesse est, si voles cum Christo
vivere. Quid inepti nobis ipsi
blandimur? Quid tanta in re no-
bis ipsis imponimus? Hic dicit,
non sum clericus, mundanus sum,
non possum non uti mundo. Alius
cogitat, et si sacerdos sum, mona-
chus non sum, viderit ille. Inve-
nit & monachus, quo sibi palpe-
tur: Non tam, inquit, monachus
sum, quam illi aut illi. Alius dicit:
adolescens sum, generosus, dives,
aulicus, denique princeps, ad me
nihil

136 MILITIS CHRIST.
nihil attinent, quæ dicta sunt Apostolis. Miser, ergo ad te nihil attinet ut vivas in Christo? Si in mundo es, in Christo non es: si mundum appellas cœlum, terram, mare, & hunc communem aërem, nemo non est in mundo: si ambitionem, delitias, cupiditatem, libidinem, mundum dicis, profecto si mundanus es, Christianus non es. Omnibus dixit Christus, qui crucem suam non tolleret, ac sua vestigia sequeretur, non esse se dignum. Mori carni cum Christo, nihil ad te, si vivere illius spiritu nihil ad te pertinet. Crucifigi mundo, nihil ad te, si vivere Deo, nihil ad te: consepeliri cum Christo, nihil ad te, si resurgere in gloriam, nihil ad te. Christi humilitas, paupertas, tribulatio, contemptus, labores, agones, dolores, nihil ad te, si regnum illius nihil ad te. Quid autem improbius, quam præmium tibi cum aliis communducere, at labores quibus paratur præmium, in paucos quosdā reiicere?

cere? Quid autem delicatius, quam cum capite conregnare velle, cum nolis compati? Noli igitur mi-
Mori
mundo.
 ter circumspicere quid alii faciant,
 & eorum collatione tibi blandiri.
 Ardua quædam, & paucissimis, et-
 iam monachis cognita res est, mori
 peccato, mori desideriis carnali-
 bus, mori mundo. Et hæc est com-
 munis omnium Christianorum
 professio. Hoc iam olim in bapti-
 smo deierasti. Quo voto, quod
 possit accedere sanctius, aut reli-
 giosius? aut pereundum, aut si-
 ne exceptione, hac via grassan-
 dum ad salutem, sive reges, sive
 inopes erimus coloni. Quod si
 non omnibus contingit ad perfe-
 ctam imitationem capitis pertin-
 gere, omnibus tamen huc mani-
 bus, pedibusque est entendum.
 Bonam Christianismi partem ha-
 bet, qui certo animo decrevit fie-
 ri Christianus.

Canon

Canon tertius.

Verum ne te illud à virturis via deterreat, quod aspera videatur ac tristis, tūm quod commodatibus mundi sit renunciandum, tūm quod iugiter configere oporteat cum tribus improbissimis hostibus, carne, diabolo, & mundo. Hanc tertiam regulam tibi propонito, universa terricula, & phantasmata, quæ tibi statim velut in ipsis Averni faucibus occurrunt, pro nihilo ducenda esse exemplo Aeneæ Vergilianæ. Quod si ludibriis inanibus contemptis rem ipsam pressius fixiusque inspexeris, profecto videbis, Christi via, præterquam quod sola dicit ad felicitatem, etiam omisso præmii respectu, nullam tamen aliam esse commodiorem. Quod enim (quæso te) vitæ genus iuxta mundum tibi deliges, in quo non sint abunde multa tristia atque aspera subeunda, tolerandaque? Aulicam vitam quis nescit esse ærumnarum plenam,

plenam, nisi vel inexpertus, vel certe stultissimus? Deum immortalem, quæ illic, quam diutina, quam indigna servitus preferenda, quanta sollicitudine ambienda principis gratia, e blandiendus favor eorum, qui vel nocere possunt, vel prodesse, fingendi vultus subinde novi, missitanda iniuria potentiorum. Porro autem quod tandem mali genus, quo non sit referata militia? Utriusque rei tu testis esse optimus potes, qui utrumque tuo periculo didicisti. Iam vero quid vel non facit vel patitur mercator, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes? In coniugio quanta moles curarum familiarium? quam non ibi miseriam vident, qui experiuntur? In publicis obeundis muneribus, quantum sollicitudinis, quantum laboris, quantum periculi? Quoquo versum flexeris oculos, ingens turba incommodorum occurret. Ipsa per se vita mortalium mille ærumnis obnoxia est, quæ sunt improbis cum

Mercato-
rum mo-
lestiae.
Coniugii
miseriae.

140 M I L I T I S C H R I S T .
cum probis communes. Ex omnes
tibi cesserint in cumulum merito-
rum , si te deprehenderint in via
Christi: sin minus , cum maiore
molestia , tum nullo fructu feren-
dæ tamen. Qui mundo militant,
primum quam multos annos an-
helant, sudant, tumultuantur? De-
inde pro quam caducis , nihilique
rebus ? Postremo quam ancipi-
spe. Adde quod illic adeo nullus
est miseriarum finis , ut quo labo-
ratur est diutius , hoc laboretur
molestius. Finis denique tam an-
xiæ , tamque laboriosæ vitæ , qui
tandem ? Nempe cruciatus æter-
nus. In nunc , & cum hac vita com-
pone viam virtutis, quæ statim de-
finit esse aspera , fit progressu mol-
lior, fit iucunda, per quam certissi-
ma spe itur ad summum bonum.
Nonne extremæ dementie sit, mal-
le pari labore parare mortem æ-
ternam, quam vitam immortalem?
At isti faciunt , vel hoc insanus,
qui præeligunt summis laboribus
ire ad labores perennes , quam
me-

mediocribus ad otium immortale. Ad hæc si maxime laboriosior esset pietatis via quam mundi , tam en hi laboris asperitas , præmii spe lenitur , nec deest unctio divina, quæ facit , ut omne fel in mel vertatur. Illic cura curam trahit, dolor ex dolore nascitur : nec mora, nec requies : foris labor & afflictio, intus gravior ægritudo : Ipsa lenimenta exasperant . Hæc ita habere, ne gentiles quidem poëtas fugit , qui per Tityi , Ixionis, Tantali, Sisyphi, Pentheique supplicium , improborum hominum ærumnosam vitam adumbrant.

impro-
borum
vita,

Quorum est & illa sera in libro sapientiæ confessio , Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles , viam autem domini ignoravimus. Quid Aegyptia servitute vel fœdius, vel laboriosius ? quid Babylonia captivitate tristius ? quid iugo Pharaonis & Nabuchodonosor intolerabilius ? Christus autem quid dicit ? Tollite iugum meum super vos ,

Christia-
norum
vita,

vos , & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est , & onus meum leve. In summa nulla deest voluptas , ubi adest tranquilla conscientia. Nulla non adest miseria, ubi cruciat infelix conscientia. Hæc iam plus quam certa esse oportet Quod si etiam dubitas , consule eos qui aliquando de medio Babylonis conversi sunt ad dominum , & vel illorum experimento crede , nihil esse vitiis turbulentius tristiusque , nihil virtute expeditius atque hilarius. Verum age , fingito paria stipendia , pares labores , at quanto tamen optabilius militare sub signis Christi , quam sub vexillis diaboli ? Imo quanto optabilius affligi cum Christo , quam delitiis affluere cum diabolo ? Iam vero non erit velis & equis fugiendus dominus , non tantum turpissimus , verum etiam durissimus & fallacissimus ? qui tam iniquum pensum exigit : qui tam futilia promittit , quibus ipsis non raro frustratur mise-

miseros. Aut si præstat, rursus ubi
Iubitum est tollit, ut maiore ægri-
tudine amittant parta, quam labo-
re pepererint. Mercator postea-
quam fasque nefasque cumulandæ
rei studio miscuit, famam, vitam,
animam mille periculis obiecit, si
quidem bene ceciderit fortunæ a-
lea, quid tandem aliud sibi para-
vit, quam miseræ solicitudinis ma-
teriam, ut servet: cruciatum, si
perdat. Sin male, quid reliquum
est, nisi ut bis fiat miser, & quod
re sperata frustratus est, & quod
tantum irriti laboris exhaustum,
non sine dolore meminit? Nemo
ad bonam mentem certo animo
contendit, qui non pervenerit.
Christus ut non irridetur, ita nec
irridet. Cogita & illud, cuim à mun-
do fugis ad Christum, non te re-
linquere, si qua commoda mun-
dus habet, sed leviora cum potio-
ribus commutare. Quis non oppi-
do lubens argentum auro, silicem
gemma commutaverit? Offendun-
tur amici, quid tum? Invenies iu-
cundio-

cundiores. Carebis voluptatibus? sed frueris internis, quæ sunt vel suaviores, vel synceriores, vel certiores. Minuenda res? At crescunt opes illæ, quas neque tineæ demoluntur, neque tollunt fures. Desinis esse in pretio apud mundum? At probaris auctore Christo. Places paucioribus, sed melioribus. Macrescit corpus, sed saginatur animus. Macrescit nitor cutis, sed enitescit decus animi. At si per cætera eodem modo cucurris, intelliges nihil, vel falsi boni relinquì mundo, quod non longe præstantiore compendio compensetur. Quod si qua sunt, quæ quamquam non possunt non vitiose desiderari, sine vitio tamen possideri possunt, quod genus opinio popularis, favor vulgi, gratia, auctoritas, amici, honos virtuti habitus: fere fit, ut primum quærentibus regnum Dei, ultro hęc omnia adiificantur, id quod promisit Christus, & Deus præstítit Solomoni. Fortuna plerunque sequitur fugien-

gientes, fugit sequentes. Certe ^{Omnia bonis prospera.} quicquid acciderit diligentibus, nihil non esse prosperum potest, quibus dispendia in compendium, flagella in solatium, opprobria in gloriam, cruciatus in voluptatem, tristia in dulcia, mala vertuntur in bona. Hanc igitur viam dubitas capessere, & illam relinqueres cum tam iniqua sit collatio, immo tam nulla, Dei ad diabolum, spei ad spem, præmii ad præmium, laboris ad laborem, solatii ad solatium.

Canon quartus.

Sed ut certiore cursu queas ad felicitatem contendere, hæc tibi quarta sit regula, ut totius vitæ tuæ Christum, velut unicum scopum præfigas, ad quem unum omnia studia, omnes conatus, omne ocium ac negocium conferas. Christum vero esse puta, non vocem inanem, sed nihil aliud, quam ^{Christus quid.} charitatem, simplicitatem, patientiam, puritatem, breviter quicquid
G ille

Diabolus ille docuit. Diabolum nihil aliud
quid. intellige, quam quicquid ab illis
avocat. Ad Christum tendit, qui
ad solam virtutem fertur. Diabo-
lo se mancipat, qui servit vitiis.
Simplex ergo sit oculus tuus, &
totum corpus tuum lucidum erit:
ad solum Christum tanquam ad
unicum & summum bonum spe-
ctet, ut nihil ames, nihil mireris,
nihil expetas, nisi aut Christum,
aut propter Christum. Nihil ode-
ris, nihil horreas, nihil fugias, præ-
ter unam turpitudinem, aut pro-
pter turpitudinem. Ita fiet, ut quic-
quid egeris, sive dormias, sive vi-
giles, sive edas, aut bibas, ipsi de-
nique Iusus tui & otia, dicam au-
daciis, imo & vitia quædam le-
viora, in quæ nonnunquam ad
virtutem properantes incidimus,
omnia tibi cedant in cumulum
præmii. **Quod** si nequam erit o-
culus tuus, & alio quam ad Chri-
stum spectaris, etiamsi qua recta
feceris, infrugifera fuerint, aut
etiam perniciosa. Vitium enim
est,

est, rem bonam non bene agere. Tum ad summi boni metam recta festinanti, quæcunque obiter occurunt, eatenus sunt aut reicienda, aut assumenda, quatenus cursum tuum aut adiuvant, aut impediunt. Earum rerum ferme ^{triplex}
 triplex est ordo. Quædam enim ^{ordo re-}
 ita sunt turpia, ut honesta esse non possint, velut ulcisci iniuriam, male velle homini. Hæc semper aspernanda, quantovis etiam emolumento proposito, aut cruciatu. Nihil enim est, quod bonum virum queat lädere, præter unam turpitudinem. Quædam è regione ita sunt honesta, ut turpia esse non possint. Quod genus sunt, bene velle omnibus, iuvare honestis rationibus amicos, odiisse vitia, gaudere piis sermonibus. Quædam vero media, veluti valetudo, forma, vires, facundia, eruditio, & his similia. Ex hoc igitur postremo genere rerum, nihil propter se expetendum, neque magis, minus yeadhibendæ sunt, nisi quatenus

nus conducunt ad summam metam. Sunt enim & Philosophis quidam fines imperfecti, medii, in quibus non oporteat consistere, quibusque conveniat uti, non frui. Verum quæ media sunt, non eodem modo omnia aut conferunt aut officiunt ad Christum euntibus: proinde pro momento quod habent, sunt assumenda, aut repudianda. Scientia plus adfert adiumenti ad pietatem quam forma, aut vires corporis, aut opes. Et quanquam omnis eruditio potest ad Christum referri, alia tamen alia propiore via conduit. Ab hoc fine, mediorum omnium utilitatem, aut inutilitatem, metire. Literas amas, recte, si propter Christum. Sin ideo tantum amas, ut scias, ibi consistis, unde gradum facere oportebat. Quod si literas expetis, ut illis adiutus, Christum in arcanis literis latentem clarius perspicias, perspectum ames, cognitum atque amatum communes, aut fruaris, accinge te ad studia

dia literarum. Verum non ultra quam ad bonam mentem arbitre-
re profuturas. Si tibi confidis, & Quate-
nus gen-
tilium
literæ le-
gendæ.
ingens in Christo lucrum speras,
perge tanquam audax mercator,
longius etiam in gentilium literis
peregrinari. Atque Aegyptias o-
pes ad dominici templi honesta-
mentum convertere. Sin metuis
plus dispendii quam speras com-
pendii, ad primam illam regulam
redi: *Nosce te ipsum*, & tuo te mo-
dulo metire. Satius est minus sa-
pere & amare magis, quam magis
sapere, & non amare. Ergo scien-
tia in mediis principatum obtinet.
Deinde sunt valetudo, dotes in-
genii, facundia, forma, vires, di-
gnitas, gratia, auctoritas, prosperi-
tas, fama, genus, amici, res familia-
ris: horum unumquodque ut pro-
ximo cursu ad virtutem conduceat,
ita maxime erit adhibendum, sed
si quidem currentibus nobis offe-
rantur. Sin minus, non erit tamen
horum gratia à proposito cursu
deflectendum. Obvenit pecunia, Pecuniæ
G 3 si ni- quomodo
 amandæ.

si nihil obstat ad bonam mentem, administra, para tibi amicos de mammona iniquitatis. Sin bonæ mentis times dispendium, contemne damnosum lucrum, & vel Cratem illum Thebanum imitare, molestam sarcinam in mare potius præcipita, quam te retardet à Christo. Id erit tibi factu proclivius, si quemadmodum diximus, assuēris nihil mirari eorum, quæ sunt extra te, id est, quæ non pertinent ad hominem interiorem. Ita enim fiet, ut neque in solecas, si hæc contigerint: neque discrucieris animo, si vel negata fuerint, vel erepta, quippe qui felicitatem tuam uno Christo metiris. Quod si circa tuum studium contingunt, sollicitior esto, non securior: id cogitans, datam tibi divinitus virtutis exercendæ materiam, sed periculosam. Quod si suspectam habes fortunæ benignitatem, Prometheus imitare. Nereceperis dolosam pyxidem, & expeditus ac nudus ad unicum illud bonum contendere.

Qui

Qui vero pecuniam, ut rem magnam ingenti solicitudine expectunt, & in ea statuunt præcipuum vitæ præsidium, qui se beatos putant ea incolami, qui miseros clamitant cum periit, ii nimis plures Deos sibi finxere. Aequasti Christo pecuniam, si ea te potest felicem, aut infelicem reddere. Quod dixi de pecunia, idem de honoribus, voluptatibus, valetudine, immo & de ipsa vita corporis accipe. Tanto ardore ad unum Christum scopum nostrum oportet eniti, ut horum nihil vacet magnopere curare, sive cum dantur, sive cum tolluntur. Tempus enim breve est, ut ait Apostolus. Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes. Hanc mentem (scio) mundus ut stultam, ac male sanam, ridet, verum per hanc unam stultitiam placuit Deo salvos facere credentes. Et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Ad hanc itaque regulam, quicquid & agis,

G 4 exiges.

Labor.

Ieiuniū.

Supersti-
tiosi cul-

exiges. Exerces artem recte, si sine
fraude. Verum quo spectas? Ut al-
las familiam. At quorsum tibi fa-
miliam? Ut eam Christo lucra-
cias? Bene curris. Ieiunas, pium
quidem opus in speciem. Sed quo
refers tuum ieunium? Ut parcas
penui, aut ut religiosior habearis.
Nequam est oculus tuus. At ieiun-
nas, ne in morbum incurras. Cur
morbum metuis? Ne te privet usu
voluptatum. Vitiosus est oculus
tuus. Sed valere vis, ut studio suf-
ficias. Studium vero quo refers?
Ut sacerdotium aliquod tibi pa-
res. Sacerdotium quo animo am-
bis? Nempe ut tibi vivas, non
Christo. Aberrasti à signo quod
Christianum oportet ubique præ-
fixum habere. Sumis cibum ut va-
leas corpore. Sed ideo valere vis
corpore, ut sanctis studiis, sanctis
vigiliis sufficias. Scopum attigi-
sti. Curas autem valetudinem, ne
fias deformior, ne libidini non
sufficias, à Christo excidisti, alium
Deum tibi facieus. Sunt qui cer-
tos

tos divos certis quibusdam colunt ^{tus dive-}
 cæremoniis. Alius Christopho-^{rum.}
 rum singulis salutat diebus, sed
 non nisi conspecta eius imagine,
 quo tandem spectans? Nempe huc,
 quod sibi persuaserit, se se eo die à
 mala morte tutum fore. Alius
 Rochum quendam adorat, sed
 cur? Quod illum credat pestem à
 corpore depellere. Alius Barbaræ,
 aut Georgio certas preculas ad-
 murmurat, ne in manus hostium
 veniat. Hic ieunat Apolloniæ, ne
 doleant dentes. Ille visit divi Job
 simulachra, ut scabie careat. Non-
 nulli de lucro certam portionem
 pauperibus nuncupant, ne merces
 naufragio intercidant. Hieroni-
 cereolus acceditur, ut res quæ
 periit recipiatur. In summa ad
 hunc modum, quot res sunt quas
 vel timemus vel cupimus, totidem
 iis divos præfecimus: qui & ipsi
 diversis nationibus diversi sunt, ut
 id apud Gallos valeat Paulus,
 quod apud nostrates Hieron, ne-
 que passim id valeat Iacobus aut

G 5 Ioan-

Ioannes, quod illo atque illo loco. Quæ quidem pietas, nisi à respectu commodorum atque incommodorum corporalium ad Christum referatur, adeo Christiana non est, ut non ita multum
Dii auxiliares & tutelares. absit à superstitione eorum, qui quondam Herculi decimam bonorum partem vovebant, ut dicescerent, aut Aesculapio gallum, ut à morbo revalescerent, aut qui Neptuno taurum cædebant, ut feliciter navigarent. Nomina quidem commutata sunt, sed finis utrisque communis. Oras Deum, ne tibi mors accidat præmatura, & non oras potius, ut tibi mentem meliorem largiatur, ut quocunque loco te mors oppresserit, non offendat imparatum. Tu non cogitas de mutanda vita, & Deum rogas ne moriaris. Quid igitur oras? nimirum ut quam diutissime pecces. Oras divitias, & nescis uti divitiis: nonne tuam ipsius perniciem oras? oras bonam valetudinem, & abuteris sanitatem, nonne peccas?

pietas tua impia est? Reclamabitur
hoc loco protinus à quibusdam
religiosulis, qui quæstum existi-
mant pietatem, & ut idem ait, per
dulces quasdam benedictiones se-
ducunt corda innocentium, ven-
tri suo servientes, non Iesu Chri-
sto. Ergone, inquiet, tu vetas
cultum sanctorum, in quibus Deus
honoratur? Ego vero non tam da-
mno eos, qui hæc simplici quadam
superstitione faciunt, quam qui e-
molumentum suum secuti, ea quæ
tolerabilia fortasse sunt pro sum-
ma & absoluta pietate efferunt, &
suo commodo fovent imperitiam
plebis, quam ne ego quidem o-
mnino contemno, verum non fe-
ram, ut media pro summis, mini-
ma pro maximis habeant. Lauda-
bo quod à Rocho suo petant in-
columem vitam, si eam vitam con-
secent Christo. Magis autem lau-
dabo, si nihil aliud orent quam ut
cum odio vitiorum augeatur amor
virtutum. De moriendo ac viven-
do Deo in manum dent, dicant-

que cum Paulo: Sive vivimus, sive morimur, domino vivimus ac morimur. Perfectum erit, si dissolvi cupiant, & esse cum Christo, si in morbis, damnis, reliquisque fortunæ incommodis gloriam & gaudium suum constituant, quod digni habeantur, qui vel hoc modo capiti suo conformatur. Ergo non tam reprehendendum istiusmodi facere, quam perniciosum in eis consistere atque inniti. Tollerò infirmitatem, sed cum Paulo viam demonstro excellentiorem. Ad hanc regulam si studia & actus omnes tuos excusseris, neque usquam constiteris in mediis, donec perveneris usque ad Christum, nec aberrabis unquam à via, neque rem ullam in vita aut facies, aut patieris, quæ tibi non vertatur in materiam pietatis.

Canon.

Canon quintus.

ADAMUS & quintam regu-^{perfecta}
lam huic quasi subsidiariam, ^{pietas.}
ut in hoc uno constituas perfe-
ctam pietatem, si coneris semper à
rebus visibilibus, quæ fere vel im-
perfectæ, vel mediæ sunt, ad invi-
sibilia proficere, iuxta superiorem
hominis divisionem. Hoc præce-
ptum adeo ad rem pertinet, ut eius
sive neglectu, sive infiditia, plerique
Christiani pro piis sint supersti-
tiosi, & præter cognomen Chri-
sti, non admodum absint à super-
stitione gentilium. Duos igitur
quosdam mundos imaginemur,
alterum intelligibilem tantum,
alterum visibilem. Intelligibilem,
quem & angelicum licebit appelle-
lare, in quo Deus cum beatis mén-
tibus: Visibilem, cœlestes spheras,
& quod in his includitur. Tum
hominem veluti tertium quen-
dam mundum utriusque partici-
pem, visibilis secundum corpus, in-
visibilis secundum animam. In
mundo

mundo visibili quoniam peregrini sumus, nusquam oportet conquiescere, sed quicquid occurrit sensibus id apta quadam collatione, vel ad mundum angelicum, vel (quod est utilius) ad mores, & ad illi respondentem hominis partem, referre. Quod sol hic in mundo visibili, id divina mens in mundo intelligibili, & in ei cognata tui parte, puta spiritu. Quod illic luna, hoc in illo coetus angelorum, & animarumpiarum, quam vocant ecclesiam triumphantem, hoc & in te spiritus. Quicquid agit mundus superior in sibi subiectam terram, hoc agit Deus in tuam animam. Occidit sol, oritur, æstuat, temperatur, vivificat, producit, maturat, attrahit, extenuat, purgat, durat, emollit, illustrat, serenat, exhilarat. Ergo quicquid in eo vides, quicquid in hoc crassiore mundo, qui constat ex elementis, quem nonnulli à reliquis distinxerent: denique quicquid in crassiore tui parte, id asuescas ad Deum, atque

*Sol mens
divina.*

que invisiabilem tui portionem referre. Ita fiet, ut quicquid usquam sese sensibus obiecerit, id tibi fiat occasio pietatis. Cum delectat oculos corporeos, quoties sol hic visibilis novo lumine sese terris infundit, tu protinus cogita, quæ sit illa voluptas cœlitum, quibus æternus ille sol semper oritur, nec unquam occidit: quantum illud gaudium puræ mentis, cui divinum lumen irradiat. Atque admonente creatura visibili, ora verbis Paulinis, ut qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse elucescat in corde tuo, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Repete consimiles locos è sacris libris, in quibus passim gratia spiritus divini, Lumen gratia Dei dicitur.

lumini comparatur. Tristis tibi nox ac tetra videtur. Animam cogita divino lumine destitutam, ac noctis myticæ perpicio. yitiis caliganteam. Et si quid noctis intra te deprehenderis, ora ut tibi exoriatur sol iustitiae. Sic autem existima, adeo non esse nullas res

res invisibiles, ut eæ quæ videntur, præ illis vix umbræ quædam sint, tenuem modo quandam imaginem illarum oculis repræsentantes. Proinde quicquid in corporeis rebus sensus, aut appetunt, aut horrent, idem conveniet in internis spiritum longe magis amare, aut odisse. Arridet oculis decora species corporis. Cogita quam honesta res sit species animæ. Insuave quiddam videtur, deformis vultus. Memento quam odiosa res sit, mens vitiis deturpata. Atque idem de reliquis facito : est enim animæ, ut sua quædam venustas, aut deformitas, qua vicissim Deo placet ac diabolo, similis simili: ita est illi & sua quædam iuventa, senecta, morbus, sanitas, mors, vita, paupertas, opulentia, voluptas, dolor, bellum, pax, frigus, calor, sitis, potus, fames, cibus: breviter quicquid sentitur in corpore, id intelligendum est in anima. Ergo in hoc est, iter ad vitam spiritualem ac perfectam, si sensim affue-

assuescamus abduci ab iis, quæ vere non sunt, sed patti apparent esse quod non sunt, ut voluptas turpis, honor mundi, partim ^{Turpis} voluptas, fluunt, atque in nihilum redire festinant, rapiamurque ad illa quæ vere sunt æterna, incommutabilia, syncera. Id quod vidit & Socrates, vir non tam lingua, quam vita philosophus: ait enim ita demuin animam feliciter emigrare è corpore, si prius per philosophiā mortem fuerit diligenter meditata, & multo ante per rerum corporalium contemptum, & spiritualium amorem ac contemplationem assueverit tanquam à corpore abesse. Neque aliud est crux illa, ad ^{Crux} quid. quid nos vocavit Christus, neque aliud mors, qua nos capiti com- ^{Quid.} mors. mori vult Paulus, quemadmodum dicit & propheta. Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis: & quod aliis verbis scribit Apostolus: Quæ sursum sunt quærit, non quæ super terram, quæ rur-

sursum sunt sapite: quam ut ad res corporeas obstupescamus, & tanquam insensibiles reddamur, ut tanto magis sapiamus in his quæ sunt spiritus, quanto magis in illis despuerimus. Tanto verius intus incipiamus vivere, quanto minus vixerimus foris. Denique ut dicam planius, eo minus nos moveant res caducæ, quo magis cognitæ fuerint æternæ: hoc minus miremur umbraticas, quo magis suspicere cœperimus veras. Ergo hæc regula semper ad manum habenda, necubi in rebus temporariis restitemus, sed inde veluti gradu facto ad spiritualium amorem, adhibita collatione, assurgamus, aut præ his quæ sunt invisibilia, id quod est visibile, contemnere incipiamus. Tolerabilius erit morbus corporis, si cogitaris eum remedium esse animæ. Minus eris sollicitus de valetudine corporis, si totam curam ad tuendam animi valetudinem converteris. Terret temors corporis, multo magis for-

formidanda mors animæ. Horres
venenum visibile, quod perniciem
adfert corpori: longe magis hor-
rendum virus, quod interimit ani-
mam. Cicuta venenum corporis,
at multo præsentius venenum a-
nimæ voluptas. Horrescis, exal-
bescis, metuens, ne te feriat ful-
men, quod è nubibus emicat: &
quanto magis formidandum, ne
veniat in te fulmen invisible iræ
divinæ: Ite maledicti in ignem æ-
ternum? Rapit te venustas corpo-
ris, cur non magis ardes eam spe-
ciem quæ latet? In eam transfer
amorem tuum quæ perpetua est,
quæ cœlestis, quæ incorrupta, &
moderatius amabis formam cadu-
cam & fugacem corporis. Oras ut
compluatur ager ne sitiat, magis
ora, ut Deus compluat mentem
tuam, ne à virtutum fruge sterile-
scat. Magna cura resarcis dispen-
dium rei pecuniariæ, maxima cura
resarcienda iactura mentis. Pro-
spicis in senectam, ne quid desit
corpori, & non consulendum, ne
quid

quid desit animo? Atque hoc quidem faciendum in his rebus, quæ quotidie sunt obviæ sensibus nostris, atque eos pro varietate speciei, varie afficiunt, spe, metu, amore, odio, dolore, voluptate. Idem

„observandum in omnibus literis quæ ex simplici sensu & mysterio, tanquam corpore atque animo constant, ut contempta litera, ad

Mysteriū in Iteris omnibus speatur. mysterium potissimum spectes: cuiusmodi sunt literæ poëtarum omnium, & ex philosophis Platonicorum: maxime vero scripturæ divinæ, quæ fere Silenis illis Alcibiadeis similes, sub tectorio sordido ac pene ridiculo, merum numen claudunt. Alio qui si sine allegoria legeris, Adæ simulachrum de argilla uda formatū, eique inspiratam animam, Evam de costa subductam, interdictum ne de ligno ederent: serpentem suasorem, Deum inambulantem ad auram, consciens latitantes: angelum cum romphæa versatili foribus paradi si additum, ne electis pateret redditus,

bisup

tus, breviter totam orbis conditi historiam, si nihil ultra superficiem quæsieris, non video quid ita multo magis operæ pretium sis facturus, quam si cantaveris luteum simulachrum Promethei, ignem dolo subductum, eum simulachro inditum, lurum animasse. Immo fortasse plusculo fructu legetur fabula poëtica cum allegoria, quam narratio sacrorum librorū, si consistas in cortice. Si te legentem admonet fabula gigantum, non esse pugnandum cum superis, aut abstinentum esse ab iis studiis, à quibus natura abhorret, adiiciendum animum ad ea (modo honesta sint) ad quæ natura propensior es, uti ne coniugio te impediās, si tuis moribus cœlibatus magis convenit: rursum, ne cœlibatui te addicas, si coniugio videris utilior: fere enim infeliciter evenire, quæ tentes invita Minerva. Si te Circes pocula docent, homines voluptatibus tanquam beneficiis dementari, vertique prorsus ex hominibus

Gigantū
fabula.

bus in pecudes. Si Tantalus sitiens, miserrimum esse, opibus congestis inhiantem, uti non audere. Si Sisyphi saxum, laboriosam, & miseram esse ambitionem. Si Herculis labores admonent, honestis studiis, & industria infatigata parari cœlum: nonne hoc discis in fabula, quod præcipiunt Philosophi, & Theologi vitæ magistri? At si citra allegoriam legeris, infantes in utero colluctantes, vendita pulmento primogenita, benedictionem patris dolo præceptam, Goliad funda David ictum, Sampsoni derasum capillum, non ita magni refert, quam si poëticum legas figmentum. Quid interest, regum aut iudicium libros legas, an Livianam historiam, modo in neutra species allegoriam? Nam in illa multa insunt, quæ mores communes emendent; in hac nonnulla etiam absurdâ in speciem, & quæ summa cute intellecta, moribus officiant: veluti latrocinium David: adulterium homicidio

*Citra al-
legoriam
sterilis est
scriptura.*

*In literis
sacris nō
nulla etiā
absurda
in specie.*

micidio emptum : Sampson perditæ amans, furtivus filiarum cum Loth concubitus , atque id genus alia mille. Proinde ubique contempta carne scripturæ , maxime veteris testamenti , spiritus mysticum rimari conveniet. Hoc tibi sapiet Manna, quod palato tecum attuleris. Sed in eruendis mysteriis non oportet animi tui conjecturas sequi , verum cognoscenda ratio, & velut ars quædam , quam tradit Dionysius quidam in libro de divinis nominibus, & divus Augustinus in opere de doctrina Christiana. Paulus autem Apostolus post Christum fontes quosdam aperuit allegoriarum, quem secutus Origenes, in hac parte Theologiae facile principatum obtinet. Eam vero nostri Theologi , aut aspernantur fere, aut oppido quam frigide tractant, in acumine differendi veteribus vel pares, vel superiores , in huius munera tractatione ne conferendi quidem cum istis. Idque duabus potissimum (ut coniicio)

Arte my-
steria
tractāda.

168 MILITIS CHRIST.
coniicio) de causis. Altera quod non potest non frigere mysterium, quod non eloquentiæ viribus, ac dicendi lepore quodam conditatur, qua iure præcelluerunt veteres, nos ne attingimus quidē. Altera, quod uno Aristotele contenti, Platonicos & Pythagoricos accent à ludis. At hos posteriores præfert Augustinus, non solum quod plerasque sententias habent admodum consentaneas nostrę religioni, verum etiam quod ipsum dictionis genus figuratum, ut diximus, & allegoriis frequens, proprius accedit ad sermonem sacræ scripturæ. Non igitur mirum si commodius tractaverunt allegorias Theologicas, qui dicendi copia rem quamlibet, etiam ieunam ac frigidam locupletare & constire poterant, tum qui omnis antiquitatis doctissimi, quod in mysteriis divinis erat faciendum, id fuerant olim in poëtis & Platonicas libris meditati. Horum igitur commentationes te malo evolvere,

Veteres
ob elo-
quentiā
commo-
de tracta-
runt alle-
goriam.

re, utpote qui non ad scholasticam concertationem, sed ad bonam mentem te instituam. Quod si non assequeris mysterium, memineris tamen subesse, quod quidem vel incognitum sperare præstabilius est, quam in litera occidente conquiescere. Neque id modo in veteri testamento, verum etiam in novo. Habet Euangelium carnem suam, habet & spiritum. Nam et iamsi detractum est velum à facie Moysi, tamen adhuc Paulus videt spiritum. per speculum & in ænigmate. Et ut apud Ioannem ipse dixit Christus: Caro non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat. Mihi quidem religio fuisset dicere non prodest quicquam, satis fuerat futurum, caro non nihil prodest, sed multo amplius spiritus: nunc ipsa dixit veritas, non prodest quicquam. Adeoque non prodest, ut iuxta Paulum mortifera sit, nisi ad spiritum referatur. Alioqui vel hoc utilis est caro, quod infirmitatem quasi gradibus quibusdam dicit

Euange-
liū habet
suam car-
nem &
spiritum.

H ad

170 MILITIS CHRIST.
ad spiritum. Corpus sine spiritu
non potest subsistere, spiritus cor-
pore nihil eget. Quod si Christo
auctore tanta res est spiritus, ut so-
la vivificet, huc tendendum, ut in
omnibus literis, omnibus actibus
spiritum respiciamus non carnem.
Et si quis observaverit, animadver-
tet hoc unum esse, quo nos vocant
inter prophetas præcipuus Esaias,
inter Apostolos Paulus, qui nulla
pene epistola non hoc agit, non
inculcat, nihil fidendum esse car-
ni, in spiritu esse vitam, liberta-
tem, lumen, adoptionem, & fru-
ctus illos optabiles, quos enumera-
rat. Carnem ubique contemnit,
damnat, dissuadet. Attende, &
deprehendes passim hoc idem a-
gere preceptorem nostrum Iesum,
dum in tollendo de puteo asino,
in illuminando cæco, in confri-
candis aristis, in non lotis mani-
bus, in conviviis peccatorum, in
parabola pharisæi & publicani, in
ieiuniis, in fratribus secundum
carnem, in gloria Iudæorum, quod
essent

essent filii Abrahæ , in muneribus offerendis , in precationibus , in phylacteriis dilatatis, multisque similibus locis , contemnit carnem legis & superstitionem eorum, qui malebant esse Iudæi in manifesto, quam in occulto . Et cum dicit mulierculæ Samaritanæ : Mulier, crède mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Sed venit hora , & nunc est, cum veri adoratores adorabunt patrē in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus , & eos qui adorant eum , in spiritu & veritate oportet adorare. Idem factō significavit, cum in nuptiis aquam frigidæ & insipidæ literæ vertit in vīnum spiritus, ad vitæ contemptum animas inebrians spiritales. Et ne magnum putas, quod ista contempsit Christus, quæ modo commemoravimus. Imo contempsit & carnis suæ manducationem , & sanguinis potum , nisi & spiritualiter

ter edatur atque bibatur. Quibus enim putas ista locutus est, Caro non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat? Nempe non iis, qui Euangelio de collo suspenso, aut cruce ærea, se tutos ab omni malo putant, idque perfectam religionem existimant, sed quibus summum mysterium, de sumendo corpore sua aperuerat. Si res tanta nihil est, imo si perniciosa, quid est cur ullis aliis rebus carnalibus fidamus nisi adsit spiritus. Tu forte quotidie sacrificas, & tibi vivis, neque ad te pertinent incommoda proximi tui: adhuc in carne es sacramenti. Verum si sacrificans das operam id esse, quod illa sumptio significat puta idem spiritus cum spiritu Christi, idem corpus cum corpore Christi, vivum membrum Ecclesiæ. Si nihil amas nisi in Christo, si omnia tua bona putas omnibus esse communia, si omnium incomoda tibi perinde ut tua dolent, ita demum magno fructu sacrificas, nempe quia spiritualiter.

Quid spi-
ritualiter
sumere
corpus
Christi.

Si

Si te sentis in Christum quodammodo transfigurari, & iam minus minusque in te ipso vivere, spiritui gratias age, qui solus vivificat. Multi quot quoque die sacris adfuerint numerare solent, atque hac re tanquam maxima freti, quasi iam nihil præterea debeant Christo, ita templis egressi, ad pristinos mores redeunt. Quod carnem pietatis amplectuntur, laudo: quod illic consistunt, non laudo: peragatur in te, quod illic oculis repræsentatur: repræsentatur mors capitum. Excute te intus in finu, quod aiunt, quam prope tu mortuus mundo. Quod si te totum adhuc possident, ira, ambitio, cupiditas, voluptas, invidia, etiam si contingas altare, procul tamē abes à sacro. Occisus est pro te Christus: macta & tu pecudes istas. Sacrifica temetipsum illi, qui pro te semet immolavit patri. Hæc si ne cogitas quidem, & in illo confidis, odit Deus pingue tuam & crassam religionem. Baptizatus es,

174 M I L I T I S C H R I S T.
ne protinus te Christianum putas:
mens tota nihil nisi mundum sa-
pit: in manifesto Christianus es, in
occulto gentili gentilior. Cur ita?
quia corpus sacramenti tenes, spi-
ritu vacas: ablutum est corpus,
quid refert, dum animus manet
inquinatus? Sale contacta est caro,
quid tum, si insulsus manet ani-
mus? Unctum est corpus, at inun-
ctus animus. Sin consepultus es
Christo intus, & iam cum eo in no-
vitate vitæ meditaris ambulare, a-
gnosco Christianum. Aspergesis
aqua cō-
secratæ,

Cōta&us
reliquia-
rum.

Divorum
cultus.

aqua
consecrata, quorsum atti-
net, modo tu intēnas fôrdes non
abstergas ab animo? Veneraris di-
vos, gaudes eorum reliquias con-
tingere. Sed contemnis, quod illi
reliquerunt optimum, puta vitæ
puræ exempla. Nullus cultus gra-
tior Mariæ, quam si Mariæ humi-
litatem imiteris: nulla religio san-
ctis acceptior, magisque propria,
quam si virtutem illorum exprime-
re labores. Vis tibi demereri Pe-
trum aut Paulum? alterius fidem,

alte-

alterius imitare charitatem, & plus feceris, quam si decies Romā curfitaris. Vis summo honore Franciscum afficere? elatus es, admirator pecuniæ es, contentiosus es: largire hoc divo: compesce animos, & exemplo Francisci, esto modestior, contemne sordidum lucrum, & inhia bonis animi. Remitte contentionem, & vince in bono malum. Istum honorem pluris faciet divus ille, quam si centum illi cereos accenderis. Magnū quiddam putas, si Francisci cucullo obvolutus, sepulchro inferaris. Nihil proderit vestis similis mortuo tibi, si mores fuerunt dissimiles vivo. Et quanquam universæ pietatis exemplar à Christo commodissime petitur, tamen Christi cultus in sanctis eius te impendio delestat, Christum facito in sanctis imiteris, & ad singulorum honorem, singula vitia mutare, aut singulas virtutes amplecti stude. Hoc si accesserit, iam & illa quæ foris fiunt, non improbabο. Sum-

ma veneratione complectaris cineres Pauli, non damno, si sibi constat tua religio. Si veneraris cinerem mutum & mortuum, & vivam illius imaginem adhuc loquentem, actanquam spirantem, quæ in illius literis supereft, negligis, nonne præpostera est tua religio? Adoras ossa Pauli in loculis condita, non adoras mentem Pauli, in scriptis latentem? Magni facis fragmentum corporis per vitrum perspicuum, & non miraris totum animum Pauli per literas pellucentē? Cineres colis, ad quos nonnunquam vitia tolluntur corporum: cur non literas magis, quibus vitia sanantur animarum? Signa ista mirentur infideles, quibus data sunt: tu fidelis libros illius amplectere, ut qui non diffidis Deum omnia posse, discas illum super omnia diligere. Honoras imaginem vultus CHRISTI saxon, lignove deformatam, aut fusatam coloribus, multo religiosius honoranda mentis illius imago,

quæ

Expre-
fissima
Christi
imago in
Euange-
lio.

quæ spiritus sancti artificio expressa est literis Euangelicis. Nullus Apelles sic effingit penicillo linea-menta figuramque corporis , ut in oratione cuiusque relucet imago mentis, præsertim in Christo , qui cum esset summa simplicitas veritasque , nihil omnino poterat esse dissimilitudinis inter archetypum divini pectoris , & inde ductam imaginem sermonis. Ut nihil pa-tri similius, quam filius, patris verbum , ex intimo illius corde pro-manans: ita Christo nihil similius, quam Christi verbum de pectoris illius sanctissimi adytis redditum. Et hanc imaginem non miraris, non adoras, non oculis piis collu-stras, nō animo amplecteris ? Tam sanctas, tam efficaces habes domini tui reliquias , & his neglectis, multo quæris alieniora? Attonitus spectas tunicam aut sudariū quod fertur Christi, & somniculosus le-gis oracula Christi? Maximo maius esse credis , quod crucis portiu-nulam domi possides. At illud ni-

H . 5 .

hil

hil est præ illo, si mysterium crucis
in pectore conditum gestes. Alio-
qui si ista faciunt religiosum, quid
religiosius Iudæis, quorum impiissi-
fimi plerique Iesum tamen in car-
ne viventem oculis viderunt, auribus
audierunt, manibus contreb-
tarunt: quid Iuda felicius, qui
ore os divinum pressit? Adeo sine
spiritu non prodest caro quicquā,
ut ne virginī quidem matri pro-
futurum fuerit, quod eum de sua
carne genuit, nisi & spiritu spiri-
tum illius concepisset. Maximum
hoc, sed audi maius. Apostoli do-
nec corporeo Christi contubernio
fruerentur, nonne legis quam fue-
rint imbecilles, quam pingue
quiddam adhuc sapuerint? Quis
aliud ad absolutam salutem desi-
deraret, quam tam diuturnum Dei
atque hominis convictum? Et ta-
men post ædita miracula, post tot
annis exhibitam divini oris do-
ctrinam, post argumenta refusci-
tati, nonne suprema hora, iam re-
cipiendus in cœlum, exprobrat
cis

Apostoli
Christo
præsente
semper
vacilla-
bat fide.

eis incredulitatem illorum? Quid igitur in causa? Nempe obstabat caro Christi, atque inde est, quod ille dicit: Nisi ego abiero, paracletus non veniet. Expedit vobis ut ego vadam. Christi corporea præsentia inutilis ad salutem, & in illa præterea re corporali audebimus perfectam pietatem statuere? Paulus viderat Christum in carne. Quid hoc maius esse putas? At ille contemnit: dicens. Etsi Christum, inquit, novimus secundum carnem, sed iam nunc non novimus. Quare non noverat? Quia proficerat ad meliora charismata spiritus. Verbosius forte hæc dispergo, quam conveniat ei, qui regulas tradit: verum ideo facio accuratius, neque sine gravi causa, quod re ipsa compertum habeam hunc errorem communem esse pestem totius Christianismi, quæ vel hoc graviorem perniciem adfert, quod specie quidem pietati proxima est. Nulla enim periculosiora vitia, quam quæ virtutem imitantur.

H 6

Nam

Nam præterquam quod bonis etiam lubricus in ea lapsus est, nulli difficultius corriguntur, propterea quod vulgus imperitum religionem violari credit, dum istiusmodi reprehenduntur. Reclamet illico mundus, & oblatrent clamosi quidam concionatores, qui ista libenter intus canunt, videlicet non ad Christum, sed ad suum compendium respicientes: ob quorum vel imperitam superstitionem, vel fastidiam pietatem, saepius mihi testandum est, me nequaquam taxare corporales cæremonias Christianorum, & studia simplicium, præfertim ea quæ Ecclesiastica comprobavit auctoritas: sunt enim nonnunquam tum indicia, tum adminicula pietatis. Quæ quoniam fere necessaria sunt infantibus in Christo, donec grandescant & occurrant in virum perfectum, tamen ne à perfectis quidem convenit fastidiri, ne exemplo lædantur infirmi. Quod facis probo, si modo finis vitiosus non sit, tum si ibi

*Perfechi
non fasti-
diant cæ-
remo-
rias.*

ibi non figis metam, unde gradum factum oportebat ad saluti propria. Verum Christum visibilibus rebus, ob visibilia colere, & in his fastigium religionis ponere, hinc sibi placere, hinc alios damnare, his instupescere; atque adeo immori, & (ut semel dicam) his ipsis à Christo avocari, quæ ad hoc tantum adhibentur, ut ad eum conductant, hoc est, nimirum à lege Euangeli quæ spiritualis est, desciscere, & in Iudaismum quendam recidere, neque minus forte periculosem, quam sine hac superstitione, magnis & apertis animi vitiis laborare. Capitalior hic quidem morbus esto, sed ille insanabilius. Quantum ubique sudavit præcipuus ille spiritus assertor Paulus, ut Iudeos à fiducia operum abductos, ad ea quæ sunt spiritualia promoteat. Atque hoc denuo vulgus Christianorum video revolutum. Quid autem dixi vulgus? Ferendum hoc, nisi & sacerdotum & doctorum bonam partem, denique

Ne fistas
in cere-
moniis,

nique greges eorum , qui spiritalem vitam vocabulo & cultu profitentur , pene totos hic error occupasset . Si sal infatuatum est , unde salientur cæteri ? Pudet me referre , quanta superstitione plerique istorum observent cæremoniolas quasdam ab homunculis , non tam men hoc animo iustitutas , quanto odio easdem ab aliis flagitent , quanta securitate his fidant , quanta temeritate alios iudicent , quanta contentione tueantur . His factis suis cœlum deberi putant , in quibus si quando occaluerint , iam Pauli atque Antonii sibi videntur . Incipiunt magno supercilio alienæ vitæ censuram exercere ad imperitorum (ut ait Comicus) regulam illam , ut nihil nisi quod faciunt ipsis , rectum putent . Cæterum ubi in suo instituto consenserunt , videbis eos nihil adhuc Christi saepare , sed animales , ac tristibus quibusdam vitiis madentes , in convictu morosos , ac vix etiam sibi tolerabiles , charitate frigidos , ira fervi-

*Supersti-
tioſi.*

*Vitia ex-
remonio-
forum.*

fervidos, odio pertinaces, lingua virulentos, in exercendis simultibus invictos, pro re quavis nihili depugnare paratos, adeoque alienos à perfectione Christi, ut ne communibus quidem virtutibus sint prædicti, quas etiam ethnicis, vel ratio natura insita, vel usus vi-tæ, vel philosophorum præcepta parant: indociles, intractabiles, rixosos, voluptatum avidos, ad verba divina nauseabundos, nulli commodos, de aliis male suspica-ces, sibi blandientes. Huccine tot annorum laboribus denique per-ventum est, ut pessimus sis, & optimus tibi videare, ut pro Christiano sis Iudæus, mutis tantum ele-mentis serviens, ut gloriam habeas non in occulto apud Deum, sed in manifesto apud homines? Quod si in spiritu ambulasti, non in carne, ubi fructus spiritus? ubi charitas? ubi gaudium illud animi? ubi pax erga omnes? ubi patientia? longa-nimitas, bonitas, benignitas, man-suetudo, fides, modestia, continen-tia,

tia, castitas, ubi Christi imago in
tuis moribus? Non sum, inquis,
scortator, non fur, non sacrilegus,
Hypocri-
fis reli-
giosorū. & observo quæ sum professus. At
quid est hoc aliud, quam non sum
sicut cæteri homines, raptores, adulteri, & iejuno bis in sabbato?
Malo ad malo publicanū humilē,
& misericordiā implorantē, quam
istud iustorum genus, sua benefacta
commemorantium. Quid autem
professus es, an ne faceres
quod olim in baptismo iurasti, te
Christianum, hoc est, spiritualem,
non Iudæum futurum? Quippe
qui propter traditiunculas hominum
transgrederis mandata Dei.

Christia-
nismus
quid. An non Christianismus est vita spiritualis? Audi Paulum Romanis loquentem: Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, quæ infirmabatur per carnem, Deus filium suum mit-

mittens in similitudinem carnis
 peccati, & de peccato damnavit
 peccatum in carne, ut iustificatio
 legis impleretur in nobis, qui non
 secundum carnem ambulamus, sed
 secundum spiritum. Qui enim in
 carne sunt, quæ carnis sunt sa-
 piunt: qui vero in spiritu sunt, quæ
 spiritus sunt sentiunt. Nam pru-
 dentia carnis, mors est: prudentia
 autem spiritus, vita & pax. Quo-
 niam sapientia carnis, inimica est
 Deo: legi enim Dei non est subie-
 ñta, nec enim potest. Qui autem ^{Theolo-}
 in carne sunt, Deo placere non ^{gorum}
 possunt. Quid dici poterat ple-
 nius? quid apertius? Verum hæc
 nihil ad se pertinere putant homi-
 nes ad suis blandiendum vitiis ar-
 guti, ad aliena carpenda præcipi-
 tes, & quod Paulus dixit de secun-
 dum carnem ambulando, in adul-
 teros modo & scortatores refe-
 runt, quod de sapientia carnis, quæ
 inimica est Deo, in eos detorquēt,
 qui literaturam secularem (quam
 vocant) didicerunt. In utroque
fibi

fibi plaudunt, quod neque adulteri sunt, & omnium literarum egregie indocti. Cæterum in spiritu vivere, nihil aliud esse somniant, quam facere scilicet quod faciunt ipsi: qui si linguam Paulinam tam diligenter observassent, quam fortiter contemnunt Ciceronianam, intelligerent nimirum Apostolum vocare carnem, id quod visibile est, spiritum quod invisibile. Docet autem ubique visibilia oportere servire invisibilibus, non contra invisibilia visilibus. Tu præpostere ad ista Christum accommodas, quæ conveniebat ad Christum applicari. An testimonium flagitas, carnis vocabulum, non tantum ad libidinem aut luxum pertinere? Accipe quod idem Apostolus hoc ipsum quod semper agens, scribit Colossensibus: Nemo vos seducat volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, id est, Christum,

ex

ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones sumministratum & constructum , crescit in augmentum Dei. Et ne quid dubites eum loqui de iis , qui cæremoniis quibusdam corporalibus freti , aliorum spiritualibus obstrepunt studiis. Attende quod sequitur : Si ergo mortui estis cum Christo , ab elementis huius mundi , quid adhuc tanquam viventes mundo decernitis ? Ab his igitur nos avocans paulo post: Igitur , inquit , si consurrexisti cum Christo , quæ sunt sursum quærite , ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite , non quæ super terram. Deinde spiritualis vitæ præcepta tradens , quid tandem monet? Num ut his aut his cæremoniis utamur? num ut sic vestiamur? ut his aut his cibis viciitemus? ut tantum psalmorum exauriamus? nihil horum. Quid igitur? Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscen-

Spiritualis
vitæ præ-
cepta.

piscitiam malam, & avaritiam,
quæ est idolorum servitus. Ac pau-
lo post: Nunc autem deponite &
vos omnia, iram, indignationem,
malitiam. Paulusque inferius: Ex-
poliantes vos veterem hominem
cum actibus suis, & induentes no-
vum, eum qui renovatur in agni-
tionem Dei, secundum imaginem
eius qui creavit eum. Quis est au-
tem vetus homo? nempe Adam
ille de terra terrenus, cuius con-
versatio est in terra, non in cœlis.
Terram intellige, quicquid visibi-
le, eoque temporarium. Quis no-
vus homo? nempe de cœlo cœle-
stis. Cœlum accipe, quicquid in-
visibile, eoque æternum. Postremo
ne Iudaico more certis quibusdam
observationibus tanquam magicis
cæremoniis Deum demereri veli-
mus, docet eatenus opera nostra
grata esse Deo, quatenus ad chari-
tatem referuntur, indidem profe-
cta. Super omnia autem hæc, in-
quiens, charitatem habete, quod
est vinculum perfectionis. Et pax

Dei

vetus
homo.

Dei Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore. Dabo argumentum evidenter. Ad Galatas scribens, saepe carnem, saepe spiritum nominat, quos non tantum à libidine vocat ad castimoniam, sed à Iudaismo & operum fiducia, in quam erant à pseudapostolis inducti, conatur retrahere. Hic igitur opera carnis recensens, vide quæ vitia commemeret. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, beneficia, inimicitiae, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comedationes, & his similia. Neque multo post: Si spiritu vivimus, spiritu ambulemus. Deinde quasi pestem spiritui infestam indicans, addit: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. De fructibus arbor cognoscitur. Quod vigilias, quod ieiunia, quod silentia, quod

pestis
spiritui
infesta.

quod preculas, quod reliquias id genus observationes non præteris, nihil moror. In spiritu non credam esse, nisi videro fructus spiritus. In carne esse cur non affirmem, cum post secularem pene istarum rerum exercitationem adhuc in te deprehendam opera carnis? Invidentiam plus quam mulieribrem, iracundiam & ferocitatem militarem, rixandi nunquam satiatam libidinem, rabiosam male-dicentiam, vipereum linguæ ob-trectatricis venenum, animum tu-midum, cervicem præfractam, lu-bricam fidem, vanitatem, fictio-nem, assentationem? Tu fratrem in cibo aut potu, cultuve iudicas. At Paulus te iudicat ex factis tuis. An hoc te à carnalibus mundanis separat, quod tu levioribus qui-dem in rebus, sed iisdem tamen vitiis laboras? Num turpior est, qui ob hæreditatem interceptam, ob vitiatam filiam, ob læsum pa-rentem, ob magistratum, ob prin-cipis gratiam, iras, inimicitias, æ-mula-

mulationes suscipit, quam tu qui pudet dicere quam de nihilo multo hæc omnia facis acerbius? Causa peccandi levior non elevat crimen, sed exaggerat. Neque refert in quanto pecces, modo pari affectu. Imo refert adeo, hoc enim quisque sceleratior est, quo minore momento ab honesto abducitur. Non ego nunc loquor de iis monachis, quorum mores & mundus detestatur, sed de his quos vulgus miratur, non ut homines, sed ut angelos. Quos ipsos tamen offendit non oportet hoc sermone, qui vitia notat, non homines. Quod si boni viri sunt, gaudeant etiam à quocunque admoneri in his quæ ad salutem pertinent. Neque clam me est, inter eos esse plurimos, qui literis & ingenio adiuti, spiritus mysteria degustarunt. Sed (quod ait Livius) fere sit ut maior pars vincat meliorem. Cæterum si verum fateri fas est, non ne videmus arctissimum quodque monachorum genus fastigium religio-

ligionis aut in cæremoniis , aut in certa lege psalmorum , aut in corporum labore ponere ? Quos si quis excutiat , atque de spiritualibus percontetur, vix per paucos invenerit , qui non in carne ambulent. Et hinc ista tanta animorum infirmitas illic trepidantium , ubi timor non est, illic oscitantium ubi summum est periculum. Hinc illa perpetua in Christo infantia, ut ne quid dicam gravius, quod præposteri rerum æstimatores, ea facimus plurimi, quæ sola nihili sunt, iis neglectis , quæ sola sufficiunt, semper sub pædagogis agentes, semper sub iugo : nec unquam ad libertatē spiritus aspirantes, nunquam ad amplitudinem charitatis crescentes: cum clamet Paulus ad Galatas : State & nolite iterum iugo servitutis contineri. Atque alio loco : Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo , ut ex fide iustificemur. At ubi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem,

dem, quæ est in Christo Iesu. Neque multo inferius: Itanos, cum essemus parvuli, sub clementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: Abba pater. Itaque iam non est servus, sed filius. Iterum alibi: Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quod si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Rursum ad Rom. Non enim accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba pater. Eodem pertinet & illud quod Timotheo

I. motheo

motheo scribens: Exerce autem, inquit, te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicū utilis est, pietas ad omnia est utilis. Et ad Corinthios: Dominus spiritus est, ubi autem spiritus, ibi libertas. Sed quid nos unum aut alterū locum referimus? Totus in hoc est Paulus, ut caro quę contentiousa est contemnatur, & in spiritu, qui charitatis & libertatis est auctor, nos constituat. Individuae enim interfēcē comites sunt, caro, servitus, inquietudo, contentio: Rursum, spiritus, pax, amor & libertas. Hæc passim inculcat Apostolus. Num meliorem religionis magistrum requiriuntis, præsertim cum huic omnis divina scriptura concinat? Hoc erat maximum mandatum in lege Mosaica, hoc iterat ac perficit in Evangelio Christus. Ob hoc potissimum natus ac mortuus est, ut nos doceret non Iudaizare, sed amare. Post cœnam illam supremam quam sollicite, quanto affectu mandat Apostolis suis non de cibo

cibo aut potu , sed de charitate mutuo servanda. Quid aliud docet; imo rogit huius symmystes Ioannes , ut nisi diligamus invicem? Paulus cum passim , ut dixi, charitatem commendans , tum ad Corinthios scribens, & miraculis, & prophetiae , & angelorum linguis anteponit charitatem. Ne tu mihi illico charitatem esse dicas, in templo frequentem esse, signis divisorum procumbere , cereolos accedere , numeratas preculas iterare. Nihil istic opus habet Deus. Charitatem Paulus vocat, ædificare proximum , omnes eiusdem corporis membra ducere , omnes unum in Christo putare, de fraternis commodis , perinde ut de tuis in domino gaudere , incommodis mederi, veluti propriis : mansuete corripere errantem , docere ne-
Quid
charitatis
Paulo.
scientem , erigere lapsum, consolari deiectum , adiuvare laborantem, subvenire egenti: in summa omnes opes tuas, omne studium, omnes curas ad hoc referre , ut

quam plurimis prosis in Christo,
ut quemadmodum ille neque sibi
natus est, neque sibi vixit, neque
sibi mortuus est, sed totum sedo-
navit usibus nostris, ita & nos fra-
trum commoditatibus inservia-
mus, non propriis. Quod si fieret,
nihil esset religiosorum vita neque
laetius neque facilius, quam nunc
contra tristem fere videmus & la-
boriosam, ac Iudaicis supersticio-
nibus plenam, nec ab illis laico-
rum vitiis immunem, in nonnullis
contaminatiorem. Quod homi-
num genus, si nunc revivisceret
Augustinus, quo auctore vitæ ple-
riique gloriantur, profecto ne a-
gnosceret quidem, clamaretque,
nihil se minus probaturum fuisse,
quam hoc vitæ genus: neque ad
superstitutionem Iudæorum, sed ad
Apostolorum regulam, vivendi
rationem instituisse. Sed audio
iam dudum quid mihi responde-
ant quidam paulo saniores: in mi-
nimis vigilandum, ne paulatim
defluatur in maiora vitia. Audio
&

& approbo, verum non paulo magis advigilandum, ne sic inhæreas minimis, ut à maximis penitus excidas. Ibi periculum evidentius, sed hic gravius: ita Scyllam fugito, ne in Charybdim incidas. Ista facere salutare est, sed eis inniti perniciosum. Paulus non te vetat elementis uti, sed servire non vult elementis eum, qui liber est in Christo. Non damnat legem factorum, sed si quis ea legitime utatur. Sine his fortasse pius non eris, sed non ista te pium faciunt: Conducent ad pietatem, ita si quidem in hoc utare. Sin frui cœperis, pietatem omnem semel extinguunt. Apostolus contemnit opera Abrahæ, quæ summa fuisse nemo nescit, & tu tuis confidis: Deus aversatur victimas & Sabbata, & neomenias populi sui, quorum omnium ipse fuerat auctor. An audabis tuas observatiunculas, cum divinæ legis præceptis conferre? Audi tamen ad ista nauseantem ac stomachantem Deum: Quo

mihi multitudinem victimarum
 vestrarum? plenus sum, holocau-
 sta arierum, & adipem pinguium,
 & sanguinem vitolorum, & agno-
 rum, & hircorum nolui. Cum ve-
 neritis ante conspectum meum,
 quis quæsivit hæc de manibus ve-
 stris, ut ambularetis in atriis meis?
 Ne offeratis ultra sacrificium fru-
 stra incensum, abominatio est mi-
 hi. Neomeniam & sabbatum, &
 festivitates alias non feram. Ini-
 qui sunt cœtus vestri, Calendas
 vestras, & solennitates vestras odi-
 vit anima mea. Facta sunt mihi
 molesta, laboravi sustinens. Et
 cum extenderitis manus vestras,
 avertam oculos meos à vobis, &
 cum multiplicaveritis orationes
 vestras, non exaudiām vos. Nonne
 cum observationes & ritus sacro-
 rum commemorat, tum multiplicar-
 atas orationes, tanquam digito
 notat eos, qui religionem numero
 psalmorum, aut precum metiun-
 tur? Attende & illa, quam mire
 divinum fastidium propheta fa-

cun-

cundus exaggerat, ut iam nec auribus, nec oculis ferre potuerit. Quæ tandem obsecro? nimirum quæ ipse tanta religione servanda tradiderat, quæ tanta veneratione, tot seculis fuerant à regibus sanctis & prophetis observata. Et hæc detestatur adhuc in lege carnali, & tu tuis domi tibi natis observatiunculis fidis in lege spirituali? Idē alio loco eundem prophetam clamare indesinenter, & instar tubæ vocem iubet intendere, videlicet in re seria & acri reprehensione digna, quæque fere non nisi magna contentione ab istis obtineri queat. Me, inquit, de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiae, & appropinquare Deo volunt, Quare ieunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.

equitius

I 4

Ecce



Ecce ad lites & contentiones ie-
junatis: & percutitis pugno impie.
Nolite iejunare usque ad hanc
diem, ut audiatur in excelso cla-
mor vester. Nunquid tale est ieju-
nium quod elegi, per diem afflige-
re hominem animam suam? Nun-
quid contorqueri quasi circulum
caput suum, & saccum & cinerem
sternere? Nunquid istud vocabis
ieiunium, & diem acceptabilem
domino? Sed quid hoc esse dice-
mus? damnat Deus quod ipse
mandarat? minime. quid igitur?
sed in carne legis manere, & in re-
nihili confidere, id vero detesta-
tur: proinde utroque loco quid
velit accedere, demonstrat. Lava-
mini, inquit, mundi estote, auferte
malum cogitationum vestrarum
de oculis meis. Cum audis mala
cogitationum, nonne palam spiri-
tum & internum hominem deno-
tavit. Oculi domini non vident in
manifesto, sed in occulto, neque
secundum visionem oculorum iu-
dicat, neque secundum auditum
aurium

aurium arguit. Nescit fatuas virgines, foris expolitas, intus inanes. Non novit eos qui labiis dicunt, domine, domine. Deinde admonet usum vitæ spiritualis, non tam in cæremoniis, quam in proximi charitate situm esse. Quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduā. Similia subtexuit & alteri loco de ieuniis: nonne, hoc est, magis ieinium quod elegi? dissolve colligationes impietatis: solve fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despixeris. Quid igitur faciet Christianus? negliget Ecclesiæ mandata? contemnet honestas maiorum traditiones? damnabit pias consuetudines? Immo si infirmus est, servabit ut necessarias: si firmus & perfectus, tanto magis observabit, ne sua scientia fratrem.

I 5 offen-

*vitæ spi-
ritualis.
usus.*

offendat infirmum, & occidat eum pro quo mortuus est Christus. Hæc oportet non omittere, sed illa necesse est facere. Non damnantur opera corporalia, sed præferruntur invisibilia. Non damnatur cultus visibilis, sed non placatur Deus, nisi pietate invisibili: spiritus est Deus, & spiritualibus victimis flectitur. Turpe sit Christianis ignorare, quod gentilis quidam poëta non ignoravit: qui de pietate præcipiens: Si Deus, inquit, est animus, nobis ut carmina dicunt, Hic tibi præcipue sit puramente colendus. Ne contemnamus auctorem, vel ethnicum, vel minatum: Sententia est magno etiam Theologo digna, & ut ego quidem deprehendi, tam intellecta à paucis, quam à nemine non lecta. Ea vero est huiusmodi. Similia similibus afficiuntur. Tu Deum tauro cæso, aut thureo vapore moveri magnopere credis, quasi corpus esset. Mens est, & quidem purissima, simplicissima-

que,

que, proinde potissimum mente pura colendus est. Tu cereum accensum sacrificium putas. At David sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus. Et si despexit sanguinem hircorum, aut vitulorum, at cor contritum & humiliatum non despiciet. Si facis quod tribuitur oculis hominum, multo magis adhibe quod requirunt oculi Dei. Religioso cucullo regitur corpus, quid tum, si mundanam vestem gerit animus? Si nivea tunica velatur homo exterior, sint & interioris hominis vestimenta candida, sicut nix. Silentium agis foris, multo magis cura, ut vacet mens intus. In templo visibili demittis genu corporis: nihil agitur, si in templo pectoris stas erectus contra Deum. Veneraris lignum crucis, magis sequere mysterium crucis. Ieiunium agis, & abstines ab iis, quæ non coquinant hominem, & non contines ab obscenis sermonibus, qui polluant & tuam, & alienam conscientiam?

Corpori subducitur cibus, & anima siliquis porcorum sese ingurgitat? Exornas ædem saxeam, religioni habes loca sacra: quid refert si templum pectoris, cuius parietem perfodit Ezechiel, abominationibus Aegyptiis prophanatum est? Sabbatum agis foris, & intus omnia vitiorum tumultibus perstrepunt. Non mœchatur corpus, sed avarus es, iam mœchus est animus. Pfallis lingua corporea, sed intus ausculta, quid dicat animus: Ore benedicis, & corde maledicis. Corpore angusta cellula contineris, & cogitatione per totum orbem vagaris. Audis verbum Dei corporeis auribus, magis audias intus. Quid enim dicit Propheta? Nisi audieritis intus, plorabit anima vestra. Quid autem legis in Euangilio? Ut videntes non videant, & audientes non audiant. Et rursum propheta, Aure audietis, & non percipietis. Beati igitur qui intus audiunt verbum Dei. Felices, quibus dominus

nus intus dicit verbum, & salva-
buntur animæ illorum. Hancau-
rem iubetur à David inclinare filia
regis illa, cuius omnis decor ab
intus in fimbriis aureis. Denique
quid refert mala non facere, quæ
affectu concupiscis? Quid refert
bona foris agere, quibus diuersa
funt intus? An magnum est, quod
corpore Hierosolymam adis, cum
intra temetipsum sit Sodoma, sit
Aegyptus; sit Babylon? Non ma-
gnum est carneis calcaneis vestigia
calcasse Christi, at maximum affe-
ctu sequi vestigia Christi. Si ma-
ximum est contigisse sepulchrum
domini, non maximum erit ex-
pressissime mysterium sepulturæ? Ac-
cusing apud sacerdotem hominem
tua peccata, vide quomodo accu-
ses apud Deum. Nam apud illum
accusare, intus odiſſe est. Tu for-
te sigillis cereis aut pecuniola, aut
peregrinatiuncula semel elui cul-
pas credis: tota erras via. Intus ac-
ceptum est vulnus, intus pharma-
cum admoyeatur necesse est. Cor-
ruptus

ruptus est affectus, amasti , quod erat odio dignum , odisti , quod erat amandum. Dulce tibi fuit amarum , & amarum dulce. Nihil moror, quid exhibeas foris : sed si mutatis vicibus, quod modo amabas, odisse, fugere, horrere cœperis, si dulcescit affectui quod modo fel sapiebat , ita demum sanitatis argumentum accipio . Amavit multum Magdalena , & dimissa sunt ei peccata multa. Quo magis Christum amabis , hoc magis oderis tua via, nam odium peccati consequitur amorem pietatis, velut umbra corpus. Malo te semel mores tuos vitiosos intus ac vere odisse, quam decies verbo tenus testari apud sacerdotem. Ergo ut quedam exempli gratia retulimus, in toto theatro mundi huius visibilis, in vetere lege, in noya, in omni mandato Ecclesiæ, denique in teipso , atque in omni negocio humano , foris caro quædam est, intus spiritus. In quibus si non ordinem faciemus præposterum, sed

in his quæ videntur non ita multum fiduciæ ponentes , nisi quatenus ad meliora momenti quid adferunt , semper ad spiritum & ea quæ charitatis sunt , respiciamus , evademus non tristes , ut isti , & imbecilles , semper pueri (ut proverbio dicitur) animales , ossa ariada (ut apud prophetam est) spiritum non habentia , lethargici , stupidi , rixosi , lividi , susurrones : sed excelsi in Christo , ampli charitate , robusti , & ad utramque fortunam stabiles : ad minima conniventes , ad summa enitentes , pleni alacritatis , pleni scientiæ , quam qui reiiciunt , eos reiicit & ille scientiarum dominus . Imperitia enim quam fere comitatur indocilitas , & quam Græci pulchre vocant φιλαυτία , sola facit , ut (quod ait Esaias) confidamus in rebus nihili , & loquamur vanitates . Concipiamus laborem , & pariamus iniquitatem : semper serviamus trepidi atque humiles cæremoniis Iudaicis . De cuiusmodi loquens

Pau-

Paulus : Testimonium , inquit ,
 perhibeo illis , quod zelum qui-
 dem Dei habent , sed non secun-
 dum scientiam . Quid autem igno-
 rabant ? nempe quod finis legis
 Christus , Christus autem spiritus
 est , charitas est . Apertius autem E-
 faias miseram & inutilem istorum
 servitutem in carne describit . Pro-
 pterea , inquit , captivus ductus est
 populus meus , quia non habuit
 scientiam . Et nobiles eius interie-
 runt fame , & multitudo eius siti
 exaruit . Non mirum quod popu-
 lus servit elementis huius mundi ,
 videlicet vulgus indoctum , & non
 nisi de alieno pectore sapiens . Ma-
 gis mirandum quod religionis
 Christianæ quasi primates in ea-
 dem captivitate fame intereunt , &
 siti exarescunt . Quare fame inter-
 eunt ? quia non didicerunt à
 Christo frágere panes hordeaceos :
 filiquam modo asperam circum-
 lingunt , medullam non eruunt .
 Quare siti exarescunt ? quia non
 didicerunt à Mose aquam de spiri-
 tuali

Christus
finis le-
gis.

tuali petra elicere. Neque hause-
runt de fluminibus quæ de ventre
Christi fluunt aquæ vivæ. Hoc
autem dictum est de spiritu , non
de carne. Tu igitur mi frater , ne
tristibus laboribus non multum
promoveas , sed mediocri exerci-
tio,cito grandis & vegetus evadas
in Christo , hancregulam diligen-
ter amplexus , ne velis cum im-
mundis animalibus humi reptare,
sed semper alis illis nitens , quas
Plato putat in animis amoris ca-
lore elicitas, denuo pullulascere, à
corpo ad spiritum, à mundo visi-
bili ad invisibilem, à litera ad my-
sterium, à sensibilibus ad intelligi-
bilia, à compositis ad simplicia te-
met ipsum quasi gradibus quibus.
dam scalæ Iacob erige. Ita ad se
propinquanti , vicissim appropin-
quabit dominus : & si tu pro viri-
bus de tua caligine , sensuumque
strepitu conaberis assurgere , oc-
curret ille commode è luce sua in-
accessibili , & silentio illo incogi-
tabili , in quo non sensuum tan-
-239-
tum

210 MILITIS CHRIST.
tum omnis tumultus, sed & intel-
ligibilium omnium imagines con-
ticescunt.

Canon sextus.

ET quoniam ex tempore scri-
benti aliud ex alio in mentem
venit, subtexam & sextam regu-
lam, superioribus quodammodo
cognatam, tam necessariam ad sa-
lutem universis, quam à paucis cu-
ræ habitam. Ea est ut animus ad
Christum anhelantis, à vulgi tum
factis, tum opinionibus quam ma-
xime dissentiat, nec aliunde quam
ab uno Christo, pietatis exemplum
^{Pietatis exemplū.} petatur. Hoc est enim unicum
archetypum, unde quisquis vel un-
guem discesserit, à recto discedit,
atque extra viam currit. Proinde
Plato graviter profecto ut plera-
que, in politia sua negat eum vir-
tutem constanter tueri posse, qui
de turpi atque honesto, nullis cer-
tis opinionibus mentem imbuerit.
At quanto perniciosius est, falsas
opiniones de iis, quæ ad salutem
per-

pertinent, animo penitus insidere? Quare hoc vel in primis curandum putat, ut custodes illi, quos oportet omni turpitudine vacare, quam optimas opiniones de fugiendis atque expertendis, easque quam certissimas tanquam leges quasdam sanctissimas animo insculpant suo. Quicquid enim persuasione penitus inhæsit animo, id quisque moribus exprimit. Eoque præcipua Christianorum cura huc intendi deberet, ut pueri iam inde ab incunabulis, inter ipsas blandicias nutricum, & parentum oscula, inter literatorum manus persuasiones imbibant Christo dignas, propterea quod nihil vel altius insidit animo, vel hæret tenacius, quam quod rudibus (ut inquit Fabius) annis inditur. Procul procul ab auriculis infantibus amatoriæ cantiunculæ, quas domi forisq; cantillant Christiani, spuriiores, quam unquam ethnicorum vulgus receperit. Non audiant accepta iactura rei materculam

Pueri
Christiani
educa-
tio.

ciu-

eiulantem : non amissa sorore , se
miseram ac destitutam clamitan-
tem. Non audiant patrem igna-
viam opprobantem ei , qui iniuriā
non cūm fœnore retulit , non ad-
mirantem eos qui rem quocunq;
modo fecerunt amplissimam. In-
genium hominis ad vitia procli-
ve, perniciosum exemplum statim
arripit, non aliter, quam ignem vi-
cinum naphtha. Quanquam idem
hoc nulla non ætate agendum , ut
omnes vulgi errores ab ipsis usque
radicibus ex animo revellantur,
atque in eorum iocum salutares
opiniones inserantur, adeoque ro-
borentur , ut nullis rebus queant
convelli. Quod qui fecerit, is nul-
lo negotio virtutem sua sponte se-
quetur , & secus agentes misera-
tione, non imitatione dignos iu-
dicabit. Huc enim pertinet illud
à Socrate non absurde dictum,
quanquam ab Aristotele reprehen-
sum , virtutē nihil aliud esse quam
scientiam fugiendorum atque ex-
petendorum: non quod non vi-
deat

derit discrimen inter cognitionem honesti atque amorem: sed quemadmodum Demosthenes pronunciationem primum, secundum ac tertium in eloquentia respondit esse , videlicet adeo præcipuam partem significans, ut in ea totam esse duceret: itidem Socrates agens cum Protagora, argumentis evincit , tantum in omni virtute momenti scientiam adferre, ut peccata non aliunde profiscantur, quā à falsis opinionibus. Etenim & qui Christum amat , & qui voluptatem , pecuniam , honorem falsum amat, nimirum utriusque dulce, bonum ac pulchrum sequuntur. At hi labuntur inscitia , pro dulci amplectentes, quod est acerbissimum, pro acerbo fugientes quod est dulcissimum, item pro bono ac lucro sequentes quod merum est detrimentum , pro damno timentes, quod unicum est lucrum , id pulchrum iudicantes , quod est fœdum , id pudendum opinantes, quod solum est gloriosum. Porro si cui

Peccatum
à
falsis op-
nionibus.

si cui penitus persuasum sit, ac iam
veluti cibus in animi substantiam
sit traiectum, solam virtutem optimam esse, dulcissimam, pulcherri-
mam, honestissimam, utilissimam:
contra, turpitudinem unicum esse
malum, cruciatum, fœdum, eru-
bescendum, damnosum, atque hęc
non opinione populari, sed ipsa
natura rerum metiatur, fieri non
potest, ut ea constante persuasio-
ne, diu in malis hæreat. Pessimus
enim iam olim tum vivendi, tum
sentiendi auctor vulgus est. Neque
unquam ita bene actum est cum
rebus humanis, ut non pessima
placuerint plurimis: cave sic cogi-
tes: hoc nemo non facit: his vesti-
giis maiores mei sunt ingressi: hac
in sententia est ille tantus philoso-
phus, tantus Theologus: sic vivi-
tur à magnatibus: hoc regium est
institutum: hoc & episcopi & pon-
tifices summi factitant, hi profecto
vulgus non sunt: nihil te moveant
ingentia nomina, ego vulgum non
loco, sed pectore metior. Vulgus
sunt,

sunt, quicunque in specu illo Pla-tonico vincit suis affectibus inanes rerum imagines pro verissimis re-bus admirantur. Nonne præpo-stere faciat, si quis non lapidem re-gulæ, sed regulam lapidi conetur applicare? Nonne multo absur-diis: si quis non hominum mores ad Christum, sed Christum ad ho-minum vitam laboret inflectere? Non ideo rectum puta, quia pri-mores, quia maxima pars homi-num factitat, sed ita demum re-ctum est, quod fit, si quadrat ad re-gulam Christi. Immo hoc ipso ti-bi suspectum quid esse oportet, quod plurimis placet. Pusillus grex est, & erit semper, cui cordi est Christiana simplicitas, paupertas, veritas. Pusillus est, sed beatus, quippe cui soli debetur regnum cœlorum. Arcta est via virtutum, & à perpaucis calcata, sed non alia ducit ad vitam. Prudens ædifica-tor utrum tandem ab usitatissimo, an ab optimo opere petit exem-plum? Pictores non nisi optimas tabu-

216 MILITIS CHRIST.
tabulas sibi proponunt. Exemplum nostrum Christus est, in quo uno omnes insunt beate vivendi rationes: hunc sine exceptione licet imitari. Cæterum in probatis viris, eatenus unumquodque in exemplum vocare conveniet, quatenus respondebit cum archetypo Christi. De vulgo autem Christianorum sic existima, nullum unquam fuisse corruptius, ne apud ethnicos quidem, quantum ad opiniones de moribus attinet.

*Probati
viri imi-
tandi
quatenus.* Cæterum de fide, quid sentiant, viderint ipsi. Hoc certe indubitateissimum est, fidem sine moribus fide dignis, adeo nihil iuvare, ut etiam in cumulum cedat damnationis. Evolve veterum annales, & confer horum temporum mores. Quando vera probitas despectior? quando sic in precio habitæ divitiæ undecunque partæ? Quo unquam seculo verius illud Horatianum: Scilicet uxorem cum dare, fidemque, & amicos, Et genus, & formam regina pecunia donat? Et

Et illud eiusdem: Nam genus & virtus, nisi cum re, vilior alga est. Quis iam non serio legit ironiam illam Satyricam? O cives, cives, quærenda pecunia primum: Virtus post nummos? Quando luxus solutior? Quando stupra, adulteria vel latius patuerunt, vel impunitiora fuere, vel minus in probro? dum in aliis, suis vitiis indulgent principes, & quisque speciosum factu dicit, quicquid in aulicorum mores abiit? Cui non extremum malum ac probrum videtur pauperies? Olim in scortatores, in sordidos, in glriosos, in admiratores pecuniæ, etiam de plaustris famosa scommata iaciebantur: in spectaculis gentilium, scite notatis vitiis, applaudebatur à vulgo; quibus nunc à Christianorum processibus male laudatis applauditur. Non tulerunt theatra Atheniensium histronem è tragœdia quampiam Euripidis cantantē verba cuiusdam avari, unam pecuniam reliquis humanæ vitæ commodis

*Antiqua
comœ-
dia.*

preferentis: ac plane futurum erat, ut actorem cum tota fabula exploderent, eiicerentque, ni mox assurgens Poëta, paulisper etiam manere iussisset, ac spectare quorsum admirator ille auri esset evasurus. Quam multa sunt apud illos exempla eorum, qui è bene administrata Republica præter honestam opinionē, nihil in tenuem familiam retulerunt, qui fidem pecunia, qui pudicitiam vita potiorē habuerunt: qui neque prosperis rebus insolescere, neque adversis frangi potuerunt: qui honesta pericula voluptatibus anteposuerunt: qui sola conscientia recti contenti, neque honores, neque opes, neque reliqua fortunæ commoda desiderabant. Et ut ne commemorem Phocionis sanctitatem, Fabritii divitiis potiorem paupertatem, Camilli magnanimitatem, Bruti severitatem, Pythagoræ pudicitiam, Socratis inexpugnabilem continentiam, Catonis integritatem: ac mille pulcherrimi-

chertrima omnium virtutum decora, quæ passim in Lacedæmoniorum, in Persarum, in Atheniensium, in Romanorum annalibus leguntur, magno quidem nostro pudore, Divus Aurelius Augustinus, ut ipse de se in commentariis confessionum suarum testatur, iam multo priusquam Christum indueret, contempserat pecuniam, pro nihilo habebat honores, gloria non commovebatur, voluptatibus autem usque adeo frena negarat, ut homo adolescens una muliercula contentus esset, cui & coniugii fidem servabat. Hos animos, hæc exempla, inter aulicos, inter Ecclesiasticos, addam & inter monachos, non temere quis invenerit. Aut si quis huiusmodi extiterit, illico velut asinus inter simias ostentui ac risui erit, delirus, hebes, hypocrita, rerum impertitus, melancholicus, amens, omnium una voce dicetur, ac ne homo quidem iudicabitur. Sic Christiani Christi doctrinam vene-

Augusti-
ni conti-
uentia.

ditione
veritate

Nobiliū
vanitas.

neramur, sic exprimimus, ut nihil
vecordius, nihil abiectius, nihil
magis pudendum iam vulgo ha-
beatur, quam vere ac toto pecto-
re esse Christianum: quasi aut
Christus frustra versatus sit in ter-
ra, aut alius sit nunc, quam olim
Christianismus, aut non ex æquo
pertineat ad omnes. Ab his igitur
volo te toto animo dissentire, &
rerum omnium precia unius Chri-
sti communione metiri. Quis vul-
go non præclarum autumat, atque
inter præcipua bona ponendum,
claris maioribus prognatum esse,
id quod nobilitatem nominant?
Nihil te moveat, cum audis huius
seculi prudentes, viros graves,
summaque auctoritate præditos,
admodum serio de stemmatū gra-
dibus, adductis superciliis, tanquā
de re vehementer ardua differen-
tes, & magno conatu magnas nu-
gas effutientes, cum vides alios sic
avorum atq; atavorum imaginibus
tumentes, ut reliquos præ se vix
homines esse iudicent. Sed horum
erro-

errorem Democritico risu prosequens, id quod res est reputa, unicam ac summam esse nobilitatem in Christo renatum esse, illius insitum esse corpori, unum corpus & unum spiritum fieri cum Deo. Sint alii regum filii, tibi maximum sit, quod & es, & diceris filius Dei. Illi sibi placeant, quod in aulis principum versentur, tu elige cum David, abiectus esse in domo Dei. Attende quos elegerit Christus, infirmos, stultos, ignobiles secundum mundum. In Adam omnes ignobiles nascimur, in Christo omnes unum sumus: vera nobilitas est, inanem contemnere nobilitatem: vera nobilitas est servum esse Christi. Hos tibi maiores esse puta, quorum virtutes æmularis. Audi quid in Euangilio dixerit optimus æstimator nobilitatis adversus Iudæos, qui se iactabant de generis auctore Abraham: quali vero auctore? non tantum illustri, non solum opulento, non modo victore regum, sed ob divinas virtutes

Summa
nobilitas
esse in
Christo
renatum.

divinis ornato præconiis. Quis istud non insigne, non gloria dignum existimet? Audi quid audierint: Vos ex patre diabolo estis, & opera patris vestri facitis. En tibi Paulus & ipse ad magistri regulam generositatem æstimans, Non enim, inquit, omnes qui ex circuncisione sunt Israël, hi sunt Israëlitæ; neque qui semen sunt Abraham, omnes sunt filii. Pudenda ignobilitas, servire turpitudini, cum Christo nullam habere cognationem, qui non agnoscit, nisi qui faciunt voluntatem patris sui qui in cœlis est. Turpiter spurius est, qui patrem habet diabolum, habet autem qui illius opera facit, nisi mentitus est Christus: sed non novit mentiri veritas. Suprema generositas est & filium & hæredem esse Dei, fratrem autem & cohæredem esse Christi: illorum insignia quid sibi velint, ipsi viderint. Christianorum insignia sunt communia quidem omnibus, sed tamen illustrissima crux, corona spinea,

spinea, clavi, lancea, stigmata Domini, quæ Paulus in corpore suo se gestare gloriatur. De nobilitate itaque vides, quanto alia te sentire velim, quam vulgus opinatur:

Eum vero qui plurimum auri do- Divites
non sunt
beati.
mi congesit, quis non vulgo bea-
tum divitem ac felicem vocat ? Tu
sat beatum , immo solum beatum
iudica, qui Christum qui summum
bonum possidet. Qui preciosam
illam margaritam bonæ mentis,
vel rerum omnium , vel corporis
etiam dispendio mercatus est. Qui
thesaurum invenit sapientiæ, cun-
ctis opibus preciosioris : qui à
Christo ditissimo aurum emit
ignitum , probatum , ut locuples
fiant. Quid igitur sunt ista quæ Quid di-
vitiæ.
multitudo miratur , aurum, gem-
mæ, prædia? Falso nomine divitiæ,
vero spinæ, quæ semen divini ver-
bi suffocant , iuxta parabolam Eu-
angelicam:farcinæ sunt, quibus o-
nusti nec possunt per arctam viam
Christum nudum sequi , nec per
ostium humile intrare in regnum

K 4 *cælo*.

cælorum. Ne pilo quidem temet-
ipsum meliorem puta , si vel Mi-
das, vel Crœsus opibus vincas, sed
illigatiorem, impeditiorem, onu-
stiorem: abunde sat habet , qui ista
fortiter potest contemnere : satis
prospectum est ei , cui nihil defu-
turum promisit Christus : non es-
riet , cui sapit manna verbi divini:
non erit nudus , qui Christum in-
duit. Hoc solum damnum existi-
ma, quoties aliquid de pietate de-
cessit, & vitiis accrebit: ingens lu-
crum puta , cum mens accessione
virtutis facta est melior. Nihil ti-
bi deesse puta , si eum possides , in
quo sunt omnia. Quid autem hoc
est , quod miseri voluptarem no-
minant ? profecto nihil minus,
quam quod dicitur. Quid igitur?
mera insania est , & plane (quod
Græci dicere solent) Aiakis risus,
dulce venenum, blanda pernicies.
Vera & unica voluptas , gaudium
est puræ conscientiæ : lautissimæ
epulæ sunt, studium sanctarū scri-
pturarum : iucundissimæ cantile-
næ,

næ, psalmi spiritus sancti: festivissima societas, communio sanctorum omnium: summæ delitiæ, fruitio veri. Tu modo purga oculos, purga aures, purga palatum, & incipiet tibi adolescere Christus: quo vere gustato, etiam si Milesii, Sybaritæ asotii, Epicurei, breviter universi voluptatum architecti, omnes suas illecebras in unum conferant, præ uno illo nausea videbuntur. Non id protinus dulce est quod sapit, sed quod sa-
dulce est
quod sa-
no sapit.
no sapit. Si febrenti aqua vinum sapit, nemo istud voluptatem nominat, sed morbum. Erras si non credis piis hominibus longe iucundiores esse suas lachrymas, quam impiis risus, cachinnos, iocosque suos: non his dulcius esse ieunium, quam illis attagines, phasides aves, perdices, accipitenses, aut rhombos suos: horum frugales mensulas, olusculis & leguminibus Pythagoricis instrutas, non longe lautiores esse, quā istorum sumptuosa fastidia. Deni-

que vera voluptas est, amore Christi falsis delitiis non solicitari. Iam amoris & odii vocabulis vide quā mundus abutatur. T Cum adolescentis insanus puellam deperit, id vulgus amorem appellat, cum nullum verius sit odium. Verus amor vel suo dispēdio commodis alienis cōfusare cūpit. Ille quo nisi ad suam voluptatem spectat? igitur non illam, sed semetipsum amat, quanquam ne se quidem amat, nemo enim alium amare potest nisi se prius amarit, sed recte: nemo quenquam odiisse potest, nisi se prius oderit: Verum bene amare, nonnunquam bene odiisse est, & recte odiisse, amasse est. Ergo qui ob tantillum commodum, ut putat, suum puellæ blanditiis & muneribus tendit insidias, ut illi quod habet optimum eripiat, integritatem, pudorem, simplicitatem, bonam mentem, famam, utrum hic odiisse an amare tibi videtur? Profecto nullum hoc odio odium atrocius. Cum inepti parentes

rentes liberorum vitiis indulgent, vulgo aiunt, Quam tenere hi suos amant filios? Immo quam crudeliter oderunt, qui dum suis morem gerant affectibus, liberorum salutem habent neglectui. Quid aliud nobis precatur hostis invidentissimus diabolus, quam ut hic impune peccantes, in æternum incurramus supplicium? Lenem magistrum, & misericordem principem vocant, qui sceleribus quibusdam, vel connivet vel etiam faciet, ut hoc peccent licentius, quo impunitius. At quid aliud minatur per prophetam Dominus iis, quos sua misericordia putat indignos? Et non visitabo, inquit, super filias vestras quando fornicantur, & super nurus vestras, quando adulterantur. David vero quid promisit? Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata corum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Vides ut in Christo noventur omnia, & rerum vocabula per-

K. 6. muten-

228 MILITIS CHRIST.
mutentur: qui seipsum male amat,
is capitaliter odit: qui in sese male
misericors est, is crudelissime saevit:
bene curare, negligere est: bene
lædere, prodesse est: bene perdere,
servare est. Ipse tibi curæ eris, si
carnis desideria contempseris: si
bene saevieris in vicia, hominē be-
neficio iuveris: si peccatorem oc-
cideris, hominem servaveris: si
perdideris quod fecit homo, resti-
tueris quod fecit Deus. Age vero
iam potentiam & imbecillitatem,
fortitudinem & ignaviam quid es-
se putat error popularis? Nonne
potentem nominant eum, qui
quem velit, facile queat lædere?

Potentia
falsa. Quanquam odiosa nimium po-
tentia est, nocere posse, id quod est
istis cum cantharidibus & scor-
piis, atque ipso adeo diabolo cō-
mune, videlicet dare malum. So-
lus Deus vere potens est, qui noce-
re nec potest, si velit, nec vult si
possit: quippe cuius natura est be-
nefacere. Sed potens iste quomodo
tandem lædet hominem? Eripiet
pe-

pecuniam, pulsabit corpus, adimet vitam? Si pio homini id facit, beneficium pro maleficio dedit: si improbo, hic occasionem quidem administravit, sed ille ipse sibi nocuit. Nemo enim nisi à seipso lœditur. Nemo alium parat lœdere, nisi longe gravius ipse sese lœdat prius. Damnum pecunię mihi dare paras. Iam tu charitate amissa, damnum gravissimum tibi ipsi dedisti. Non potes mihi vulnus infligere, quin ipse prius vulnus multo atrocius acceperis. Non adimis mihi vitam corporis, nisi tute tibi prius animam iugularis. At Paulus ad inferendam iniuriam imbecillis, ad ferendam validissimus, nonne gloriatur sese in Christo posse omnia? Fortem & animosum vulgo nominant eum, qui ferox & impotentis animi, ad quantumvis levem iniuriam effervescit iracundia, & convitum convitio, maleficium maleficio retaliat. Contra qui acceptam iniuriam missitat ac dissimulat, hunc ignayum, pusillanimem,

*Alteram
lœdensi-
bi nocet.*

*Fortis
quis vul-
go.*

nimen, instrenuum appellant. Immo quid alienius à magnitudine animi, quam verbulo dimoveri à statu mentis, & adeo alienam stultitiam non posse contemnere, ut hominem te non putes esse, nisi maleficium maleficio superaris? At quanto fortius, animo excenso & ampio nullam iniuriam non posse negligere, insuper & pro maleficio beneficium reddere? Non ego fortis dixerim, qui in hostem audiat, qui mœnia superet, qui vita contempta, omnibus periculis officiat caput, id quod est pene gladiatoriibus omnibus commune. At animum qui possit vincere, qui ex animo bene velle malevolentibus, bene mereri de male merentibus, bene precari maleprecantibus, huic denique debetur cognomen fortis atque magnanimi. Executiamus & illud, quid mundus gloriam, ignominiam ac pudorem nominet. Laudaris ob id? & à quibus? Si ob turpia, & à turpibus, ista vero falsa est gloria & vera ignominia.

minia. Vituperaris , rideris : qua
gratia , & à quibus ? ob pietatem, ^{Gloria}
ob innocentiam , utique à malis: ^{vera.}
non ista est ignominia , sed nulla
verior gloria. Esto sane vel univer-
sus mundus explodat , exhibet-
que , non potest non esse glorio-
sum , quod approbat Christus. Et si
quicquid est mortalium , applaudat
atque acclamet , euge , euge , non
potest non esse pudendum , quod
Deo displiceret. Prudentiam vulgo ^{Prudētia}
vocant , rem parare strenue , partā
probe constabilire , & porro in po-
stetum prospicere. Sic enim passim
& serio loquentes audimus. Frugi
homo est , catus , cordatus , consul-
tus , providus , de iis qui brevi rem
faciunt lautiorem. Hoc mundus
qui & mendax est ipse , & pater
eius : at quid dicit veritas ? Stulte ,
inquit , hac nocte repetent à te a-
nimam tuam. Expleverat horrea
messibus , instruxerat commeatu
omnes apothecas , abunde mul-
tum pecuniæ domi condiderat , ni-
hil restare putabat , non (quod fe-

ræ

ræ faciunt) ut congestis opibus
inops custos incubaret, quemad-
modum draconem vellus aureum
servasse poëtæ fabulantur, sed uti
partis frueretur, & tamen hunc
stultum appellat Euangeliū. Quid
enim stultius, quid vecordius, quā
umbris inhiantem res veras amit-
tere, id quod solemus in cane illo
Aesopico ridere: & in Christiano-
rum moribus non magis riden-
dum est, vel flendum potius? Incal-
lidus mercator habeatur, quem
comicum illud fugerit: Pecuniam
in loco negligere, maximum in-
terdum est lucrum: qui præsens
lacellū admittat, quod non igno-
ret ingens dispendium consecutu-
rum. Quanto inconsultius, huic
umbraticę vitę omnibus horis nu-
tanti, tanta solitudine prospice-
re, quod tamen fuerat suppeditan-
dum à Deo: & in futuram vitam
nihil consulere, quam semper cala-
mitosissimam exigamus oportet,
nisi fuerit ingenti cura prospectū.
Alium errorem accipe: solertem &

rerum.

rerum peritum vocant, qui rumus
 sculos omnes captans, novit toto
 quid fiat in orbe: quæ fortuna
 mercatum, quid Britannorum
 tyrannus moliatur, quid novatum
 Rhomæ, quid ortum in Galliis,
 quomodo Dacæ vicitent & Scy-
 thæ: quid consultent principes:
 breviter qui omni de negocio apud
 omne genus hominum garrire
 calleat, eum aiunt sapere. Quid
 autem incogitantius, quid insci-
 tius, quam quæ procul fiant & ad
 te nihil attinent, ea vestigare, quæ
 vero in tuo pectore gerantur, &
 vel sola ad te pertinent, de iis ne
 cogitare quidem. Narras mihi
 tumultus Britannicos, narra ma-
 gis quid in tuo pectore tumultu-
 entur ira, invidia, libido, ambitio:
 quam prope iam istæ sub iugum
 missæ sint: quæ spes victoriæ: quâ-
 ta belli pars profligata: quam in-
 structa ratio. In his si vigilans, si
 auritus pariter & oculatus, si sa-
 gax, si circumspectus fueris, soler-
 tem te pronunciabo. Atque illud
 quod

quod in nos mundus solet iacere, in ipsum retorquebo: ne quicquam sapit; qui sibi nihil sapit. Ad hunc modum si omnes mortalium curas, gaudia, spes, metus, studia, sententias excusseris, invenies plena erroris omnia: dum bonum dicunt malum, & malum bonum, dum dulce faciunt amarum, amarum dulce, lucem faciunt tenebras, & tenebras lucem. Et haec quidem hominum multo maxima turba est, verum oportet hos simul & contemnere, ne similis illorum esse velis, & miserefcere, ut eos tui similes fieri cupias, atque (ut Augustini verbis utar) tum flere convenit irridendos, tum irridere flendos. Noli in malis conformari huic seculo, sed reformare in novitate sensus tui, ut probes non quæ min-
Quæ pro-
bâda sint. rentur homines, sed quæ sit voluntas Dei bona & bene placens, & perfecta. Pericolo proximus es, planeque labascis, si circumspetare cœperis quid agant plerique, si captare quid sentiant. Tu vitæ

douc

ac

ac lucis filius, sepeliant sine mor-
tui mortuos suos, cæci cæcorum
duces simul in foveam abeant. Ca-
ve quoquam ab exemplari tuo
Christo cordis oculos dimoveas:
non errabis, veritatis ductum se-
quens: non impinges in tenebris,
post lumen ambulans: Hoc prælu-
cente si fucata bona à veris, si vera
mala à falsis secreveris, horrebis nō
imitaberis cæcitatē multitudinis,
ad inanissima rerū ludibria, vicibus
quibusdam affectionum, iræ, invi-
diæ, amoris, odii, spei, metus, gau-
dii, doloris, quovis Euripo inquiet-
tius æstuantis. Bragmani, Cynici,
Stoici, mordicus sua dogmata tue-
ri solent, & reclamante mundo,
explodentibus, exibilantibus o-
mnibus, tamen urgent pertinaces,
quod sibi semel persuaferunt. Aude
& tu sectæ tuæ decreta penitus
in animo figere, aude securus ac
totus in auctoris tui sententiam
pedibus discedere.

Opinio-

*Opiniones Christiano.
dignæ.*

Christia-
nus non
sibi na-
tus.

HÆc semper apud te constant
veri Christianismi paradoxa,
uti ne quis Christianus se sibi na-
tum esse putet, neque sibi velit
vivere, sed quicquid habet, aut est,
id omne non sibi tribuat, sed Deo
auctori ferat acceptum: omnia sua
bona omnibus existimet esse com-
munia. Proprietatem Christiana
charitas non novit. Pios amet in
Christo, impios propter Christum,
qui nos adhuc inimicos sic dilexit
prior, ut se totum nobis redimen-
dis impenderit, illos complectatur
quod boni sint, hos nihilominus
ut bonos reddat. Neminem pror-
sus hominem oderit, non utique
magis, quam fidelis medicus odit
ægrotum. Vitiis tantum sit inimi-
cus. Quo gravior est morbus, eo
maiorem curam adhibebit pura
charitas. Adulter est, sacrilegus
est, Turca est: execretur adulter-
um, non hominem: sacrilegum
asper-

aspernetur, non hominem : Turcam occidat, non hominem. Det operam, ut impius pereat, quem ipse se fecit: sed ut servetur homo, quem fecit Deus. Omnibus ex animo bene velit, bene precetur, bene faciat. Neque noceat commeritis, & profit imмерentibus. Omnia commoda perinde ut suis aggratuletur, omnium incommoda, non secus quam suis indoleat. Nimirum hoc est quod iubet Apostolus, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Immo gravius alienum malum ferat, quam suum. De fraterno bono lætior sit, quam de proprio. Non est Christiani sic cogitare: Quid mihi rei cum isto? albus aterve sit, nescio, ignotus est, alienus est, nihil unquam bene de me meritus est: læsit aliquando, nunquam profuit. Nihil horum, tantum memineris, quo merito tibi quæ præstiterit Christus, qui suam in te beneficentiam, non in se, sed in proximo voluit retaliari. Tantum vide, quibus egeat ille, &

-10ydo
quid

quid tu possis. Tantum hoc cogita, Frater est in Domino, cohaeres in Christo, eiusdem corporis membrum, eodem redemptus sanguine, fidei communis socius, ad eandem gratiam & felicitatem futuræ vitæ vocatus: quemadmodum dixit Apostolus, Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, & una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Alienus esse qui potest, qui cum tibi tam multiplex intercedit unitatis copula? Apud gentiles momenti nonnihil adferant vel ad benevolentiam, vel ad malevolentiam illæ rhetorum circumstantiæ. Concivis est, affinis est, cognatus est: aut contra: familiaris, amicus paternus, bene meritus, gratus, honesto loco natus, opulentus, aut secus: In Christo aut nihil sunt, aut iuxta Paulum, unum & idem sunt hæc omnia. Hoc unum tibi obver-

diup

obversetur ob oculos , & satis sit:
caro mea est , frater est in Christo;
quod in membrum confertur,
nonne in universum corpus re-
dundat, atque inde in caput ? O-
mnes sumus invicem membra:
membra cohærentia constituunt
corpus: corporis caput Iesus Chri-
stus , Christi caput Deus : tibi fit,
singulis fit , Christo fit , Deo fit,
quicquid uni cuilibet membro
fit, seu bene, seu male : hæc omnia
unum sunt, Deus, Christus, corpus
& membra. Non recte inter Chri-
stianos locum habet illud : Pares
cum paribus : & illud : Dissimili-
tudo mater odii . quorsum enim
dissensionum vocabula , ubi tanta
est unitas ? Non sapit Christianis-
mum, quod vulgo aulicus oppida-
no, rusticus urbano, patricius ple-
beio , magistratus privato , dives
pauperi, clarus obscuro , potens
imbecilli, Italus Germano, Gallus
Britanno, Britannus Scoto, gram-
maticus Theologo , grammatico
Dialecticus , iurisperito medicus,
doctus

240 MILITIS CHRIST.
doctus idiotæ, eloquens infacundo, cœlebs marito, iuvenis seni, clericus prophano, sacerdos monacho, minor Coletæ, Carmelita Iacobitæ, & ne omnia discrimina referam, nugatoria in re dissimilis dissimili est iniquior. Ubi charitas quæ & hostem diligit, quando cognomen communitatum, quando color vestis nonnihil diversus, quando cingulus, aut calceus, & similia deliramenta hominum, metibi faciant invisum? Quin potius pueriles istas nugas mittimus, & illud quod ad rem pertinet, præ oculis habere consuescimus, quod multis locis inculcat Paulus, omnes nos in Christo capite, unius esse corporis membra, eodem animata spiritu, si tamen in illo vivimus, ut neque felicioribus membris invideamus, & imbecillioribus libenter subveniamus: ut intelligamus nos ipsos accepisse beneficium, cum beneficium præstitimus proximo: nos læsos, cum Sua quisque con- nocitum est fratri. Neque quisquam

*femt in
eōmune.*

quam proprie sibi studeat, sed pro sua virili quisque quod accepit à Deo, in commune conferat, ut illo refluant omnia, unde fluxerunt, puta à capite. Hoc videlicet est, quod Paulus scribit Corinthis: Sicut enim inquiens, corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est unum mēbrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unum quodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia

L

unum

unum membrum , ubi corpus?
Nunc autem multa quidem mem-
bra, unum autem corpus. Non po-
test autem oculus dicere manū,
opera tua non indigeo: aut iterum
caput pedibus , non estis mihi ne-
cessarii. Sed multo magis, quæ vi-
dentur membra corporis infir-
miora esse , necessaria sunt. Et
quæ putamus ignobiliora esse
membra corporis , his honorem
abundantiorem circundamus. Et
quæ in honesta sunt nostra , abun-
dantiorem honestatem habent.
Honesta autem nostra nullius e-
gent. Sed Deus temperavit cor-
pus , eicui deerat abundantiorem
tribuendo honorem , ut non sit
schisma in corpore , sed in id ipsum
pro invicem sollicita sint membra.
Vos autem estis **corpus Christi**, &
membra de membro. Consimilia
scribit Rom. Sicut enim , inquit,
in uno corpore multa membra ha-
bemus, omnia autem membra nō
eundem actum habent , ita multi
unum corpus sumus in Christo,
singuli

singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Rursum ad Ephesios: Veritatem autem, inquit, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministratio[n]is, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membra, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Et alibi iubet invicem alios aliorum onera gestare, quoniam sumus invicem membra. Vide igitur, num ad hoc corpus pertineant, quos passim audis ad hunc modum loquentes: Meares mihi hæreditate obvenit, iure, non fraude possideo: cur ea non meo arbitratu utar, atque abutar? Cur iisdem inde quicquam, quibus nihil debeo? Profundo, perdo, meum est quod perit, aliorum nihil interest. membrum tuum rigitur inedia, & tu ructas perdicum

L 2 carnes.

carnes. Frater nudus horret, tibi
tantum vestium tineis & carie vi-
tiatur. Tibi mille aureos unius
noctis alea perdidit, dum interim
misera quæpiam puella, adigente
egestate, pudicitiam suam prosti-
tuit, & perit anima, pro qua Chri-
stus impedit animam suam. Tu
studium
sui cōtra
charitatē dicis quid mea? Quod meum est
pro meo arbitrio tracto. Et postea
isto cum animo tibi videris Chri-
stianus, qui ne homo quidem sis?
Audis in cœtu multorum lædi fa-
mam huius atque illius, tu taces,
aut forte arrides obtrectanti. Cō-
futasse, inquis, si quid ad me
pertinuissent quæ dicebantur: at
nihil mihi cum illo qui lædeba-
tur. Ergo nihil tibi cum corpore,
si nihil cum membro. Ne cum ca-
pite quidem aliquid, si nihil cum
corpore. Vim vi, inquiunt, ius est
repellere. Nihil moror, quid leges
Imperatoriax permittant, hoc de-
miror, unde istæ voces in mores
Christianorum pervenerint. No-
cui, sed laceſſitus. Maluidare ma-
lum,

lum, quam in me admittere. Esto, non puniunt leges humanæ, quod indulserunt: At quid facturus est Christus imperator tuus, si suæ legi fraudem feceris, quæ extat apud Matthæum? Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi alteram, & ei qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo: diligite inimicos vestros: & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Respondes, non mihi ista dixit: dixit Apostolis, dixit perfectis. Nonne audisti, ut filii patris vestri sitis? si filius Dei non cupis esse, nihil ad te pertinet lex. Quanquam ne bonus quidem est, qui perfectus esse nolit. Acci-

*Ne via-
diatam
experias.*

L. 3. pe &

246 MILITIS CHRIST.
pe & illud, si mercedem non desideras, nihil ad te mandatum : sequitur enim: Si diligitis eos qui vos diligunt, quā mercedem habetis? quasi dicat, nullam : neque enim istud facere virtus est, sed non facere scelus est : neutri debetur quicquam, ubi par relatum est pari. Audi Paulum magnum Christianarum legum & consultum, & interpretem: Benedicite persequētibus vos: benedicite & nolite maledicere : nulli malum pro malo reddentes : si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmet ipsos defendantes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius: noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Quid igitur futurum est, inquis, si procacitatem aliquam mea lenitate aluero, & veterem

terem ferendo iniuriam invitato novam? Si potes malum sine tuo malo vel effugere, vel depellere, nemo te vetat facere: sin minus, cave dixeris, facere satius est quam pati: si potes, emenda, vel beneficiis obruens, vel mansuetudine vincens: sin aliter, præstat alterum perire quam utrumque, præstat te patientiæ lucro ditescere, quam mutua talione mali, malos ambos fieri. Ergo Christianum decretum sit, cum omnibus amore, mansuetudine, beneficio certare: contentione, odio, obtrectatione, contumelia, iniuria, vel infimis etiam libenter cedere. Sed indignus est, cui beneficiat, cui concedatur. At dignum te ut facias, dignus Christus, ad cuius gratiam fit. Neque lædere quenquam volo, aiunt: neque lædi me patiar: immo tu læsus, ex animo remitte noxam, cavers ne quid sit, quod quisquam tibi remittat. Tam observans esto in vitanda culpa tua, quam facilis ad remittendam alienam. Quo

Christia-
no satius
pati quā
facere.

maior es, hoc te magis magisque sumittas, ut omnibus in charitate inservias. Si claro genere es, non obscurabunt, sed decorabunt nobilitatem generis, mores Christo digni. Si doctus es, hoc modestius imperitorum infiditiam feras & emendes. Hoc fratri plus debes, quo plus tibi creditum est. Dives es, memineris dispensatorem esse te, non dominum: ac solicitus vide, quomodo rem communem tractes. Tu credebas solis monachis interdictam esse proprietatem? Indictam paupertatem? Errasti, utrumque ad omnes Christianos pertinet. Lex te punit, si quid alieni sustuleris: non punit, si tuum fratre egente substraxeris: at utrumque puniet Christus. Si magistratus es, ne te faciat honor ferociorem, sed onus sollicitiorem. Non gero, inquis, munus Ecclesiasticum, non sum pastor aut Episcopus. Demus istud. At num etiam Christianus non es? Ipse videris cuius sis, si Ecclesiasticus non es.

Adeo

Adeo Christus in contemptum venit mundo, ut pulchrum existiment & regium, nihil cum eo habere commercii, hoc quenque contemptorem esse, quo fuerit illi copulatior. An non audis quotidie ab iratis laicis, atrociis convicii loco nobis in os iaci, clericis, sacerdotis & monachi vocabula? Idque prorsus non alio animo ac voce, quam si incestum aut sacrilegium exprobrarent. Evidem demitor, cur non etiam baptismū obiificant, cur non etiam cum Saracenis Christi cognomen proibitive impingant. Si malum clericum, aut indignum sacerdotem dicerent aut monachum irreligiosum, ferendi erant, quippe qui mores hominis notarent, non virtutis professionem contemnerent. Sed qui sibi stupra virginum, res bello raptas, pecuniam alea vel partam, vel perditam, & id genus plurima facinora gloriæ ducunt, in aliud vero nihil habent contemptius, aut probrosius, aut magis pudendum,

L 5 dum,

dum, quod obiectent, quam monachi aut sacerdotis vocabulum, nimirum obscurum non est, quid de Christo sentiant isti solo nomine Christiani. Non est alius Episcoporum, aliis magistratum ci-vilium dominus, eiusdem vices gerunt utrique: eidem utrique reddenda erit ratio. Si alio quam ad illum respicis, vel suscipiens magistratum, vel gerens, nihil refert si te mundus non vocat Simoni-acum, ille certe ut Simonia-cum puniet. Si publicum munus ambis, non ut profis in commune, sed ut privatim rei tuæ consulas, ut ulciscaris quibus male vis, ma-gistratus tuus latrocinium est apud Deum. Insequeris prædones, non ut suum recipiat qui spoliatus est, sed ne non sit apud te, quod apud prædones est: Quantulum quæso inter te & illos interest? nisi forte, quod illi quidem mercato-rum, tu prædonum es prædo. In summa nisi hoc animo geris magi-stratum, ut paratus sis non dicam rei,

prædonū
prædo.

rei, sed & capit is iactura, quod iustum est tueri, non approbat Christus administrationem tuam. Addam & illud ex Platonis sententia, neminem esse magistratu dignum, qui libenter gerit magistratum. Si princeps es, cave ne te incantent maleficæ illæ assentatorum voces: Dominus es, supra leges liberes, omnia tibi iusta, omnia honesta: tibi licet, quicquid libet: nihil ad te, quæ vulgo dicuntur à sacerdotibus. Immo id tu quod res est existima, unum omnium esse dominum Christum Iesum, cuius te quam simillimum esse oportet, quippe cuius vices geris. Huius disciplina nulli præstanta exactius, quam tibi, à quo severius ratione exacturus, quam ab aliis. Nō protinus ius esse putato, quod vis, sed id tantū velis quod ius est. Quod ulli mortaliū turpe futurū erat id ne tibi quidē putaris honestū. Immo ne illa quidē tibi permitte, quæ vulgo solent condonari. Quod in aliis delictū, in te flagitium fore pudenctum.

Magistra-
tu di-
gnus, qui
invitus
suscepit.

ta. Honorem, admirationem, dignitatem, gratiam, auctoritatem, non opes tibi concilient plebeis maiores, sed mores emereantur, popularibus meliores. Non ea discat in te mirari vulgus, quibus illa ipsa facinora invitantur, in quæ tu quotidie animadvertis. Tolle admirationem divitiarum, ubi fures, peculatores, sacrilegi, prædones? Tolle admirationem voluptatum, ubi raptores, atque adulteri? Quoties splendidior apud tuos videri vis, ne stultorum oculis opes tuas explices: cum felicior, ne luxum & voluptates ostentes. In te primum discant ista contemne-re, discant suspicere virtutem, in precio habere frugalitatem, applaudere temperantiæ, honorem habere modestiæ. Ne quid eorum tuis in morib[us] appareat, quæ tui fasces in populi morib[us] puniunt. Optime recideris maleficia, si materiam maleficiorum, divitias & voluptates in te non viderint magni fieri. Ne quem vel media de
 plebe

Vita
 Christia-
 ni prin-
 cipis.

plebe præ te contempseris. Commune ex æquo premium est, quo utriusque estis redempti. A contem-
ptu te non strepitus ambitionis,
non ferocitas, non arma atque sa-
tellites vendicent, sed vitæ inte-
gritas, severitas ac mores ab omni-
bus populi vitiis incorrupti. Nihil
prohibet, in obeundo principatu
summum tenere locum, & in cha-
ritate nullum discernere locum.
Hoc principatum esse puta, non
opibus præcedere, sed quam pluri-
mum omnibus prodesse. Non ea
quæ publica sunt, in tuum com-
modum verte, sed quæ tua sunt, te-
que ipsum totum, ad publicam u-
tilitatem effunde. Multa tibi de-
bet populus, at tu illi debes omnia.
Ambitiosa nomina, invicti, sacro-
sancti, maiestatis, & si coguntur
ferre aures, animus certe non a-
gnoscat, sed hæc omnia in Chri-
stum, cui soli competit, referas.
Læsæ maiestatis crimen, quod alii
tragica voce efferunt, apud te le-
vissimum sit. Maiestatem principis

Principa-
tus Chri-
stianus.

is ve-

is vere lædit, qui principis nomine,
contra ius, crudeliter, violente,
flagitiose quid facit. Nullius in-
iuria te minus moveat quam quæ
privatum ad te pertinet. Publicam
personam esse te memineris, nec
oportere nisi de publico cogitare.
Si cordatus es, reputa tecum, non
quantus sis, sed quantum onus hu-
meris sustineas. Et quo maiore in
periculo versaris, hoc minus indul-
ge tibi, non à maioribus tuis, aut
assentatoribus formam admini-
strandi imperii, sed à Christo pe-
tens. Quid enim absurdius, quam
principem Christianum Hanniba-
lem, Alexandrum magnum, Cæsa-
rem aut Pompeium sibi propone-
re? In quibus ipsis cum quasdam
virtutes nequeat assequi, ea potis-
simum imitabitur, quæ sola erant
fugienda. Non protinus in exem-
plum trahatur, si quid approban-
tibus historicis fecit Cæsar, sed si
quod fecit, non abhorret à doctri-
na Domini nostri, aut si est eius-
modi, ut quanquam imitandum

non

non est, ad virtutis tamen studium possit accedere. Ne totum quidem imperium tanti sit, ut prudens velis à recto defletere: exue potius illud, quam exuas Christum. Ne dubita, habet ille quod tibi referat pro contemptu imperio, longe melius imperio. Nihil tam decorum, tam magnificum, tam gloriosum regibus, quam ad summi regis Iesu similitudinem quam proxime accedere, qui ut erat maximus, ita & optimus erat. Sed quod ^{Maximus} optimus, maximus esset, id in terris dissimulavit: quod optimus, id nos sentire maluit, quia hoc nos maluit imitari. Negavit regnum suum de hoc mundo esse, cum esset cœli terræque dominus. Sed principes gentium dominantur eis, Christianus non exercet potestatem in suos, sed charitatem: & qui maximus est, omnium ministrum se cogitat esse, non dominum. Quo magis admiror, potestatis & dominii ambitiosa vocabula ad ipsos usque Pontifices summos, & Episcopos

scopos in vecta fuisse : nec pudere
Theologos non minus indocte
quam ambitiose magistros nostros
vulgo appellitari , cum utrumque
Christus interdixerit suis , ne vel
Dominos , vel magistros vocari se
sinerent, unum enim esset um ma-
gistrum , tum Dominum , qui &
caput omnium nostrum Christus
Iesus. Apostolus , Pastor , Episco-
pus , officii sunt vocabula , non do-
minatus. Papa , Abbas charitatis
cognomina sunt , non potestatis.
Sed quid ego mare illud vulga-
rium errorum ingredior? Ad quod
cunque hominum genus se con-
verterit , multa ubique videbit ho-
mo vere spiritualis quæ rideat , plura
quæ fleat: plurimas opiniones de-
prehendet depravatissimas , & à
Christi doctrina longe lateque dis-
sidentes , quarum bona pars inde
proficiscitur , quod etiam in Chri-
stianismo mundum quendam in-
duximus. Et quod apud veteres
Theologos de mundo legitur ,
hoc parum eruditii , ad eos referunt
qui

qui monachi non sunt. Mundus
 in Euangelio, apud Apostolos, a-
 pud Augustinum, Ambrosium,
 Hieronymum dicuntur increduli,
 à fide alieni, crucis Christi inimi-
 ci, blasphemi in Deum. Qui hu-
 iusmodi sunt, solliciti sunt de cra-
 stino, quippe qui diffidunt de
 Christo, pro opibus pro imperio,
 pro voluptatibus digladiantur, ut-
 pote qui sensibilium rerum præ-
 stigiis occæcati, falsa bona pro ve-
 ris amplectuntur. Hic enim mun-
 dus Christum verum lumen non
 cognovit. Hic totus in malo po-
 situs, se amat, sibi vivit, sibi studet,
 non enim induit Christum, qui
 vera charitas est. Ab hoc semovit
 Christus non solum Apostolos, sed
 omnes quos se dignos iudicavit.
 Quo tandem igitur modo, hunc
 semper in literis damnatum mun-
 dum, cum Christianismo misce-
 mus? Et mundi inani vocabulo
 nostris vitiis blandimur? Augent
 hanc pestem plerique doctores, a-
 adulterantes verbum Dei, ut ait

Mundus
 quid sit
 apud ve-
 teres.

Pau-

Paulus , & ad temporum mores scripturam divinā rrahentes , cum magis conveniat mores ad scripturarum regulam emendari. Nullum autem exitialius assentandi genus, quam cum verbis Euangelicis , aut propheticis animi morbis blandimur, non medemur. Audit princeps : Omnis potestas à Deo, protinus surgunt cristæ : cur magis tumidum re reddit scriptura quam sollicitum ? cogitas quod Deus tradidit tibi gerendum imperium, & non cogitas quod idem gesti imperii exigit rationem. Audit avarus , interdictum Christianis, ne binas habeant tunicas : interpretatur Theologus , alteram tunicam esse quicquid necessitati naturæ supersit, & quod ad mortuum cupiditatis pertineat. Bene habet, inquit Crassus ille, mihi adhuc plurima desunt . Audit animalis & à charitate frigidus , hunc esse charitatis ordinem , ut tuam pecuniam alienæ, tuam vitam alienæ , tuam famam alienæ anteponas.

Ordo
charita-
tis.

nas. Non dabo, inquit, igitur, ne forte mihi ipsi desit. Non tuebor illius famam, ne quid maculę meę aspergatur famæ. Fratrem in periculo deseram, ne veniam & ipse in periculum: breviter mihi vivam totus, nequid ullius nomine ad me perveniat incommodi. Didicimus & à sanctis viris, si quid non imitandum fecerunt, id solum in vitæ exemplum trahere. Adulteri & sanguinarii David exemplo sibi blandiuntur: qui sacculis inhiant, divitem Abraham nobis obiiciunt. Principes, quibus pro ludo est paſsim vitiare virgines, Solomonis reginas & concubinas nobis annulerant. Quorum Deus venter est, Noæ ebrietatem prætexunt. Incesti Loth concubitum prætendunt suæ turpitudini : Cur in istos à Christo declinamus oculos ? Audeo dicere, ne in prophetis quidē aut Apostolis imitandum Christianis, si quid à Christi doctrina divergetur. Quod si sanctos pescatores liberti mirari, non reclamo,
modo

modo totos imitentur. Secutus es David adulterantem, magis sequere pœnitentem. Expressisti Magdalenam peccatricem, exprime & amantem multum, exprime lachrymantem, exprime ad pedes Iesu sese abiicientem. Persecutus es Ecclesiam Dej cum Paulo, perierasti cum Petro, fac & cervicem porrigas pro pietate cum Paulo, crucem ne reformides cum Petro. Ideo patitur Deus & magnos viros in quædam vicia labi, ne nos lapsi desperemus, sed ita, si quemadmodum socii fuimus errantium, ita simus & emendantium errata. Nunc illud ipsum quod imitandum non erat, exaggeramus, & quædam recte ab illis facta depravamus: aranearum instar, tantum si quid inest veneni, exugentes, aut salutarem etiam succum nobis vertentes in venenum. Quid tibi cum divite Abraham, cui numisma numen est? quod ille proventu fœturæ, Deo rei illius fortunante, ditatus est, idque in lege carinali:

nali: ideone tibi Christiano licet per fas nefasque undecunq; Crœsi opes congerere, quas vel male profundas, vel peius domi defodias? Ille divitiis sponte affluentibus quam non à diecerit animum, vel hoc argumento sit, quod statim ad iubentis Dei vocem, filium unicum mactandum produxit. Quam credis contempisse boum armenta, qui contempsit & filium? Tu vero nihil aliud somnians quam quæstum, nihil admirans nisi pecuniam, paratus simul atque inciderit exigui lucelli spes, vel fratrem fallere, vel Christum negligere: simile quiddam tibi putas esse cum Abraham? Simplices puellæ filiæ Loth, cum conspicerent omnem quaquaversum regionem incendio conflagrare, hoc universum mundum arbitrantes, quod oculis patebat, neque ullum iam usquam mortalium ex tam vasto incendio superstitem esse præter fæse, non turpi, sed pio confilio, patris concubitum suffurata sunt,

sunt, ne videlicet nullæ genetis
humani reliquiæ superessent, præ-
fertim cū adhuc vigeret divinū pre-
ceptū: Crescite & multiplicamini.
Et audebis tuas prodigiosas libidi-
nes, cum harū puellarū facto con-
ferre? Immo & coniugiū tuum ha-
rum incestui non dubitē posthabe-
re, siquidē in matrimonio nō proli-
servis sed tuæ libidini. David tot e-
gregiis pietatis exēplis editis, semel
incidit in adulterium, obiecta op-
portunitate, nō captata: an ob hoc
protinus tibi licebit impune totam
ętatē per alienos thalamos voluta-
ri? Petrus semel metu mortis abne-
gavit Christū, pro quo postea fuerat
moriturus, num ideo tibi quavis de
causa peierare fas erit? Paulus non
affectu peccavit sed errore lapsus
est: admonitus, statim resipuit. Tu
prudens, sciens, videns in malis
consenescis, & Pauli exemplo, tibi
ipsi caput demulces: Matthæus
verbo tantum iussus, nihil conta-
tus, semel totum exuit telonen.
Te pecuniis addictum, non tot
sancto-

sanctorum exempla , non toties
audita Euangelia, non tot concio-
nes avellunt. Dicunt mihi Episco-
pi : Divus Augustinus duas amicas
habuisse legitur: verum ille ethni-
cus nos in Christianismo educati:
ille adolescens, nos cani. Egregia
collatio, quoniā ille iuvenis ethni-
cus, ne matrimonii pedicis irreti-
retur, unam mulierculam uxoris
loco habuit, & non uxori , fidem
tamen coniugii præstítit, ideo no-
bis Christianis, senibus, sacerdoti-
bus, Episcopis, minus fœdum erit,
per omnia libidinum volutabra
conspurcari ? Actum est de mori-
bus , posteaquam vitia virtutum
nominibus donavimus, & ad tuē-
dum mala nostra argutiores , quā
ad emendandum diligentiores esse
cœpimus: maxime si pravas opi-
niones nostras falso patrocinio di-
vinarum literarum alere ac fulcire
condidicerimus. Tu igitur frater
suavissime , in totum contempto
vulgo, cum suis & opinionibus, &
factis, syncere ac totus Christiana-

Auguſti-
ni conce-
binatus
excusa-
tur.

nam

nam sectam arripe , quicquid in
hac vita vel horrendum, vel appe-
tendum obiicitur sensibus , id o-
mne pietatis amore ex æquo ne-
gligens: unus Christus tibi satis-
fit , unicus auctor & recte sentien-
di, & beate vivendi. Et hanc qui-
dem meram stulticiam amentiam-
que mundus existimat , sed per
hanc placuit Deo salvos facere cre-
dentes. Feliciter desipit, qui sapit
Christo , misere desipit qui Chri-
stum non sapit. Verum heus tu,
quemadmodum te volo fortiter à
vulgo dissentire, ita nolo Cynicum
quiddam referentem, passim alio-
rum sententiis , aut factis oblatra-
re, superciliosè damnare, odiose
obstrepare omnibus, rabiose de-
clamitare in vitam cuiuslibet , ne
duo simul mala conscias: alte-
rum ut in omnium odium abeas:
alterum, ut invisus, ne queas qui-
dem ulli prodesse. Esto & tu omni-
bus omnia , ut omnes Christo lu-
cifacias, quoad licet, non offensa
pietate. Foris omnibus temet ac-
com-

commoda, ut intus quidem immotum sedeat propositum: foris autem comitas, affabilitas, facilitas, commoditas alliciat fratrem, quem blande convenit invitari ad Christum, non asperitate deterri. Denique quod sentis, non tam saevis intonandum verbis, quam moribus exprimendum. Neque rursus sic indulgendum infirmitati vulgi, ut veritatem in loco fortiter tueri non audeas. Humanitate commendandi sunt homines, non decipiendi.

Canon septimus.

Porro si per infantiam & imbecillitatem animi nostri, nondum ad ista spiritualia licebit aspirare, nihilo tamen segnius danda erit opera, ut saltem in proximis consistamus. Alioqui vera compendiariaque ad felicitatem via est, si semel totam mentem ita ad cœlestium rerum admirationem converterimus, ut veluti corpus umbram, ita amor Christi, amor

Mæter-

æternorum & honestorum, natura secum adducat fastidium caducorum, & odium turpium. Utrunque enim necessario consequitur alterum, & alterum cum altero vel crescit, vel decrescit. Quantum profeceris in amore Christi, tantum oderis mundum: quo magis miraberis invisibilia, hoc magis vilescent res fluxæ ac momentaneæ. Oportet igitur, quod in literis suadet Fabius, idem & in virtutis facere disciplina, ut statim ad optimam nitamur. Quod tamen si nostro vito non continget, proximum est, ut vel humana quadam prudentia, à magnis vitiis abstineamus, nosque ipsos (quoad fieri potest) integros divinæ beneficentiæ servemus. Nam ut saluti proprius est corpus exhaustum quidem illud & inane, verum noxiis humoribus liberum: ita mens capacior est divini muneris, nondum gravibus culpis inquinata, tametsi vera virtute adhuc vacat. Si imbecilliores sumus, quam ut Apostolos, ut martyres

tyres ut virgines imitemur, saltem ne committamus, ut ethnici nos in hoc stadio videantur præcurrere. Quorum plerique, cum neque Deum nossent quem vererentur, neque inferos crederent quos formidarent, tamen ipsam per se turpitudinem modis omnibus fugiēdam esse homini censuerunt, adeo ut nonnulli maluerint, famæ, rei, vitæ deniq; iacturam facere, quam ab honesto discedere. Si per se tale quiddam est peccatum, ut nullis commodis, aut incommodis propositis sit admittendum, profecto Christianum hominem, si non Dei vel iustitia deterret, vel dehortatur beneficentia, si non vel spes immortalitatis, vel æternæ pœnæ metus revocat, si ne ipsa quidem nativa peccati turpitude retrahit, quæ potuit & gentilium animos retrahere, saltem mille incommoda deterreant, quæ etiam in hac vita peccantem consequuntur, infamia, dispendium rei, egestas, contemptus & odium bonorum, an-

xictas animi , inquietudo , & ille
 multo miserrimus consciæ mentis
 cruciatus , quem etiam si non nulli
 in præsentiarum non sentiunt , si-
 ve ætatis hebetudine obscurati , si-
 ve peccati voluptate inebriati , ta-
 men sentient posterius , & omnino
 tanto sentient infelicius , quanto
 serius . Quare iuvenes potissimum
 sunt admonendi , ut hanc esse pec-
 cati naturam , malint tot auctori-
 bus credere , quam infeli ci expe-
 rientia in semetipſis discere : neque
 prius vitam vitiis contaminent ,
 quam plane quid sit vita , cognos-
 verint . Si tibi vilis est Christus , cui
 tu tanti constas , saltem tua ipſius
 cauſa temperato à turpibus . Et
 quanquam vehementer periculu-
 sum est , hoc in statu , velut in tri-
 vio , quod aiunt , diutius commo-
 rari , tamen iis qui nondum queunt
 ad heroicam assurgere virtutem ,
 non paulo præstabilius est in poli-
 tica virtute consistere , quam in o-
 mne turpitudinis genus ire præci-
 pites . Non hic est felicitatis meta ,
 sed

A politi-
ca virtu-

sed hinc propior ad felicitatē gra-
dus. Interim tamen semper oran-
dus Deus , ut nos ad meliora di-
gnetur arripere.

te gradus
est ad fa-
ludem.

Canon octavus.

Si crebrius ac gravius ingruet in te temptationum procella , ne protinus tibi incipias displicere, quasi ob id Deo tuo vel curæ , vel cordi non sis, aut parum pius , aut etiam minus perfectus. Imo potius gratias age, quod ut futurum hæredem erudit , ut charissimum filium flagellat, ut amicum explorat. Maximum est argumentum, hominem à divina misericordia reiectum esse, cum nullis tentationibus incessit. In mentem tibi veniat Paulus Apostolus , qui ad tertii cœli mysteria promeruit admitti, tamen ab angelo Satanę colaphizatus. Succurrat amicus Dei Iob, succurrat Hieronymus, Benedictus, Franciscus, cumque his innumerabiles alii patres , maximis de vitiis solicitati. Si cum tantis

M. 3 viris,

270 M I L I T I S C H R I S T .
viris, si cum tam multis tibi com-
mune est quod pateris , quid est
cur animum deiicias? Magis enite-
re, ut cum illis vincas. Non desti-
tuet te Deus , & faciet etiam cum
tentatione proventum , ut possis
sustinere.

Canon nonus.

Quod callidi solent imperato-
res facere, ut in tranquillis et-
iam rebus, tamen excubias agant,
itidem tu quoque semper animum
vigilante in ac circumspectum ad
futurum hostis assultum habeas:
nunquam enim ille non circuit,
quærens quem devoret: quo para-
tior esse queas, ut irruentem statim
fortiter retundas exibileisque, sta-
tim pestiferi serpentis caput con-
teras. Nusquam enim ille vincitur
vel facilius, vel perfectius. Proinde
consultissimum est, parvulos Baby-
lonis, illico ut nati sunt, ad petram
quæ Christus est allidere prius-
quam grandescant.

Canon

Canon decimus.

Rpellitur autem maxime tentator his modis, si vel vehementer averseris animo, statim que in suggesterentem velut expuas, aut ardenter ores, aut ad sanctam aliquam occupationem toto pectore te conferas, aut si verbis è sacris libris petitis, tentatori respondreas, quemadmodum supra admonuimus. Qua quidem in re non mediocriter profuerit adversus omne temptationis genus, certas quasdam sententias habere paratas, eas maxime, quibus aliquando senseris animum tuum vehementer commoveri.

Canon undecimus.

Pios homines duplex potissimum habet periculum: alterum ne in temptatione succumbant: alterum ne post victoriam in consolatione & gaudio spirituali insolescant. Ut igitur tutus sis non solum à timore nocturno, verum etiam

M 4 iam

272 MILITIS CHRIST.
iam à dæmonio meridiano , facito, ut cum hostis te ad turpia sollicitat, non tuam ipsius respicias imbecillitatem , sed tantum memineris , te in Christo omnia posse, qui non Apostolis modo, sed & tibi, sed omnibus suis membris etiam infimis dixit, Confidite , quia ego vici mundum. Rursum cum vel post superatum instigatorem, vel in pio quopiam opere senseris mentem tuam intus arcana quadam voluptate perfundi , tum etiam atque etiam caveas , ne quid inde tuis meritis arroges , sed totum gratuitæ beneficentiaæ Dei feras acceptum. Teque ipsum protinus verbis Pauli reprimas : Quid habes quod non accepisti? & si accepisti , quid gloriaris , quasi non acceperis? Itaque adversus duplex hoc malum , duplex erit remedium , si & in conflictu tuæ virtuti diffisus , ad Christum caput tuum configuias, atque in eius unius benevolentia spem omnem vincendi ponas, & in consolatione spiritali,
statim

statim gratias agas illi de suo beneficio, tuam indignitatem humiliter agnoscens.

Canon duodecimus.

Cum pugnas cum hoste, non satis tibi, si ictum illius declines aut etiam repellas, nisi fortiter arreptum telum in ipsum auctorem retorseris, suomet illum gladio iugulans. Id ita fiet, si ad malum solicitatus, non solum non pecces, sed hinc tibi arripias occasionem virtutis. Et quemadmodum eleganter fingunt poëte, Herculem obiectis ab irata Iunone periculis animo creuisse atque induisse, itidem tu quoque da operam, ut hostis instigationibus non solum peior non fias, sed etiam evadas melior. Solicitaris ad libidinem, imbecilitatem tuam agnoscere, ac plusculum etiam tibi de licitis voluptatibus interdicito, ad castas & pias occupationes apponito nonnihil auctarii. Instigaris ad cupiditatem, ad tenacitatem,

M 5 augc

274 M I L I T I S C H R I S T ,
auge eleemosynas. Incitaris ad
inanem gloriam, tanto magis de-
mitte te in omnibus. Ita fiet, ut
Tentatio
fit pro-
positi ti-
bi sancti
renova-
tio.
unaquæque tentatio sit tibi reno-
vatio quædam sancti propositi
tui, & pietatis incrementum. Ne-
que enim prorsus alia ratio tam
efficax conficiendi, profligandique
hostem nostrum : verebitur enim
te denuo provocare, ne, qui impie-
tatis auctor esse gaudet, pictatis
ministret occasionem.

Canon decimus tertius.

SEmper autem hoc animo, at-
que hac spe dimices, quasi ea
pugna sit tibi postrema futura, si
victor discesseris. Fieri enim po-
test, ut & istud præmii tuæ virtuti
largiatur benignitas divina, ut ho-
stis semel turpiter victus nunquam
postea te repeatat, id quod legimus
piis aliquot viris contigisse. Nec
absurde credit Origenes, vincenti-
bus Christianis minui copias ho-
stium, dum semel fortiter repul-
sus, nunquam ad hominem solici-
tandum

tandum reverti permittitur. Ergo in conflictu aude perpetuam sperare pacem. At rursum ubi vice-ris, sic te geras, quasi mox in prælium redditurus. Semper enim alia post aliam expectanda tentatio, neque unquam discedendum ab armis, nunquam relinquenda statio, nunquam remittendæ excubiae, donec in hoc corporis præsidio militamus. Semper illud propheticum in pectore cuique habendū: Super custodiam meam stabo.

Canon decimus quartus.

Magnopere cavendū, ne quod vitium, veluti leve contemnamus. Nullus enim hostis vicit saepius, quam qui fuit contemptui. Quia in re non paucos mortalium misere falli comperio: fallunt enim seipso, dum sibi in uno aut altero vitio conniventes, quod pro suis quisque moribus veniale putat, reliqua graviter execrantur. Bona pars eorum quos vulgus in-

M 6 tegros

tegros & incorruptos appellat, furtum, rapinam, homicidium, adulterium, incestum oppido detestantur: at simplicem fornicationem, & moderatum voluptatis usum, ut leve commissum, neutiquam refugiunt: alius ad reliqua sat incorruptus, bibosior est, in luxu intemperantior: alius linguæ licentioris: alius inanior & iactantior. Quo tandem vitio carebimus, si ad hunc modum suo quisque blandietur? Argumentum est, istos ne reliquas quidem virtutes vere possidere, quibus ullum vitium placet, sed potius simulachra quædam virtutum, quæ vel natura, vel educatio, vel consuetudo denique & gentilium animis indidit. At qui Christiano odio unumquodlibet vitium execratur, omnia detestetur necesse est. Cuius animum semel vera charitas occupavit, pari detestatione universam malorum cohortem persequitur, ac ne in venialibus quidem sibi blanditur, ne à minimis sensim

sim ad maxima dilabatur, & dum
in levibus oscitat, excidat à sum-
mis. Et si nondum forte queas
universam vitiorum stirpem evel-
lere, tamen quotidie de malis no-
stris aliquid decerpendum, bonis
moribus semper aliquid adiicien-
dum. Ad eum modum decrescet,
aut crescere ingens ille cumulus
Hesiodius.

Quotidie
aliquid de-
malis de-
cerpen-
dum.

Canon decimus quintus.

Si te territabit labor quem opor-
tet in conflictu temptationum
subire, hoc erit remedium. Noli
molestiā pugnæ conferre cum vo-
luptate peccati. Sed præsentem a-
maritudinē pugnæ compone cum
futura amaritudine peccati, quæ
victum consequitur, tum præsen-
tem dulcedinem culpæ, quæ te il-
lectat, cum futura dulcedine victo-
riæ, & tranquillitate mentis, quæ
consequitur strenue pugnantem,
& mox videbis, quam iniqua sit
collatio. Verum in hoc falluntur
parum cauti, quod amaritudinem
pugnæ

pugnæ comparant cum delectamento peccati: neque respiciunt, quid hoc atque illud consequatur. Consequitur autem victum multo tum gravior tum diuturnior molestia, quam vincenti fuerat in congressu futura, victorem item longe maior ac durabilior voluptas, quam victo fuerit, quæ traxit in culpam. Id quod facile iudicabit, qui fecerit utriusque rei periculum. Verum neminem Christianum oportet usque adeo ignavum esse, ut cum quotidie succumbat tentationi, non saltem aliquando vel curet experiri, quid sit vincere temptationem. **Quod quo fecerit frequentius, hoc fiet victoria dulcior.**

Canon decimus sextus.

Nō despe-
res vi-
aus.

Quod si quando te contigerit lethale vulnus accipere, cave ne protinus abiesto clypeo, reliquis armis, hosti te dedas. Id quod animadverti non paucis accidere, quibus animus natura est imbecillior,

lror, & muliebrior, ut semel prostrati desinant reluctari, seque totos permittant affectibus, neque cogitent de recuperanda libertate. Nimisquam periculosa est ista pusillanimitas, quæ cum interdum ingenii non pessimis adiuncta sit, tamen ad id quod est omnium pessimum solet adducere, nempe desperationem. Adversus hanc igitur hac regula communienda mens est, ut lapsi in peccatum non solum non desperemus, sed gnatos milites imitemur, quos non raro pudor ignominiæ, & accepti vulneris dolor non modo non coniicit in fugam, verum ad fortius, quam antea pugnandum acuit redintegratque. Itidem nos quoque, simul atque in capitalem noxam fuerimus inducti, illico properemus redire ad cor, & lapsus ignominiam nova virtutis alacritate sarcire. Facilius uni vulneri medeberis, quam multis, facilius recenti, quam inveterato iam putrique. Anima temetipsum

ver-

versiculo illo notissimo, quem usurpasse Demosthenes legitur: Vir fugiens & denuo pugnabit. Cogita David prophetam, regem Solomonem, Petrum Ecclesie principem, Paulum Apostolum, tanta lumina sanctimoniarum, in quae scelerata tamen inciderint: quos fortasse vel ob hoc cadere permisit Deus, ne tu lapsus desperares. Erige te igitur in pedes, sed statim magnoque animo, atque in pugnam redito tum ardentior, tum cautior. Fit interim, ut capitalia commissa piis hominibus cedant in cumulum pietatis, dum ardentius amant qui turpius errarunt.

Canon decimus septimus.

Sed adversus alios atque alios tentatoris incursum alia atque alia remedia sunt accommodatoria. At unicum multoque omnium efficacissimum remedium adversus omne vel adversitatis, vel tentationis genus est crux Christi, que eadem est & errantibus exemplum,

Crux
Christi.

plum , & laborantibus refrige-
rium , & pugnantibus armatura:
hæc est una contra omnia tela ne-
quissimi obiicienda. Proinde con-
venit in hac diligenter exerceri,
non quidem vulgi more, quo qui-
dam dominicæ passionis historiam
quotidie relegunt, aut crucis ima-
ginem adorant , aut millenis si-
gnis eius totum undique corpus
communiunt , aut fragmentum
aliquod sacrati ligni domi ser-
vant , aut ita certis horis suppli-
cium Christi recolunt, ut ei tanquā
homini iusto , & indigna patienti,
humano affectu condoleant at-
que illachryment. Non hic est ve-
rus illius arboris fructus , verum
interim sit isthuc lac infantium
animatorum: tu vero ascende in pal-
mam, ut veros illius fructus appre-
hendas: Ii sunt præcipui , si mem-
bra capiti, in mortificandis affecti-
bus , quæ sunt membra nostra su-
per terram , conformes esse cure-
mus : Id quod nobis non solum
amarum esse non debet , verum-
etiam

etiam vehementer optabile ac iucundum, si modo spiritus Christi vivit in nobis. Quis enim vere amat eum, cui quam dissimillimus esse gaudeat? Verum quo maiore fructu mysterium crucis mediterris, oportebit unumquenque sibi rationem, ac piam quandam digladiandi artem parare, & in ea diligenter exerceri, ut simul atque res poposcerit, in promptu sit. Ea potest esse huiusmodi, ut singulis affectibus tuis crucifigendis, eam crucis partem applies, quæ potissimum respondeat. Nulla est enim omnino vel tentatio, vel adversitas, quæ non suum ac proprium habet remedium in ea. Veluti cum te titillat ambitio huius mundi, cum pudet ludibrio ac contemptui esse, cogita ô membrum infimum, quantus sit Christus caput tuum, & quo se fese tua causa deiecerit. Cum incessit animum invidiæ malum, memento quam benigne, quā candide se totum ille nostris usibus impenderit, quam bonus fuerit

rit etiam pessimis. Cum solicitatis à gula, recole illum felle & acetato potatum. Cum tentaris à voluptate turpi, recordare quam tota capitis vita ab omni abfuerit voluptate, quam omnibus incommodis, cruciatibus, ærumnis plena. Cum irritat ira, succurrat statim ille, qui velut agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os suum. Si te male urit paupertas, aut habendi cupiditas solicitat, protinus in mentem veniat ille dominus universorum, pro te factus egenus, ita ut non haberet ubi inclinaret caput suum. Atque ad eandem rationem si & in reliquis temptationibus feceris, non solum acerbum non erit vim attulisse tuis affectibus, verum etiam dulce, propterea quod intelliges isto modo te conformari capiti tuo, eique pro suis immensis doloribus, quos tua causa pertulit, quasi gratiam referre.

Canon.

Canon decimus octavus.

ATque hoc quidem remedii, quanquam unum omnium longe præsentissimum est, iis qui mediocriter in via vitæ processerunt: tamen infirmioribus non nihil profuerint & illa, si solicitante ad impietatem affectu, statim ob oculos mentis revocent, quam fœda, quam execranda, quam extialis res sit peccatum, contra quanta hominis dignitas. In futilibus etiam negotiis paulisper apud nosipos consultamus, in hac re omnium maxima. priusquam nosmet assensu, veluti chirographe, diabolo astringimus, non nostro cum animo reputabimus, à quanto opifice simus conditi, in quam excellenti statu constituti, quam immenso precio redempti, ad quantam felicitatem vocati: hominem generosum illud esse animal, cuius unius gratia mirabilem hanc mundi machinam fabricatus est Deus, concivem angelorum,

rum, filium Dei, hæredem immortalitatis, membrum Christi, membrum Ecclesiæ : corpora nostra tempora esse spiritus sancti, mentes simulachra simul & adyta divinitatis: At è regione peccatum esse pestem teterrimam ac tabem tum animi, tum corporis : utrunque enim in nativam speciem reflorescit innocentia, peccati vero contagio marcescit utrunque etiam in hoc seculo. Peccatum est lethale ^{peccatum} virus spurcissimi serpentis, aucto-^{quid.} ramentum diaboli, ac servitutis non turpissimæ modo, verum etiam miserrimæ. Hæc atque hu-iusmodi ubi tecum expenderis, etiam atque etiam delibera, num sat consultum sit ob fucatam, momentaneam, venenatam peccati delectatiunculam, à tanta dignitate in tantam excidere indignitatem, unde te per teipsum nō queas asserere.

Canon.

Canon undevigesimus.

DEINDE duos illos auctores inter se dissimillimos compara, Deum ac diabolum, quorum alterum peccando tibi facis inimicum, alterum constituis dominum. Per innocentiam & gratiam ascisceris in numerum amicorum Dei, adoptaris in ius & hæreditatem filiorum. Per peccatum vero constitueris & servus & filius diaboli: alter est æternus ille fons, & Idea summi pulchri, summæ voluptatis, summiboni, omnibus sese communicans: alter omnium malorum, extremæ turpitudinis, summæ infelicitatis pater: alterius in te beneficia, alterius maleficia recordare: ille qua bonitate te condidit? qua misericordia redemit? qua liberalitate locupletavit? qua lenitate quotidie sustinet delinquentem? qua lætitia recipit resipiente? Contra hæc omnia diabolus quanta invidentia iam olim insidiatur salutis tuę? In quas ærumnas

mnas te coniecit? atque adeo quid
aliud molitur quotidie, nisi ut uni-
versum hominum genus secum in
æternum exitium trahat ? his o-
mnibus hinc atque hinc recte pen-
siculatis, ita tecum cogita : Egone
oblitus originis meæ, oblitus tan-
torum beneficiorum, propter tan-
tillum bolum falsæ voluptatis, à
tam nobili, à tam amante, à sic me-
rito parente desciscam ingratus,
& me ultro turpissimo, crudelissi-
mo domino mancipabo ? Non
saltem illi præstabο, quod ho-
muncioni præstarem bene meren-
ti ? non illum fugiam, qui homi-
nem fugero malum dare cupien-
tem?

Canon viceſimus.

Neque vero minus inæquale
præmium, quam dissimilis
auctor. Quid enim inæqualius,
quam mors æterna, & vita immor-
talis : quam sine fine summo frui
bono in contubernio cœlestium
civium, & sine fine extremis ex-
cruciari

cruciari malis in infelicissimo confortio damnatorum? Atque hac de re qui dubitat ne homo quidem est, nedum Christianus: qui non cogitat, vel ipsa est amentia amenter. Iam vero præter ista habent & in hac interim vita pietas & impietas fructus suos nimium dissimiles. Ex illa enim metitur secura tranquillitas animi, & beatum illud gaudium puræ mentis, quod quisquis semel degustarit, nihil tam pretiosum, nihil tam voluptarium mundus hic possidet, qui cum velit permutare. Hanc contra, cum mille alia mala, tum miserrimus ille cruciatus animi sibi male consciī consequitur. Illud enim est centuplū spiritualis gaudii, quod Christus pollicitus est in Euangēlio, velut arram quandam æternæ felicitatis. Hæc sunt illa apud Apostolum miranda munera, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque ascenderunt in cor hominis, quæ præparavit Deus diligentibus se, nimirum in

*Præsum
peccati.*

hac

hac vita: cum interim vermis im-
piorum non moritur, & inferos
suos iam apud superos patiuntur.
Nec alia est flamma, in qua crucia-
tur dives ille confessator Euange-
licus. Nec alia supplicia infero-
rum, de quibus multa scripsere
Poëtæ, quam perpetua mentis an-
xietas, quæ peccandi consuetudi-
nem comitatur. Tollat igitur
qui velit futuri seculi tam diversa
præmia, habet annexum sibi vir-
tus propter quod abunde debeat
expeti, habet adiunctum pecca-
tum, cuius causa debeat horri.

Canon vigesimus primus.

AD hæc cogita, quam èrumno-
sa, quam fugax sit vita præ-
sens, quam undique imminens in-
sidiosa mors, quæ passim oppri-
mit inopinantes. Et cum nemo vel
de momento vité sit securus, quam
ingens periculum, eam compre-
hendere vitam, in qua si te mors su-
bitanea (ut sæpe accidit) depre-
henderit, in æternum peristi.

N

Canon

Canon secundus & xx.

Tum semper erit formidanda impoenitentia, malorum extremum, illud nimirum perpendenti, ex quam multis quam pauci à peccatis vere ac toto pectore resipiscunt, præsertim iis qui funiculos iniquitatjs in extremum usque vitæ protraxerunt. Lubricus quidem & facilis in turpitudinem lapsus, sed hinc revocare gradum, superasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est. Proinde vel hirci Aesopici casu admonitus, priusquam in peccati puteum descendas, cogita non perinde facilem esse redditum.

Remedia contra specialia quædam vicia, & primum contra libidinem.

Et hactenus quidem communia adversum omne vitiorum genus remedia utcunque demonstravimus. Nunc conabimur & speciatim quædam tradere, quibus

bus modis cuique peccato debeas occurtere, ac primum libidini, quo malo nullum aliud neque prius nos impedit, neque acrius urget, neque latius patet, neque plures in exitum trahit. Si quando igitur fœda libido stimulabit animum tuum, his armis protinus memento occurrere. In primis cogita quā immunda, quam spurca, quam quovis etiam homine indigna sit ea voluptas, quæ nos divinum plasma non pecudibus modo verum etiam subbus, hircis, canibus, & brutorum brūtissimis animalibus æquet, immo quæ porro infra pecudum conditionem deiiciat, qui sumus ad angelorum consortia, ad divinitatis communionem destinati. Succurrat ad hæc quam eadem sit momentanea, quam insincera, quam semper plus aloës quam mellis habeat: ediverso quā generosa res sit anima, quam sacra res corpus hominis, quemadmodum in superioribus regulis ostendimus: Quæ malum igitur vecor-

Arms
contra li-
bidinem.

N 2 dia,

292 MILITIS CHRIST.
dia, ob tantillam, tam fœdām voluptatis momentaneæ titillationem simul & animum & corpus indignis modis polluere? Prophanare templum, quod Christus sibi sanguine suo consecravit? Illud item reputa, blanda pestis quantum malorum agmen secum trahat: ante omnia famam, possessionem longe preciosissimam eripit: nullius enim vitii rumor spurcius olet, quam libidinis: patrimonium exhaustit: corporis, simul & vires, & speciem interimit: valetudinem vehementer laedit: morbos innumerabiles parit eosque fœdos, iuventæ florem ante diem devenustat: turpem senectam accelerat: ingenii vigorem tollit, mentis aciem hebetat, & quasi pecuinam mentem inserit: ab omnibus honestis studiis semel avocat, hominemque quantus est, totum cœno immergit, ut iam nihil nisi sordidum, humile, spurcum libeat cogitare: & quod hominis erat proprium eripit rationis usum: insanam

Incom-
moda li-
bidinis.

nam atque infamem adolescentiam, odiosam ac turpem , miseramque senectam facit . Sapias igitur; & sic nominatim tecum reputes. Illa & illa voluptas tam male cessit, tantum damni, tantum dedecoris, tædii, laboris, morborum attulit, & iterum stultissimus hamum vorabo prudens? iterum committam, cuius me denuo pœniteat? Item & aliorum exemplis temet reprime , quos cognoveris turpiter & infeliciter voluptatem esse secutos: è regione anima te ipsum ad continentiam exemplis tot adolescentium, tot delicatarum virginum, & collatis circumstantiis , tibi ipsi ignaviam opprobrato. Qui minus tandem tu possis, quod illi atque illi, eo sexu , ea ætate, sic nati, sic educati , potuerunt possuntque? pariter ama, nec minus valebis. Cogita quam honesta, amoena, quam florida res sit corporis & animi puritas: hæc nos maxime facit familiares angelis, spiritus sancti capaces. Etenim à

N 3 nullo

nullo prorsus vitio sic resilit Spiritus ille puritatis amator, ut impudicitiae, nusquam eque conquiescit ac deliciatur, ut in mentibus virginis. Propone tibi ante oculos quam indecorum, quam totum hoc insanum sit amare, pallescere, macerari, lachrymari, blandiri, ac turpiter supplicem esse scorto putidissimo. Occinere ad fores nocturnas, pendere de nutu dominæ, pati regnum mulierculæ, expostulare, irasci, rursum redire in gratiam, & ultro terridendum, pulsandum, mutilandum, spoliandum, lupæ præbere. Ubi quæso inter ista viri nomen? Ubi barba? Ubi generosus ille animus rebus pulcherimis natus? Considera & illud tecum, quantum scelerum gregem voluptas admissa soleat adducere. Est aliis vitiis fortasse nonnulla cum quibusdam virtutibus societas, libidini nulla, sed cum maximis plurimisque peccatis semper copulata est. Sit sane leve scortati, at grave non audire parentes,

et illam

negli-

negligere amicos, prodigere rem patriam, rapere alienam, peierare, perpotare, latrocinari, maleficum fieri, depugnare, homicidiū committere, blasphemare, in quæ omnia, & his graviora, domina voluptas te transversum rapiet, ubi semel tuus esse desieris, eiusque capistro os miserum porrexeris.

Perpende præterea quā sit hæc vita fumo fugacior, umbra inanior: Brevitas
vitæ.
 quot laqueos nobis struat mors, nullo non loco, nullo non tempore insidians. Hic non mediocriter profuerit, & nominatim recolere, si quos ex tibi quondam notis, ex familiaribus, ex æqualibus, aut etiam natu minoribus, maxime vero ex iis, quos aliquando turpium voluptatum participes habueris, mors inopinata rapuit. Estoque alieno periculo cautior. Cogita, quam dulciter vixerint, sed quam amare vita defuncti sint, quam sero sapuerint, quam sero cœperint odiſſe sua mortifera gaudia. Succurrat extremi iudicii severitas, & Extremi
iudicii
severitas.

non retractandæ illius sententiæ
metuendum fulmen, in ignem æ-
ternum mittentis impios, & quod
hæc horaria, brevisque & exigua
voluptas æternis cruciatibus luen-
da sit. Hoc diligenter lancibus ex-
amina, quam iniqua sit permuta-
tio, pro turpissimo brevissimoque
pruritu, & in hac vita multo dul-
cius, præstantiusque animi gau-
dium prodere, & in futura gaudiis
fraudari perennibus, insuper nun-
quam finiendos dolores, tam um-
bratili delectatiuncula mercari.
Porro si durum tibi videatur, tan-
tillum delectamenti pro Christo
contemnere, recordare, quos cru-
ciatus ille tui charitate suscepit:
præter communes humanæ vitæ
iniurias, quantum sacrosancti san-
guinis pro te effuderit, quā igno-
miniosam, quā acerbam mortem
pro te dependerit, & tu horum o-
mnium immemor, rufsum filium
Dei crucifigis, iterans insanas vo-
luptates, quæ caput & dominum
tuum ad tam diros adegere cru-
ciatus?

ciatus? Tum iuxta superiorem re-
gulam recole, quantum ille bene-
ficiorum in te, nihil dum prometi-
tum accumularit, pro quibus o-
mnibus cum nulla par gratia re-
pendi queat, tamen nullam repo-
scit aliam, quam ut exemplo ipsius
à mortiferis illecebris coérceas
animum, & ad summi boni sum-
mique pulchri convertas amorem.
Compone inter se duas illas Ve-
neres, & duos Cupidines Plato-
nicos, hoc est honestum amore, Duae Ve-
neres.
& fœdum, sanctam voluptatem &
turpem, confer utriusque dissimi-
lem materiam, confer naturas,
confer præmia. Et in omni qui-
dē tentatione, maxime vero cum
ad libidinem solicitaris, proponito
tibi ante oculos tuos angelum tui
custodem, omnium quæ vel facis
vel cogitas assiduum spectatorem,
ac testem Deum inspectorem, cu-
jus oculis omnia patent, qui sedet
supra cœlos, & intuetur abyssos.
Et rem adeo fœdam, ut homun-
cio ne teste facere pudeat, non ve-

N 5. rebe-

reberis coram angelo tibi proximo, Deo, totoque cælitum choro spectante & execrante facere? Puta autem, id quod res est, & si tibi oculi essent plusquam Lyncei, plusquam aquilini, tamen istis non clarissima luce certius conspiceris, quod coram te facit homo, quam omnes animi tui latebræ perspicuæ sunt Dei & angelorum conspectibus. Quin & illud tuo cum animo reputa, cum libidini cedis, alterum è duobus futurum, aut uti semel gustata voluptas sic mentem tuam exaltet obscuretque, ut de turpitudine eas in turpitudinem, donec excæcatus venias in sensum reprobum, & obstinatus in malo, ne tum quidem queas voluptatem turpem relinquere, cum illa te deseruit. Id quod plerisque videmus evenire, ut effœto corpore, extincta forma, frigente sanguine, deficientibus viribus, caligantibus oculis, tamen adhuc pruriat sine fine, & sceleratius turpilo quisint quā olim fuerint impudici.

Quare

Quare quid esse potest execrabilius, monstruosiusque? alterum, ut si forte contigerit te singulari favore divino resipiscere, maximo animi dolore, summis laboribus, plurimis lachrymis, brevis illa & fugitiva voluptas expianda sit. Quanto igitur consultius, omnino non admittere virus voluptatum carnalium, quam vel in tam deploratam induci cæcitatem, vel tantillam eamque falsam delectatiunculam tanta molestia dependere? Iam vero & à personæ tuæ circumstantiis multa licebit sumere, quæ te à voluptatibus avocare queant. Sacerdos es, cogita te totum divinis rebus consecratum esse. Quam indignum tandem flagitium sit, eo ore, quo corpus illud adorandum sumis, putidam scorti carnem contingere: iisdem manibus, quibus ministrantibus angelis, ineffabile illud mysterium peragis, abominandas contrectare sordes. Quam non convenient, idem corpus, eundem spiritum

Sacerdos.

N 6

cum



300 MILITIS CHRIST.

Dodus. cum Deo fieri, & unum corpus fieri cum meretrice. Si doctus es, tanto generosior Deoque similior animus, tanto hac contumelia indignior. Si nobilis, si princeps, quanto flagitium conspectius, tanto offendiculum gravius. Si coniugatus, cogita quam honesta res sit thorbus immaculatus, daque operam, ut (quoad fieri potest) tuum coniugium imitetur sanctissimas nuptias Christi & Ecclesiae, quarum gerit imaginem, id est, ut quam minimum habeat turpitudinis, plurimum fœcunditatis; in nullo enim vita statu non turpissimum est servire libidini. Si iuvenis es, etiam atque etiam considera, ne florem ævi nunquam redditurum, temere polluas. Nec refœdissima perdas annos optimos, vereque aureos, qui & fugiunt pernicissime & recurrente nunquam. Ne nunc per inscitiam, & incogitantiam ætatis committas, quod te in omnem usque vitam mordeat per sequente scelerum conscientia, &

ama-

amarissimis illis aculeis, quos fugiens voluptas in animis nostris relinquit. Si mulier, istum sexum mulier,
nihil magis decet, quam pudor: si vir.
vir, tanto maioribus rebus dignus
& ipsis tam frivolis indignior: si se- Senex.
nex, opta tibi oculos alienos, ut
videas quam te dedebeat voluptas,
quæ in adolescentibus miseranda
quidem est & coercenda, in vetulo
vero portentosa, & ipsis quoque
voluptatum sectatoribus deridi-
cula. Inter omnia monstra nul-
lum monstrosius senili libidine. O
delire & nimium oblite tui saltem
ad speculum canos & capitis ni-
ves, aratamque rugis frontem,
cadaverique simillimam faciem
contemplare, ac iam capulo pro-
ximus alia annis tuis magis con-
sentanea cura. Saltem quod ratio-
ne decuerat facere, hoc annis ad-
monentibus vel cogentibus po-
tius facito. Ipsa iam te voluptas
repellit, neque ego, inquiens, iam
tibi decora sum, neque tu mihi
idoneus: lusisti satis, edisti satis at-
que

que bibisti: tempus abire tibi est.
 Quid adhuc vitæ perpremis delicias, cum ipsa etiam te deserat vi-
 ta? iam tempus est, ut aliquando
 incipiat in sinu tuo cubare mystica
 illa concubina Abysag, ea sancto
 fervore calfaciat mentem tuam,
 huius amplexibus frigentia mem-
 bra confove.

*Epilogus remediorum contra
 incentivum libidinis.*

Occasio-
nū fuga. **T**AM vero ut summatim perstrin-
 gam, hæc sunt potissimum, quæ
 te à carnis illecebris tutum red-
 dent: primū occasionum omnium
 cauta ac diligens fuga. Quod præ-
 ceptum quanquam in reliquis
 quoque convenit observari, pro-
 pterea quod qui periculum amat,
 dignus est qui in illo pereat, tamen
 hæc potissimum sunt illæ Sirenes,
 quas haud fere quisquam evasit,
 nisi qui procul aufugit. Deinde
 vicius, & somni moderatio: tem-
 perantia à voluptatibus etiam per-
 missis: respectus mortis tux, &
 mortis

mortis Christi contemplatio. Iuvabunt & illa si cum castis & integris convixeris, si corruptorum & mollium colloquia, veluti pestem quandam vitaris. Si solitudinem ociosam, & ocium ignavum fageris, sed animum cœlestium rerum meditatione, honestisque studiis gnaviter exercueris. Maxime vero si sacrarum literarum vestigationi, toto pectorc te consecratis: si & frequenter & pure oraveris, maxime irruente tentatione.

*Adversum irritamenta
avaritia.*

SI senseris te vel natura propensiorem ad philargyriæ vitium, vel à diabolo instigari, recole iuxta superiores regulas dignitatem conditionis tuæ, qui ad hoc tantum creatus es, in hoc redemptus, ut summo illo bono semper fruaris: totam vero hanc mundi machinam fabricatus est Deus, ut omnia tuis servirent usibus. **Quam sor- didum**

didum igitur, quam angusti animi,
non uti, sed tantopere demirari
res mutas & vilissimas. Tolle ho-
minum errorem, quid erit aurum
& argentum, nisi terra rubra & al-
ba? Quod nemo gentilium philo-
sophorum non contempsit, hoc tu
pauperis Christi discipulus, & ad-
longe meliorem possessionem vo-
catus, ut magnum quiddam admi-
raberis? Non possidere divitias,
sed contemnere divitias, magnifi-
cum est. Sed reclamat mihi vulgus
nomine tantum Christianorum,
& seipsum callidissime gaudet fal-
lere. Ipsa, inquit, necessitas nos
hortatur ut rem faciamus, quæ si
fuerit nulla, ne vivere quidem li-
ceat, si contractior, nimis incom-
mode vivitur: sin lauтор, uberior-
que, plurimum ad fert commodi-
tatis. Consulitur valetudini, pro-
spicitur liberis, commodatur ami-
cis, excluditur contemptus, deni-
que & fama melior, cum res bene
habet. Ex aliquot Christianorum
milibus vix unum atque alterum

inve-

milibus

invenias, qui ista non & dicat & sentiat. Verum ut istis ad utrumque respondeam, primum quod cupiditatem suam necessitatis nomine prætexunt, obiiciam illis vicissim parabolam Euangelicam de liliis, & avibus in diem viventibus, ad quorum imitationem nos hortatur Christus. Obiiciam, quod idem ne peram quidem, aut sacculum suis gestandum permiserit. Obiiciam quod nos, reliquis omis-
sis, iubet ante omnia querere re-
gnum Dei, & hæc omnia nobis
adiicienda promittit. Quando un-
quam non suppetierunt victui ne-
cessaria, iis qui toto pectore pieta-
ti studuerunt? Quantulum vero est
illud, quod à nobis natura flagitat?
Atqui tu necessitatem non usibus
naturæ, sed cupiditatis terminis
metiris. Piis autem & illud satis
est, quod naturæ parum est. Quan-
quam equidem non ita valde mi-
ror istos, qui rem universam suam
semel relinquunt, ut impudentius
mendicent alienam. Non est cul-

pa possidere pecuniam , sed mirari pecuniam , cum vitio coniunctum est. Si affluit fungere boni dispensatoris officio. Sin eripitur , ne macerare , tanquam re magna spoliatus , immo gaudet tibi detractam sarcinam periculosa. Verum qui præcipuum vitæ studium in coacervandis opibus consumit , qui eas uti præclarum quiddam & expetendum suspicit , & porro in longum , inque Nestoris usque senectam recondit , is fortasse bonus mercator recte dicetur , bene Christianum equidem non dixerim , qui totus de se pendeat , & de Christi promissis diffidat : cuius bonitas cum passerculos benigne & pascat & vestiat , hominem pium sibiique fidentem destituet scilicet . Sed iam commodatum quas adferre creduntur , rationem ineamus . Primum etiam gentilium philosophorum consensu , inter utilia bona divitiæ postremum locum obtinent , & cum iuxta Epicteti partitionem , præter unam

*Divitiæ
inter utilia extre-
mæ sunt.*

ani-

animi virtutem, reliqua omnia
 extra hominem sint, nihil tamen
 tam extra nos est quam pecunia,
 nihil tam exiguum adfert com-
 moditatem. Etenim si quicquid
 usquam est auri, quicquid gem-
 marum, id omne tu solus possi-
 deas, num ideo tua mens fuerit
 vel pilo melior, num prudentior,
 num doctior? num corporis vale-
 tudo prosperior? num valentio-
 rem, formosorem, iuniorem red-
 det? at voluptates parat: verum,
 sed moriferas. sed honorem con-
 ciliat: at quem tandem? nempe
 quem falsum tribuunt ii, qui non
 nisi stulta mirantur, & quibus pla-
 cuisse, pene vituperari est. Verus
 honor est laudari à laudatis, sum-
 mus honor est placuisse Christo:
 verus honor non opum, sed virtutis
 est præmium. Cedit tibi, suspi-
 cit te plebecula, stulte, vestes illi-
 tuas mirantur, non te. Quin tu in
 te ipsum descendis, & animi tui
 miseram pauperiem consyderas?
 quam vulgus si videret, tam mife-
 randum

Cōparat
amicos.

randum iudicaret, quam nunc beatum prædicat. Verum amicos res comparat: fateor, sed falsos, neque tibi eos comparat, sed sibi. Atque adeo isto titulo vel infelissimus est dives, quod amicos ne dignoscere quidem queat. Alius in sinu odit, ut tenacem: alius invidet, ut opulentior: alius ad se spectans, assentatur & arridet, ut arrodat: quorum qui est amantissimus, maturam mortem precatur: nemo tam amat, quin mortuum malit quam vivum: nemo tam familiaris, à quo verum audiat. Quod si maxime sit qui divitem sincere diligat, ille tamen non potest quenquam non habere suspectum: omnes vultures iudicat, cadaveri inhiantes, omnes muscas, ad suum compendium advolantes. Quicquid igitur commoditatis videntur adducere, id fere fucatum, umbraticū, præstigiosumque est: at verorum malorum plurimum adferunt, verorum bonorum plurimum adimunt. Proinde

mīnīsī

inde si bene accepti atque expensi rationem subduxeris, profecto reperies, nunquam tantum adferre commoditatis, quin nimio plus incommodorum secum trahant: quam miseris laboribus parantur, quantis periculis, quanta solicitude servantur, quanto dolore amittuntur. Quibus de causis & spinas appellat Christus, quod onus animi tranquillitatem, quam nihil homini dulcissimum, mille curis dilaniant. Neque unquam sitim sui sedant, verum magis ac magis irritant. In omne nefas præcipites agunt. Neque tibi frustra blandiare, dicens, nihil prohibet pariter & divitem esse, & pium. Memento quid dixerit veritas: Facilius esse, camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Planeque verum est illud apud divum Hieronymum, divitem hominem, iniqui aut dominum esse, aut hæredem. Ingens opulentia nunquam sine peccato vel paratur, vel servatur.

Divitem
esse &
più, diffi-
cile.

tur. Cogita, quanto melioribus o-
pibus te spolient. Odit enim vir-
tutis indolem, odit honestas artes,
quisquis admirator est auri. Præ-
terea unum avariciae vitium, ido-
latria nominatur à Paulo, neque
cum ullo prorsus alio minus con-
venit Christo. Nec idem potes &
Deo servire & mammonæ.

*Epilogus remediorum contra
vitium avaritiae.*

Desines igitur mirari pecu-
niam, si vera bona cum fal-
sis, si fucata commoda cum veris
incommodis diligenter expende-
ris. Si summum illud bonum
contemplari, atque amare condi-
diceris, quod unum cum adest,
etiam si reliqua omnia defuerint,
abunde explet animum hominis,
qui capacior est quam ut vel uni-
versis huius mundi bonis queat
satiari. Si crebro tibi revocaris ob-
Nudus
venisti,
nudus ex-
ibis vitā.
oculos, qualem te primum terra
nascentem exceperit, qualem item
receptura sit morientem. Si sem-
per

per cogitationi obversetur tuæ
stultus ille Euangelicus , cui di-
ctum est : Hac nocte repetunt à te
animam tuam , & hæc quæ con-
gregasti, cuius erunt? Si mentem à
depravatis vulgi moribus ad Ma-
riæ,Apostolorum, martyrum, ma-
xime Christi capitis tui pauper-
tatem flexeris , semperque vœ il-
lud tibi metuendum esse statuas,
quod ille divitibus huius seculi
minatus est.

Contra ambitionem.

SI quando incantamentis suis
rentabit animum tuum ambi-
tio,his remediis eum præmunies.
Statim iuxta ea quæ superius tra-
didimus, hoc mordicus teneto, so-
lum eum honorem esse, qui à vera
virtute proficiscitur , quem ipsum
tamen oportet interdum fugitare,
quemadmodum & sermone , &
exemplo nos docuit Christus Ie-
sus. Unicum autem honorem , &
homini Christiano expetendum
esse, non ab hominibus, sed à Deo
collau-

A sola
virtute
bonum.

collaudari. Etenim quem ille commendat, ut inquit Apostolus, is demum probatus est. Honor autem si ab homine defertur ob rem inhonestam, utique a turpibus, non honor iste, sed ingens est probrum. Si ob medium, puta formam, vires, opes, genus, ne tum quidem honor recte dicetur. Nemo enim promeretur honorem ea re, qua non meretur laudari. Si ob honestam, honos quidem erit, at non appetet qui promeretur, ipsa nimis virtute & conscientia recti contentus. Vide igitur quam deriduli sint honores isti, quorum cupiditate tantopere vulgus aestuat. Primum enim a quibus tandem dantur? nempe ab iis, quibus nullum discrimin honesti atque inhonesti: ob quae? plerumque ob media, nonnunquam ob turpia: cui? indigno. Quisquis igitur honorem exhibet, aut metu facit, & vicissim est metuendus: aut ut profis, & ridet te: aut quia miratur res nihil, nulloque honore dignas,

&

& miserandus est: aut quia te iudicat his rebus ornatum, quibus honos debeat: quod si falso opinatur, cura ut fias id, quod ille te putat esse: sin vere, omnem honorem tuum in eum refer, cui debes & illa quibus honos tribuitur. Tam non convenit tibi arrogare honorem, quam non debes tibi arrogare virtutem. Alioqui quid amentius, quam tui precium de homuncionum opinione metiri? quibus in manu est simul atque collubuit, hoc ipsū honoris quod largiuntur, rursus auferre, ac te modo honestatum dehonestare. Proinde nihil stultius, quam talibus honoribus, vel gestire cum contingunt, vel ringi cum auferuntur: quos veros non esse, vel hoc intelliges argumento, quod sunt cum pessimis & sceleratissimis communes. Immo nullis fere contingunt copiosus, quam iis qui sunt veris honoribus indignissimi. Cogita quam beata tranquillitas modestæ privatæque, & ab omni superbiæ stre-

Private
vitæ trā-
quillitas.

O

pitu

pitu semotæ vitæ : contra , quam spinosa, quam plena curarum, periculorum, dolorum , vita potentium. Quam difficile secundis in rebus, non oblivisci sui. Quam arduum in lubrico stantem, non cedere. Quam capitalis ex alto ruina. Omnem honorem summo cum onere coniunctum esse. Quā severum iudicium supremi iudicis in eos futūrum sit , qui hic sese in honoribus usurpandis, cæteris anteposuerunt. Etenim qui sese demiserit, ei ut pusillo succurret misericordia. Qui vero sese uti spectatum erigit , is sibi ipsi gratiæ subsidium intercludit. Christi capitibz exemplum semper animo inhæreat tuo. Quid illo secundum seculum ignobilius, despiciens, in honoratus? Quam fugit honores etiam oblatos, qui quovis honore maior erat. Quam derisit asello sedens. Quam damnavit palla testus , & spinis coronatus. Quam non gloriosam mortem elegit. Sed quem mundus contempfit, hunc glo-

glorificavit pater. Tua gloria sit
in cruce Christi, in qua & salus est
tua. Quorsum tibi humani hono-
res, si te reiiciat, despiciatq; Deus,
execrentur angeli?

*Contra elationem & tumo-
rem animi.*

Non intumesces animo , si Cognos-
sce te-
metipsum.
niuxta tritissimum illud ada-
gium , cognoris temetipsum , id
est , si quicquid in te magnum ,
quicquid pulchrum , quicquid pre-
clarum , id Dei munus , non tuum
bonum esse ducas. Contra , quic-
quid humile , quicquid sordidum ,
quicquid prayum , id totum ad te
solum referas . Si memineris , quan-
tis in sordibus conceptus sis ,
quantis natus , quam nudus , quam
inops , quam brutus , quam mise-
randus in hanc lucem proterveris .
Corpusculum istud quot undique
in orbis , quot casibus , quot erum-
nis expositum sit . Immanem istum
gigantem , & immenso turgentem
spiritu , quantula res possit repente

O 2 con-

Vide
quaretibi
placeas.

conficere. Expende & illud, cuiusmodi sit istud, unde tibi places. Si medium, stultitia est : si turpe, dementia : si honestum, ingratitudo. Memineris nullum aliud esse certius stoliditatis insipientiaeque documentum, quam si quis sibi vehementer placeat : præterea, nullum stultitiae genus esse deplo-
ratius. Si turgescit animus, quod se tibi submittit homuncio, cogita, quanto maior, quantoque po-
tentior tuo immineat capiti Deus, qui omnem cervicem elatam de-
primit, & omnes colles in plana deducit, qui ne angelo quidem superbienti pepercit. Conducent & illa, licet leviora, si te semper componas cum præstantioribus. Places tibi de forma corporis, con-
fer te cum iis qui te forma præce-
dunt. Cristas erigit tibi doctrina, ad eos refer oculos, ad quos tu ni-
hil didicisse videaris. Deinde si re-
putaris, non quantum adsit bono-
rum, sed quantum desit, & cum Paulo oblitus eorum qua à tergo sunt,

sunt, enitaris ad ea quæ à fronte
restant. Præterea non inscitum
fuerit & illud, si afflante superbiæ
vento, mox nostrâ ipsorum mala
vertamus in remedium, quasi ve-
nenum veneno pellentes. Id ita
fiet, ubi si quod ingens corporis
vitium, si quid insignis incommo-
di nobis vel fortuna dedit, vel at-
tulit stultitia, quod animum vehe-
menter mordeat, id ante oculos
statuamus, & pavonis exemplo, ea
nostrî parte nosmetipso potissi-
mum contempler, qua sumus
deformatissimi, ita fiet ut statim
subsidant crista. Adhæc præter-
quam quod non aliud vitium Deo
invisius est, & apud homines in
primis ubique odiosa atque irrisa
arrogantia, cum contra modestia
& divinum favorem conciliet, &
hominum benevolentiam adglu-
tinet. Ergo, ut summatim di-
cam, duo præcipue prohibebunt
à superbia, si consideres quid ipse
sis in te, putredo in exortu, bul-
la in omni vita, esca vermium

Arroga-
tia invi-
sum vi-
tiuum.

O 3 in

318 MILITIS CHRIST.
in morte, & quid Christus factus
fit pro te.

*Adversus iram, & vindicta
cupiditatem.*

Ira res
mulie-
bris,

Cum te vehemens animi dolor
ad ultionem extimulat, me-
minoris nihil esse minus iram,
quam quod falso imitatur, puta
fortitudinem. Nihil enim æque
muliebre, nihil tam imbecillis pro-
iectique animi quam vindicta læ-
tari. Animosus videri studes, qui
inultam iniuriam non pateris, at
isthac demum pacto prodis pueri-
litatem tuam, qui (quod est viri
proprium) animo temperare non
queas. Quanto fortius, quanto
generosius, alienam stultitiam
contemnere, quam imitari. At no-
cuit, ferox est, insultat. Quo tur-
pior est, hoc magis cave ne fias illi
similis. Quæ malum vesania est,
ut alienam improbitatem ulci-
scaris, te fieri improbiorem? Si
contempseris contumeliam, intel-
ligent omnes indigno factam. Sin
com-

24

commovere, iam inferentis cau-
sam feceris meliorem. Deinde il-
lud reputa quod res est, si quod
est acceptum incommodum, id
neutquam tolli vindicta, sed pro-
pagari. Quis enim denique finis
fuerit mutuarum iniuriarum, si
suum quisque dolorem perrexerit
vindicta retaliare? Crescunt utrin-
que inimici, incrudescit dolor,
qui quo inveteratior est, hoc ni-
mirum insanabilior. At lenitate,
tolerantiaque sanatur nonnun-
quam etiam is qui fecit iniuriam,
& ad se reversus, ex inimico fit
certissimus amicus. Per ultionem
vero malum ipsum quod à te cu-
pis depellere, id in te reciprocata-
tur, non sine malo fœnore. Erit &
illud non inefficax iræ remedium,
si iuxta superiorem rerum parti-
tionem consideres, hominem ho-
mini non posse nocere, si nolit, nisi
in his quæ sunt extraria bona, nec
ad ipsum hominem magnopere
pertinent. Nam vera animi bona
solus Deus potest eripere, quod

Toleran-
tia vincit
sepe in-
iurias.

O 4 non

non solet, nisi ingratis: solus potest largiri, quod non consuevit immitibus & ferocibus. Nemo igitur Christianus læditur, nisi à semetipso: nulli nocet iniuria, nisi suo auctori. Aduvant & hæc, tametsi leviora, ne dolori mentis obsequare, si commode collectis rhetorū circumstantiis, pariter & tuum incommodum extenues, & alienam eleves iniuriam his ferme modis: Læsit, sed facile resarcitur: tum puer est, rerum imperitus: adolescens, mulier est, alieno fecit instinctu, imprudens, probe potus, æquum est ignoscere. At contra, graviter quidem læsit, sed pater est, frater, præceptor, amicus, uxor. Par est, hoc doloris, illius vel charitati vel auctoritati condonari. Aut paria faciens iniuriam cum aliis illius in te beneficiis compensabis, vel cum tuis in illum offendis exæquabis. Hic quidem læsit, sed alias quam sæpe profuit? Illiberalis est animi, benefactorum oblivisci, iniuriolæ meminisse.

Nunc

Nunc me offendit , sed quoties à
me offensus. Ignoscam illi, ut mi-
hi, meo exemplo , ignoscat & ipse
delinquenti. Porro multo præsen-
tius remedium fuerit, si in peccato
hominis in te cogites, quæ, quan-
ta, quoties tu peccaris in Deum,
quam multis nominibus illi sis
obnoxius. **Quantum** tu remiseris Remitte
debitori.
debitori fratri, tantum tibi condo-
nabit Deus. Hanc dissolvendi æ-
ris alieni rationem nos docuit
creditor ipse. Non recusabit le-
gem , quam ipse statuit. Tu ut à
culpis exolvaris Romam cursitas,
navigas ad divum Iacobum, emis
condonationes amplissimas. E-
quidem non damno quod facis,
sed ut omnia facias , nulla tamen
commodior ratio qua post offer-
sam reconcilieris Deo , quam si tu
offensus reconciliere fratri. Con-
dona levem culpam proximo (le-
ve enim est quicquid homo peccat
in hominem)ut tibi tot millia cul-
parum condonet Christus. At du-
rum est , inquis , animum excan-

O s descen-

descentem comprimere. Non tibi succurrit, quanto duriora pro te tulerit Christus? Quid eras, cum pro te impenderet animam preciosam? nonne inimicus? Qua lenitate quotidie te tolerat, veteres iterantem noxias? Postremo qua mansuetudine ille pertulit probra, vincula, verbera, denique mortem probrosissimam? Quid te iactas de capite, si non curas esse in corpore? Non eris membrum Christi, nisi sequaris vestigia Christi. Sed indignus es cui ignoscatur. Itane tu dignus eras cui ignosceret Deus? In teipso vis experiri misericordiam, & in fratrem vis exercere severam iustitiam? Magnum est si peccator ignoscas peccatori, cum Christus pro crucifixoribus suis oraverit patrem? Arduum est non referire fratrem, quem iuberis & amare: Durum est non remetiri maleficium, pro quo nisi beneficium retuleris, non hoc eris in conservum tuum, quod fuit Christus in servum suum. Postremo si indi-

gnus

Indigno
ignoscē-
dum.

gnus hic cui beneficium pro maleficio rependatur, at tu dignus qui facias, dignus Christus pro quo fit. Sed veterem ferendo iniuriam, in-vito novam : repetet iniuriam si hanc abstulerit impune. Si citra culpam potes vitare, vita: si mederi, medere: si resarcire, resarci: si sanare furentem, sana: sin minus, pereat ille solus potius quam tecum. Istum qui se damnum dedisse putat, commiseratione non poena dignum puta. Vis cum laude irasci? Irascere vitio, non homini. Sed Irascere
vitio. quo natura, propensiores ad hoc vitii, tanto diligentius temet multo ante præmunito, semelque hoc decretum penitus animo insculpas tuo, ne quid unquam vel dicas, vel facias iratus. Nihil tibi credideris Nihil di-
cas ira-
tus. commoto. Suspectum habeto, quicquid impetus ille animi dictaverit, etiamsi sit honestum. Memineris inter phreneticum, & ira bacchantem nihilo plus interesse, qua inter brevem & perpetuam insaniam. Succurrat quam multa per.

O 6 iram.

iram vel dixeris, vel feceris pœnitenda, quæ iam frustra mutata cupias. Proinde cum tibi bilis effervescit, si te non potes illico totum ab ira vendicare, saltem eatenus resipisce, ut te memineris sanum non esse. Hoc meminisse, sanitatis pars est nonnulla. Sic tecum cogita: Nunc quidem ita sum affectus, at paulo post multo alia mente fuero. Cur ego interim dicam in amicum iratus, quod postea placatus mutare non queam? Cur nunc faciam insanus, quod mihi redditus magnopere doleam? Cur non hoc potius à me impetreret ratio, cur non impetreret pietas, denique cur non impetreret Christus, quod tempus ipsum paulo post impetrabit? Nemini (opinor) tantum attrahilis addidit natura, quin saltem hactenus sibi possit imperare. Optimum autem fuerit, sic instituto, ratione, assuetudine durare animū, ut omnino non commoveare. Perfectum erit, si vitio tantum indignatus, pro contumelia reponat

off.

officium charitatis. Postremum & humanæ temperantiae, ne te totum animo permittas. Prorsum non irasci, Deo simillimum est eoque pulcherrimum. Malum in bono vincere, est perfectam Christi Iesu charitatem æmulari. Irā premere, frenoque coërcere, hominis est cordati. Indulgere bili, ne hominis quidem est, sed plane ferarum, idque immitium. Quod si iuvat cognoscere, quam vehementer sit indecorum homini ab ira superari, fac sanus cum es, vultum irati contemplere, aut ipse iratus speculum adeas. Cum sic flammatantes ardent oculi, pallent genæ, distorquentur os, spumant labia, tremunt membra, fremit vox, non constant sibi gestus, quis te existimet hominem esse? Vides amice suavissime, quam immensum pateat equor, de reliquis vitiis consimili modo differendi. Sed nos medio in cursu vela colligemus, id quod reliquum est tuæ solertiæ relicturi. Neque enim propositi nostri erat, & sane

Tuū irati
vultū cō-
templere.

quam

quam infinitum fuerit, ita ut cœ-pimus, singula vitiorum genera singulis quasi declamationibus dissuadere, atque ad his oppositas virtutes adhortari. Tantum volui, quod tibi satis fore credebam, rationem & artem quandam novæ militiæ commonstrare, qua te pos-ses adversus pristinæ vitæ repullu-lantia mala communire. Itaque quod nos in uno atque altero, ex-empli causa fecimus, id te ipsum oportebit facere, cum in singulis, tum potissimum in his, ad quæ co-gnoveris te, sive naturæ, sive con-suetudinis vitio peculiariter insti-gari. Adversus hæc certa quædam decreta in albo mentis nostræ de-scribenda sunt, atque ea ne desue-tudine obsolescant, subinde reno-vanda. Veluti contra malum ob-trectationis, turpiloquii, inviden-tiæ, gastrimargiæ & id genus reliqua. Hi soli sunt hostes militum Christianorū, in quorum assultum, oratione, sententiis sapientium, dogmatibus divinæ scripturæ, ex-emplis

emplis piorum hominum & maxime Christi , multo ante est præmuniendus animus. Hæc omnia tametsi non dubitem, quin affatim tibi suppeditatura sit sacra lectio, tamen fraterna charitas nos est adhortata, ut saltem hac extemporali scriptiuncula, pro mea virili sanctum tuum propositum promovere adiuvaremque. Id quod eo-
Quare
hæc ma-
turius
scriperis.
 ci maturius quod non nihil metuerem, ne in superstiosum istud religiosorum genus incideres , qui partim quæstui servientes suo, partim ingenti zelo , sed non secundum scientiam , circumeunt mare & aridam , & sicubi nacti fuerint hominem à vitiis ad meliorem vitam iam resipiscentem, eum illico improbissimis hortamentis, minaciis, blandiciis in monachatum conantur detrudere , perinde quasi extra cucullū Christianismus non sit. Deinde ubi scrupulis meris & inextricabilibus spinis pectus illius expleverint, ad humanas quasdam traditiunculas astringunt , plane-
que

que in Iudaismum quendam præcipitant miserum, ac trepidare docent, non amare. Monachatus non est pietas, sed vitæ genus pro suo cuique corporis ingeniique habitu, vel utile, vel inutile. Ad quod equidem ut te non adhortor, ita ne dehortor quidem. Hoc modo commoneo, ut pietatem neque in cibo, neque in cultu, neque in ultra re visibili constituas, sed in iis quæ tradidimus. In quibusunque vero deprehenderis veram imaginem Christi, cum iis te copula. Porro ubi desunt homines, quorum convictus te reddat meliorē, abducito te quantum potes ab humano confortio, & prophetas sanctos, Christum, Apostolos, in colloquium ascisce. In primis autem Paulum tibi facito familiarem: hic tibi semper habendus in sinu, nocturna versandus manu, versandus diurna, postremo & ad verbum ediscendus: in quem nos iam pri- dem enarrationem magno studio molimur, audax quidem facinus,

sed

Monachatus quid.

Paulus legatur.

sed tamen divino auxilio freti sedulo dabimus operam, ne post Originem, Ambrosium, Augustinum, ne post tot recentiores interpres hunc laborem omnino vel sine causa, vel sine fructu suscepisse videamur. Atque ut intelligant calumniatores quidam, qui summam existimant religionem, nihil bonarum literarum scire, quod politiorem veterum literaturam per adolescentiam sumus amplexi, quod utriusque linguæ, Græcæ pariter ac Latinæ mediocrem cognitionem non sine multis vigiliis nobis peperimus, non ad famam inanem aut puerilem animi voluptatem spectasse nos, sed multo ante fuisse præmeditatos, ut Dominicum templum, quod nonnulli inscitia barbarieque sua nimis dehonestarunt, exoticis opibus pro viribus exornaremus, quibus & generosa ingenia possent ad divinarum scripturarum amorem inflammari. Sed hac tanta labore pauculos dies intermissa, hunc

Literæ
bonæ ad
pietatem
prosunt.

labo-

laborem tua causa assumpsimus,
ut tibi veluti digito viam, quæ cō-
pendio ducit ad Christum indica-
remus. Precor autem Iesum istius
(uti spero) propositi parentem, ut
salubribus tuis cœptis benignus
aspirare dignetur, immo ut suum
in te mutando munus ageat per-
ficiatque, quo cito grandescas in
eo, & occurras in virū perfectum.
In eodem bene vale frater & ami-
ce, semper quidem animo dilecte
meo, at nunc multo quam ante-
hac tum charior, tum iucundior.
Apud divi Audomari, Anno à
Christo nato supra millesimum
quingentesimo prime.

E N C H I R I D I I F I N I S .

UNED

UNED

QUE R E L A
P A C I S

*Vndeque gentium ejectæ,
profligatæque.*

Auctore

DESIDERIO ERASMO
Roterodamo.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
c l o i o c x l i .

Да си създа
Боготворимо.

и илюстрирана гравюра
на Михаил Георгиев
известна

Præstantissimo Viro,
G A S P A R I V I D U A N O
*Illusterrimi Consilii X. à secre-
 tis Primario.*

F R A N C I S C U S A S U L A N U S
 S. D.

SI, quibus quisque ma-
 xime delectatur, iis
 etiam donari consue-
 vit, ut militibus equi
 nobiles & operosa ar-
 ma mittuntur, jure mihi videor fe-
 cisse Gaspar Viduane, quod pacem,
 & quæ pacis sunt, tibi mittenda
 curaverim. tibi inquam gravissimo
 ac ornatissimo viro, pacisque stu-
 diosissimo, atque in iis, quæ in to-
 ga geruntur maxima atque amplif-
 sima, nemini hodie secundo. Nam
 (ut omittam quæ foris gessisti mul-

A 2

tis,

tis, atque iis honestissimis, legationibus summa fide ac diligentia functus ita ut non minorem apud exterorū quam apud tuos sis laudem consecutus) jam quadraginta amplius annos augustissimi Senatus Veneti secreta sedatissimi pectoris tui penetralibus condens, ac ubi oportet prudentissime promens, dandisque præterea publico nomine literis ad omnes propemodum & reges & principes universi orbis terrarum eam opinionem adeptus es, ut ubique sapientissimus rerumque gerendarum consultissimus habeatis. id quod ego superioribus annis, cum agerem Mediolani; magnopere sum admiratus. Tot enim tum aliunde, tum etiam ab extrema Gallia viri illustres de me quotidie quærebant quampridem esset posteaquam te vidisse? num re-

cte

cte valeres? solicii adeo ut tibi affines aut cognati esse viderentur..
Ac sane mitissimo candidissimoque ingenio virum omnes diligent necesse est. Itaque munusculum hoc te maxime decens eo animo accipe, ut tametsi perexiguum est, magnum tamen amoris & observantiae meae monumentum esse existimes, neq; vero mireris quod, cum totum hoc volumen tibi dicetur, primi tantum libri fecerim mentionem. siquidem palam esse arbitror, quo centurio primipili sese inferat, eo totum manipulum verti folere: adde quod nulla in re fieri videmus quin reliquæ corporis partes suum caput ultro sequantur.
Vale.

A 3

Clas-

Clarissimo Präfuli Trajectensi
P H I L I P P O
ERASMUS ROTERODAMUS
S. D.

GRATULARER tibi Philippe praeful, non minus vita ornamentis, quam summorum Ducum imaginibus clarissime, quod tanti muneric honoresis auctor, ni compertum haberem quam invitus suscepis, quamque gravate optimi maximique Principis CAROLI auctoritate fueris adactus, cuius alioqui charitati nihil non eras daturus. Atque hac ipsa res spem nobis certissimam facit fore, ut cum laude perfungaris suscepto, quandoquidem Plato vir exquisitissimi, planeque divini judicii, non alios existimat ad rem publicam gerendam idoneos, quam eos, qui huc nolentes pertrahuntur. Auget autem nostram de te fiduciam, quoties in mentem venit, & cui tu succedas fratri, & quo patre sitis ambo profecti. Nam David vir eruditus juxa ac prudens, permultis annis sic locum ipsum tenuit, ut suis ornamenti plurimum splendoris,

doris, ac dignitatis addiderit ipsi muneri, per se licet amplissimo. Multis modis magnus ac suspiciendus, sed in hoc praeципue salutaris reipublica, quod nihil ducebat antiquius sibi pace publica, hac quoque in parte patrem PHILIPPUM Burgundia Ducem referens, virum nulla non re maximum, sed tam
men pacis artibus cum primis insignem, &
aterna hominum memoria commendatum.
Qui tibi hoc etiam impensis erit exprimen-
dus, nontantum ut filius patri, sed ut PHIL-
LIPUS Philippo respondeas. Intelligit jam
dudum tua prudentia quid abs te populus
universus expectet. Triplex onus humeris
sustines, patris exemplum ac fratri, tum
horum temporum fata (quid enim aliud di-
cam?) nescio quomodo ad bellū pertrahentia.
Vidimus ipsi nuper ut quidam amicis quam
hostibus graviores, nihil intentatum reli-
querint, ne bellorum aliquando finis esset;
rursus ut vix expresserint alii, qui Reipub.
Principique ex animo bene volunt, ut pacem
cum Francis semper optandam, hisce vero
temporibus etiam necessariam amplectere-
mur. Cuius sane rei indignitas movit ani-
mum meum, ut tum pacis undique profliga-
ta querimoniam scriberem, quo nimirum

hac ratione, justissimum animi mei dolorem
vel ulciscerer, vel lenirem. Libellum ad te,
cum primitiolas novo Episcopo debitas, mit-
to, quo diligentius tueatur Tua Celsitudo pa-
cem ut cunque partam, si non patiar eam ob-
livisci quanto negotio nobis constituerit. Be-
ne vale.

QUE-

Q U E R E L A
P A C I S.

*Vndeque Gentium ejet.e,
profligatæque,*

Auctore

D E S I D E R I O E R A S M O
Roterodamo.

SI me, licet immerentem, suo tamen commodo sic aversarentur, ejicerent, profligarentq; mortales, meā modo injuriam, & illorum iniquitatem deplorarem, nunc cum me profligatam protinus fontem omnis humanæ felicitatis ipsi à semet arceant, omniumque calamitatum pelagus sibi accersant, magis illorum mihi deflenda est infelicitas, quam mea injuria, & quibus irasci tantum maluissem, horum dolere vicem, hos commiserati compellor. Nam utcunque amantem ab se propellere inhumanum est, bene merentem aversari ingratum, parentem ac servatricem omnium affligere, impium. Cæterum tot
A s egregias

egregias commoditates , quas mecum
affero , sibimetipsis invidere , proque his
ultra tam tetram malorum omnium ler-
nam accersere , an non hoc extremæ cu-
jusdam dementiæ videtur? Sceleratis ira-
sci par est , at sic furii actos quid aliud
quam deflere possumus? Qui non alio sa-
ne nomine magis deflendi sunt , quam
quod ipsi se se non deflent , nec alio ma-
gis infelices , quam quod infelicitatem
suam non sentiunt. Quando non nullus
gradus est ad sanitatem , morbi sui magni-
tudinem agnoscere. Etenim si ego Pax
illa divisorum simul & hominum voce lau-
data , fons , parens , altrix , amplatrix ,
tutatrix rerum bonarum omnium , quas
vel cœlum habet , vel terra , si sine me
nihil usquam florens , nihil tutum , nihil
purum aut sanctum , nihil aut jucundum
hominibus , aut gratum superis : si con-
tra hæc omnia bellum semel omnium
malorum , quicquid usquam est in rerum
natura , oceanus quidam , si huius vitio
subito marcescunt florentia , dilabuntur
aucta , labascunt fulta , pereunt bene con-
dita , amarescunt dulcia , denique si res est
adeo non sancta , ut omnis pietatis ac re-
ligio-

ligionis sit maxime præsentanea pestis, si nihil hoc uno infelicius hominibus, nihil invisius superis, quæso per Deum immortalem, quis credat istos homines esse? quis credat ullam sanæ mentis micam inesse, qui me talem tantis impendiis, tantis studiis, tanto molimine, tot technis, tot curis, tot periculis student ejicere, tantumque malorum velint tam care emere? Si me ad istum modum spernerent feræ, levius ferrem, & in me admissam contumeliam naturæ imputarem, quæ ingenium immite insevisset: si mutis pecudibus essem invisa, condonarem inscitiæ, propterea quod his ea vis animi negata sit, quæ sola dotes meas queat perspicere. At ô rem indignam, ac plusquam prodigiosam, unum animal ædedit natura ratione præditum, ac divinæ mentis capax, unum benevolentiaæ, concordiaæque genuit, & tamen apud quantumlibet efferas feras, apud quantumvis brutas pecudes mihi citius locus sit, quam apud homines. Iam tot orbium coelestium licet nec motus sit idem, nec vis eadem, tamen iis tot iam sæculis constant, vigentque fœdera. Elementorum

pugnantes inter se vires æquabili libra-
mine pacem æternam tuentur, & in tan-
ta discordia consensu, commercioque
mutuo concordiam alunt. In animantium
corporibus quam fidus membrorum in-
ter ipsa consensus, quam parata defensio
mutua! Quid tam dissimile, quam corpus
& anima? Et tamen quam arcta necessi-
tudine connexuerit hæc duo natura, ni-
mirum declarat ipsa divulsio. proinde
ut vita nihil aliud est, quam corporis &
animæ societas, ita sanitas omnium cor-
poris qualitatum concentus est. Animantia
rationis expertia in suo quæque ge-
nere civiliter, concorditerque degunt.
Armentatim vivunt elephanti, gregatim
pascuntur sues & oves, turmatim volant
grues, & graculi, habent sua comitia ci-
coniae, pietatis etiam magistræ, mutuis
officiis sese tuentur delphini. Nota est
formicarum, & apum inter ipsas concors
politia. Sed quid de his loqui pergo? quæ
tametsi ratione vacant, sensu non vacant.
In arboribus, in herbis amicitiam possis
agnoscere. Steriles sunt quædam, nisi
marem adjungas. vitis ulmum amplecti-
tur, vitem amat persica. Usque adeo quæ
nihil.

nihil sentiunt, tamen pacis beneficium sentire videntur. Sed hæc rursum ut sentiendi vim non habent, ita quod vitam habeant, iis, quæ sentiunt, finitima sunt. Quid æque brutum atque saxorum genus? Dicas tamen his quoque pacis, & concordiæ sensum esse. Ita Magnes ferrum ad se se trahit, attractum tenet. Quid, quod inter immanissimas etiam feras convenit? Leonum inter ipsos feritas non dimicat: Aper in aprum non vibrat dentem fulmineum: Lynx cum lynce pax est: Draco non sævit in draconem: Luporum concordiam etiam proverbia nobilitarunt. Addam (quod magis etiam mirum videatur) impii spiritus, per quos cœlum atque hominum concordia primum dirupta est, & hodie rumpitur, tamen inter se fœdus habent, suamque illam qualem cunque tyrannidem consensu tuentur. Solos homines, quos omnium maxime decebat unanimitas, quibusque cum primis opus est ea, neque naturam aliis in rebus potens & efficax conciliat, nec institutio conjungit, nec tot ex consensu prefecturæ commoditates conglutinant, nec raptorum denique malorum.

rum sensus , & experientia in mutuum amorem redigit. Figura communis omnium , vox eadem. & cum cætera animantium genera corporum formis potissimum inter se differant , uni homini indita vis rationis , quæ ita sit illis inter ipsos communis , ut cum nullo sit reliquorum animantium communis : uni huic animanti sermo datus , præcipuus necessitudinum conciliator. Insita sunt communiter disciplinarum ac virtutum semina , ingenium mite , placidumque , & ad mutuam benevolentiam propensum , ut per se juvet amari , & jucundum sit de aliis benemereri , nisi quis pravis cupiditatibus , ceu Circes pharmacis corruptus ex homine degenerarit in beluam. Hinc est videlicet , quod vulgus quicquid ad mutuam benevolentiam pertinet , humanum appellat. Addidit lachrymas , exorabilis ingenii documentum , quo si quid forte inciderit offendæ , & amicitiæ serenitatem nubecula aliqua offuscarit , facile redeant in gratiam. En quot rationibus natura concordiam docuit ? Nec his tamen contenta pacis lenociniis amicitiam homini non solum jucundam esse voluit ,
verum

verum etiam necessariam. Eoque tum corporum , tum animorum dotes ita partita est , ut nemo sit omnium tam instrutus, quin infimorum etiam officio non nunquam adjuvetur ; nec eadem attribuit omnibus , nec paria, ut hæc inæqualitas mutuis amicitiis æquaretur. Aliis in regionibus alia proveniunt , quo vel usus ipse mutua doceret commercia. Cæteris animantibus sua tribuit arma, præsidiaque, quibus sese tuerentur; unum hominem produxit inermem, atque imbecillum , nec prorsus aliter tutum , quam fœdere, mutuaque necessitudine. Civitates repperit necessitas , & ipsarum inter se societatem docuit necessitas , quo ferarum, ac prædonum vim iunctis viribus propellerent. Adeo nihil est in rebus humanis , quod ipsum sibi sufficiat. In ipsis statim vîte primordiis perisset hominum genus , nisi conditum propagasset coniugalis concordia. Nec enim nasceretur homo , & mox natus interiret , atque in ipso vitæ limine vitam amitteret, nisi obstetricum amica manus , nisi nutricum amica pietas succurreret infantulo. Atque in hunc usum vehementissimos illos pie-
tatis

tatis igniculos infestit, ut parentes etiam illud ament, quod nondum viderunt. Adjecit mutuam liberorum erga parentes pietatem, ut illorum imbecillitas horum praesidiis vicissim sublevaretur, fieretque illa cunctis quidem ex aequo pausibilis, sed Græcis aptissime dicta ἀνηλάρωσις. Accedunt huc cognationum, & affinitatum vincula. Accedit in nonnullis ingeniorum, studiorum, formaque similitudo, certissima benevolentiae conciliatrix, in multis arcanus quidam animorum sensus, ac mirus ad mutuum amorem stimulus, quem veteres admirati numini ascribebant. Tot argumentis natura docuit pacem, concordiamque, tot illecebris ad eam invitat, tot laqueis trahit, tot rebus compellit. Et post haec quamnam ista tam ad nocendum efficax Erinnys his omnibus disruptis, disiectis, discussis, insatiabilem pugnandi furiam infestit humanis pectoribus? Nisi primum admirationem, deinde sensum etiam malii adimeret assuetudo, quis crederet humana mente praeditos istos, qui sic jugibus dissidiis, litibus, bellis inter se certant, rixantur, tumultuantur? Postremo rapi-

rapinis , sanguine , cladibus , ruinis sacra , profanaque miscent omnia , nec ulla tam sancta foedera , quæ illos in mutuam poniem debacchantes queant dirimere . Ut nihil etiam accesserit , satis erat commune hominis vocabulum , ut inter homines conveniret . Sed esto , nihil apud homines profecerit natura , quæ plurimum valet ut in beluis , itane & nihil apud Christianos valuit Christus ? parum efficax sit doctrina naturæ , quæ maximam vim habet in his quoque , quæ sensu vacant , cæterum cum hac multo præstantior sit doctrina Christi , cur ea se profitentibus non persuaderet id , quod unum omnium maxime suadet , nempe pacem , mutuamque benevolentiam ? aut saltem hanc tam impiam , efferamque belligerandi insaniam dedocet ? Cum hominis vocabulum audio , mox accurro , velut ad animal mihi propriæ natum , confidens fore ut illic liceat acquiescere : cum Christianorum audio titulum , magis etiam advolo , apud hos certe regnaturam etiam me sperans . Sed hic quoque (puder ac piget dicere) fora , basilicæ , curiæ , templa sic undique litibus perstrepunt , ut nusquam

nusquam apud Ethnicos æque. Adeo ut cum bona pars humanæ calamitatis sit ad-
vocatorum turba, tamen hæc etiam ad
litigantium undas paucitas sit, ac solitu-
do. Civitatem aspicio, spes illico obori-
tur inter hos saltrem convenire, quos ea-
dem cingunt mœnia, eadem moderantur
leges, & velut una vectos navi commu-
ne continet periculum. Sed ô me miser-
ram! quæ hîc quoque dissidiis omnia vi-
tiata comperio, adeo ut vix domum ul-
lam reperiire liceat, in qua mihi sit vel
dies aliquot locus. Sed plebem omitto,
quæ maris ritu suis æstibus rapitur, in
Principum aulas, velut in portum quen-
dam me recipio. Erit inquam certe apud
hos locus paci. plus hi sapiunt, quam vul-
gus, ut qui sint plebis animus, atque o-
culus populi: tum eius vices gerunt, qui
doctor est, & Princeps concordiæ, à quo
quidem cum omnibus, tum his præci-
pue sum commendata. Et omnia bene
pollicentur. Video blandas consalutatio-
nes, amicos complexus, hilares compo-
tationes, cæteraque officia humanitatis.
At ô rem indignam, apud hos nec um-
bram veræ concordiæ licuit cernere. Fu-

cata

cata , fictaque omnia , factionibus aper-
tis , clanculariis dissidiis ac simultatibus
corrupta universa. Denique adeo apud
hos non esse sedem paci comperio , ut
hinc potius omnium bellorum fontes ac
seminaria. Quo me posthac conferam
infelix , postequam toties fefellit spes? At
Principes magni sunt potius , quam eru-
diti , magisque ducuntur cupiditatibus ,
quam recto animi judicio. Ad eruditio-
rum greges confugiam. Bonæ literæ red-
dunt homines , philosophia plusquam
homines , theologia reddit divos. Apud
hos certe dabitur conquiescere tot actæ
ambagibus. Verum pro dolor , en hic
quoque bellorum aliud genus , minus
quidem cruentum , sed tamen non minus
insanum. Schola cum schola dissidet , &
ceu rerum veritas loco commutetur , ita
quædam scita non trajiciunt mare , quæ-
dam non superant Alpes , quædam non
tranant Rhenum. immo in eadem Aca-
demia cum rhetore bellum est dialectico ,
cum iureconsulto dissidet theologus. At-
que adeo in eodem professionis genere
cum Thomista pugnat Scotista , cum
Reali Nominalis , cum Peripatetico Pla-
toni-

tonicus, adeo ut ne in minutissimis quidem rebus inter hos conveniat, ac saxe numero de lana caprina atrocissime digladiantur, donec disputationis calor ab argumentis ad convitia, à convitiis ad pugnos incrudecat: & si res pugionibus, aut lanceis non agitur, stolis veneno tintatis sese confodiunt, dentata charta dilacerant invicem, alter in alterius famam lethalia linguarum vibrant spicula. Quo me vertam toties experta mihi data verba? Quid supereft, nisi una veluti sacra ancora Religio? Huius professio licet sit Christianorum omnium communis, tamen eam isti peculiariter profitentur titulo, cultu, ceremoniis, qui vulgo sacerdotum cognomento commendantur. Hos itaque procul intuenti cuncta spem faciunt portum mihi paratum esse. Arident vestes candidæ, meoque colore insignes: video cruces pacis symbola, audio dulcissimum illud fratris cognomen, eximiæ charitatis argumentum, audio salutationes pacis lęto omne felices, cerno rerum omnium communio nem. conjunctum collegium, templum idem, leges cædem, conventus quotidianus.

dianus. *Quis hic non confidat paci locum fore? Sed ó rem indignam! nusquam fere collegio convenit cum episcopo. patrum hoc, nisi & ipsi inter se se factionibus scinderentur.* *Quotusquisque sacerdos est, cui non sit cum aliquo sacerdote lis?* Paulus rem non ferendam censet, quod Christianus litiget adversus Christianū; & sacerdos cum sacerdote, episcopus cum episcopo certat? Verum his quoque forsitan ignorat aliquis, quod longo jam usū propemodum in prophanorum consortium abierunt, posteaquam eadem cum illis cœperunt possidere. Age fruantur hi sane suo jure, quod ceu preſcriptione sibi vindicant. Unum hominum genus superest, qui sic astricti sunt religioni, ut etiam si cupiant, nullo pacto queant excutere, non magis profecto, quam testudo domum. Sperarem apud hos mihi fore locum, nisi toties frustrata spes me prorsus desperare docuisset. Et tamen nequid intentatum relinquam, experiar. *Quæris exitum?* A nullis resiliī magis. Nam quid sperem, ubi religio cum religione dissidet? Tot factiones sunt, quot sunt sodalitia; Dominicales dissident cum

cum Minoritis, Benedictini cum Bernardinis. Tot nomina, tot cultus, tot ceremoniæ studio diversæ, nequid omnino conveniret, sua cuique placent, & aliena damnat, oditque quisque. Quin idem sodalitium factionibus scinditur. Observantes insectantur Coletas, utriusque tertium genus, quod à conventu cognomen haber, cum nihil inter istos conveniat. Iam (ut pat est) omnibus rebus diffusa, optabam vel in uno quopiam monasteriolo latitare, quod vere tranquillum esset. Invita dicam (quod utinam non esset verissimum) nullum adhuc reperti, quod non intestinis odiis, ac iurgiis esset infectum. Pudor sit recensere quam nihil de nugis, tricisque quantas cieant pugnas viri senes, barba pallioque verendi, postremo, ut sibi videntur, impense tum eruditi, tum sancti. Arridebat spes nonnulla fore ut alicubi inter tot coniugia qualiscunque daretur locus. Quid enim non pollicetur domus communis, fortuna communis, lectus communis, liberi communes? Denique corporum ipsorum jus mutuum? ut unum potius hominem credas è duobus conflatum,

tum , quam duos ? Huc quoque sceleratissima illa Eris irrepit , totque vinculis copulatos dirimunt dissidiis animorum . Et tamen inter hos citius contingat locus , quam inter eos , qui tot titulis , tot insignibus , tot ceremoniis absolutam charitatem profitentur . Tandem illud in votis esse cœpit , ut saltem in unius hominis pectore daretur locus . Ne id quidem contigit . idem homo secum pugnat : ratio belligeratur cum affectibus , & insuper affectus cum affectu conflictatur , dum alio vocat pietas , alio trahit cupiditas : rursum aliud suadet libido , aliud ira , aliud ambitio , aliud avaritia . Et huiusmodi cum sint , non pudet tamen illos appellari Christianos , cum modis omnibus dissideant ab eo , quod Christo præcipuum est , ac peculiare . Universam eius vitam contemplare , quid aliud est , quam concordia , mutuique amoris doctrina ? Quid aliud inculcant eius præcepta , quid parabolæ , nisi pacem , nisi charitatem mutuam ? Egregius ille vates Esaias cum cœlesti afflatus spiritu Christum illum rerum omnium conciliatorem venturum annuntiaret , num

Satrapam

Satrapam pollicetur? num urbium eversorem? num bellatorem? num triumphatorem? Nequaquam. Quid igitur? *Principem pacis.* siquidem cum omnium optimum principem intelligi vellet, ab ea re denotavit, quam omnium optimam judicasset. Neque mirum ita visum Esaiæ, cum Silius Ethnicus poëta hunc in modum de me scripserit: *Pax optima rerum, Quas homini natura dedit.* Concinit huic mysticus ille Citharœdus, *Et factus est, inquiens, in pace locus eius.* In pace dixit, non in tentoriis, non in castris: princeps est pacis, pacem amat, offenditur dissidio. Rursum Esaias Opus justitiæ *pacem* appellat, idem sentiens (ni fallor) quod sensit Paulus ille, & ipse è Saulo turbulentio redditus tranquillus, & pacis doctor, cum charitatem cæteris omnibus arcani spiritus dotibus anteponens, quo pectore, qua facundia meum Encomium detonuit Corinthiis! Cur enim non glorier sic laudari à viro tam laudato? Is alias *Deum pacis* appellat, alias *pacem Dei* vocat, palam indicans hæc duo sic inter se cohærere, ut ibi pax esse non possit, ubi

Deus

Deus non adsit, nec illic esse Deus pos-
fit, ubi pax non adsit. Itidem & *pacis an-*
gelos in divinis libris vocatos legimus
pios, ac Dei ministros, ut per se liqueat
quos belli angelos oporteat accipi. Au-
dite strenui bellatores. Videte sub cuius
signis militetis, nimirum illius, qui pri-
mus dissidium sevit inter Deum & ho-
minem. Quicquid calamitatum sentit
mortalitas, huic dissidio debet acceptum
ferre. Frivolum est enim, quod argutan-
tur quidam, in arcans literis *Deum ex-*
ercituum, & *Deum ultionum* dici. Per-
multum enim interest inter Iudæorum
Deum, & Christianorum Deum, etiam
si suapte natura unus & idem Deus est.
Aut si nobis quoque placent tituli vete-
res, age sit exercituum Deus, modo a-
cies intelligas virtutum concentum, qua-
rum præsidio vitia demoliuntur homi-
nes pii. Sit ultionum Deus, modo vin-
dictam accipias vitiorum correctionem,
ut cruentas strages, quibus Hebræo-
rum libri referti sunt, non ad laniandos
homines, sed ad impios affectus è pecto-
re profigandos referas. Sed ut quod in-
stitutum erat, persequamur, quoties ab-

solutam felicitatem significant arcanæ literæ, pacis nomine id faciunt. Velut Esaias, *Sedebit, inquit, populus meus in pulchritudine pacis.* Et alius, *Pax, inquit, super Israel.* Rursum Esaias admiratur *pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona.* *Quisquis Christum annunciat, pacem annunciat.* *Quisquis bellum prædicat, illum prædicat, qui Christi dissimillimus est.* Age jam, quæ res Dei filium pellexit in terras, nisi ut mundum patri reconciliaret? ut homines inter se mutua, & indissolubili charitate conglutinaret? postremo, ut ipsum hominem sibi faceret amicum? Mea igitur gratia legatus erat, meum agebat negotium. Atque ob id Solomonem sui typum ferre voluit, qui nobis, εἰρηνοῦς, id est: *pacificus* dicitur. *Quantumvis magnus erat David, tamen quia bellator erat, quia sanguine fuerat impiatus, non sinitur extruere domum Domini, non meretur hac parte gerere typum Christi pacifici.* Iam illud interim perpende bellator, si prophanan bella numinis iussu suscepta, gestaque, quid facient quæ suavitambitio, quæ ira, quæ furor? Si pius Regem

Regem polluit effusus sanguis Ethnico-
rū, quid faciet tam ingens effusio sanguini-
nis Christiani? Obscero te Christiane
Princeps, si modò vere Christianus es,
contemplare tui Principis imaginem, ob-
serva quomodo regnum suum inierit,
quomodo progressus sit, quomodo hinc
decesserit, & mox intelliges quomodo
abs te geri velit, nimirum ut summa cu-
rarum tuarum Pax sit, & concordia.
Nato iam Christo, num bellicis tubis
insonant Angeli? Clangorem tubarum
audiere Iudæi, quibus bellare permisum
est. Hæc congruebant auspicia, quibus
fas erat odiſſe inimicos. At genti pacifi-
cæ longe aliam cantionem canunt pacis
angeli. Num classicum canunt? Num vi-
ctorias, triumphos, trophæaque polli-
centur? Minime. Quid tandem? pacem
annuntiant, congruentes cum prophe-
tarum oraculis, & annuntiant non iis,
qui cædes spirant ac bella, qui feroceſ ad
arma gestiunt, ſed qui bona voluntate
propensi ſunt ad concordiam. Prætexant
quæ velint ſuo morbo mortales, ni bel-
lum amarent, non ſic jugibus bellis inter-
ſe conflictarentur. Age, Christus ipſe iam

adultus quid aliud docuit, quid aliud expressit, quam pacem? Pacis omne suos subinde salutat: *Pax vobis.* quamque salutandi formam suis prescribit, veluti unice dignam Christianis. Atque huius precepti non immemores Apostoli pacem praefantur in suis epistolis, pacem optant iis, quos unice diligunt. Rem preclaram optat, qui salutem optat, sed felicitatis summam precatur, quisquis pacem precatur. Hanc ille toties in omni vita commendatam, vide quanta sollicitudine commendet moriturus: *Diligatis, inquit, invicem, sicut dilexi vos.* Ac rursus: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Auditis quid relinquat suis? num ecos? num satellitium? num imperium? num opes? Nihil horum. Quid igitur pacem dat, pacem relinquit, pacem cum amicis, pacem cum inimicis. Iam illud mihi consideres velim, quid à cœna mystica, jam imminente mortis tempore, supremis illis precibus flagitarit à patre. Rem opinor haud vulgarem poposcit, qui se sciebat impetraturum quicquid peteret. *Pater, inquit, sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut & nos.*

Vide

Vide quæso quam insignem concordiam exigat in suis Christus. non dixit ut sint unanimis, sedut *sint unum*, neque id quo-cunque modo, sed *sicuri nos*, inquit, *u-num sumus* qui perfectissima & ineffabili ratione sumus idem, & illud obiter indicans, hac una via servandos esse mortales, si mutuam inter se pacem aluerint. Porro quod huius mundi principes insigni quopiam suos notant, quo possint à cæteris dignosci, præsertim in bello, vide qua tandem nota Christus insignierit suos, non alia videlicet, quam mutuae charitatis. *Hoc inquiens argumento cognoscere homines vos esse meos discipulos*, non si sic, aut sic vestiamini, non si his, aut his vescamini cibis, non si tantum jejunetis, non si tantum psalmorum exhauseritis, sed si dilexeritis invicem, neque id sane vulgari modo, sed *quemadmodum ego dilexi vos*. Innumera sunt philosophorum præcepta, varia sunt Moysis, plurima regum edicta; unicum est, inquit, præceptum meum, ut ametis invicem. Idem orandi formam suis prescribens, nonne in ipso statim initio mire admonet concordiae Christianæ? *Pater*, inquit, *noster*.

Unius est precatio , una communis o-
mnium est postulatio, una domus, eadem-
que familia sunt omnes , ab uno patre
pendent omnes , & qui convenit eos ju-
gibus bellis inter se se conflictari ? Quo
ore compellas communem patrem , si in
fratris tui viscera ferrum stringis ? Iam
quoniam unum hoc voluit altissime insi-
dere suorum animis , quot symbolis ,
quot parabolis , quot præceptis concor-
diæ studium inculcavit ? Se pastorem vo-
cat , suos oves . Et obsecro , quis unquam
vidit oves pugnantes cum ovibus ? Aut
quid facient lupi , si grex ipse semet in-
vicem lacerat ? cum se vitis stirpem vo-
cat , suos vero palmites , quid aliud , quam
expressit unanimitatem ? Portentum vi-
deatur piaculis procurandum , si in eadem
vite palmes cum palmite bellet , & ostend-
tum non est , si Christianus pugnet Chri-
stiano ? Postremo , siquid omnino Chri-
stianis sacrosanctum est , certe sacrosan-
ctum esse debet , ac penitus animis illo-
rum insidere , quæ Christus extremis il-
lis mandatis tradidit , veluti testamen-
tum condens , ac filiis ea commendans ,
quæ cuperet illis nunquam venire in ob-
livio-

litionem. At quid aliud in his docet, mandat, præcipit, orat, nisi mutuum inter ipsos amorem? Quid illa sacrosancti panis, & calicis Philotesij communio, nisi novam quandam, & indissolubilem concordiam sanxit? Cæterum quando sciebat non posse constare pacem, ubi de magistratu, de gloria, de opibus, de vindicta certamen est, ut penitus affectus eiusmodi revellat ex animis suorum, vetat in torum ne malo resistant, jubet ut & de malo merentibus bene mereantur, si possint, bene precentur male precantibus; & Christiani sibi videntur, qui ob quantumvis levem injuriolam magnam orbis partem in bellum pertrahunt? Præcipit ut qui in suo populo sit princeps, is ministerum agat, nec alia re præcellat aliis, nisi quod melior sit, & pluribus profit; & non pudet quosdam ob pusillam accessiunculam regni pomœriis addendam, tantos ciere tumultus? Docet avium, & liliorum ritu in diem vivere. Vetat sollicitudinem in posterium diem extendere, vult totos ē cœlo pendere: divites omnes excludit à regno cœlorum; & non verentur quidam ob pecuniolam non exolu-

tam , fortasse nec debitam , tantum hu-
mani sanguinis effundere. Atque his
temporibus hæ vel justissimæ suscipiendi
belli causæ videntur. Profecto haud a-
liud agit Christus , jubens ut unum quid-
dam à se discant , miti esse animo , mi-
nimeque feroci. Cum jubet relinquī do-
narium ad aram , nec prius offerri , quam
cum fratre redditum sit in gratiam , nonne
palam docet rebus omnibus anteponen-
dam esse concordiam ? nec ullam victi-
mam esse Deo gratam , nisi commendan-
te me ? Respuebat Deus Iudaicum mu-
nus , fortassis hædum , aut ovem , quod à
dissidentibus offerretur ; & Christiani sic
inter se belligerantes sacrosanctam il-
lam victimam audent offerre ? Iam cum
se gallinæ pullos sub alas aggreganti facit
ad similem , quam apto symbolo depin-
xit concordiam ? Ille congregator est ; &
qui convenit Christianos esse milvios ?
Eodem pertinet quod lapis dictus est an-
gularis , utrumque parietem committens
& continens ; & qui convenit ut huius
vicarii totum orbem ad arma commo-
veant ? regnaque regnis committant ?
Summum illum conciliatorem habent
princi-

principem, (ut jactant) & nullis rationibus ipsi sibi possunt reconciliari. Conciliavit ille Pilatum & Herodem, & suos in concordiam redigere non potest? Pectrum adhuc semijudæum, qui in præsentis capitinis discrimine dominum, ac præceptorem tueri parabat, objurgat ipse, qui defendebatur, gladiumque juberre condere; & Christianis ob levissimas causas nunquam non expromptus districtusque est gladius, idque in Christianos. An ille se gladii præsidio defensum velit, qui moriens deprecatur pro necis auctoribus? Omnes Christianorum literæ, siue vetus legas testamentum, siue novum, nihil aliud quam pacem, & unanimitatem crepant; & omnis Christianorum vita nihil aliud quam bella tractat. Quænam est hæc plus quam ferina feritas, quæ tot rebus nec vinci potest, nec leniri? Quin potius aut Christianorum titulo gloriari desinant, aut Christi doctrinam exprimant concordia. Quonsque vita pugnabit cum nomine? Insignite quantumlibet ædes, vestesque crucis imagine; non agnoscat Christus symbolum, nisi quod ipse præscripsit, videlicet concordiae.

Congregati vident euntem in cœlam,
congregati jubentur operiri spiritum cœ-
lestem. Et inter congregatos se semper
versaturum promiserat, ne quis speraret
usquam in bellis adesse Christum. Iam
igneus ille spiritus quid aliud est, quam
charitas? Nihil igne communius, citra
dispendium ullum ignis igni acceditur.
Vis autem cognoscere spiritum illum
concordiæ parentem esse? exitum vide.
*Erat, inquit, cunctis cor unum, & anima
una.* Tolle spiritum è corpore, continuo
delabitur omnis illa membrorum compago. Tolle pacem, & perit omnis Christianæ vitæ societas. Tot hodie sacramen-
tis infundi cœlestem spiritum affirmant
Theologi. Si verum prædicant, ubi pe-
culiaris spiritus illius effectus, cor unum
& anima una? Si fabulæ sunt, cur tan-
tum honoris hisce rebus defertur? Atque
hæc sanè dixerim, quo magis Christianos
suorum morum pudeat, non quo sa-
cramentis aliquid detrahatur. Nam quod
populum Christianum ecclesiam vocari
placuit, quid aliud quam unanimitatis
admonet? Qui convenit castris & ecclæ-
siæ? Hæc aggregationem sonat, illa dis-
fidium.

sidiū. si pars ecclesiæ gloriariſ eſſe, quid
tibi cum bellis? ſi ab ecclesia ſemotus eſſe,
quid tibi cum Christo? Si eadem omneis
habet domus, ſi communem habetis prin-
cipem, ſi eidem militatis omnes, ſi ſacra-
mentis iisdem eſtis initiati, ſi iisdem gau-
detis donativis, ſi iisdem alimini ſtipen-
diis, ſi commune petitur præmiū, quid ita
inter vos tumultuamini? Videmus inter
impios iſtos commilitones, qui mercede
ad cædis peragendæ ministerium con-
ducti veniunt, tantam eſſe concordiam,
non ob aliud, niſi quod ſub iisdem mili-
tant signis; & pietatem profitentes tot res
non conglutinant? Itane nihil agitur tot
ſacramentis? Baptismus communis o-
mnium. per hunc Christo renascimur, &
exenti mundo Christi membris inſerim-
mur. Quid autem tam idem eſſe potest,
quam eiusdem corporis membra? Ab hoc
igitur neque ſervus eſt quisquam, neque
liber, neque barbarus, neque græcus, ne-
que vir, neque fœmina, ſed omnes idem
in Christo ſunt, qui omnia redigit in con-
cordiam. Scythaſ ita jungit paululum ſan-
guinis utrinque gustati e calice, ut pro a-
mico nihil cunctentur & mortem oppe-
tere,

tere, Ethnicis etiam sancta est amicitia, quam mensa communis conciliavit; & Christianos cœlestis ille panis, ac mysticus ille calix non continet in amicitia, quam ipse sanxit Christus, quam illi quotidie renovant, ac repræsentant sacrificiis. Si nihil illic egit Christus, quorsum opus hodie tot ceremoniis? si rem seriam egit, cur sic à vobis negligitur, quasi rem ludicram ac scenicam egerit? Audet quisquam ad sacram illam mensam amicitiae symbolum, audet ad pacis convivium accedere, qui bellum destinat in Christianos? & eos parat perdere, pro quibus servandis mortuus est Christus? eorum haurire sanguinem, pro quibus suum sanguinem fudit Christus? O peccata plus quam adamantina! in rebus tam multis consortium est, & in vita tam inexplicabile dissidium. Eadem nascendi lex omnibus, eadem senescendi, moriendique necessitas. Eundem generis principem habent omnes, eundem religionis authorem, eodem omnes redempti sanguine, iisdem omnes iniciati sacris, iisdem aluntur sacramentis. quicquid ex his reddit munera, ab eodem proficiuntur.

tur fonte, & ex æquo commune est omnibus. Eadem omnium Ecclesia, denique præmium idem omnium. Quin cœlestis illa Hierusalem, ad quam suspirant vere Christiani, à pacis visione nomen habet, cuius interim ecclesia typum sustinet. Et qui sit, ut hæc tantopere discrepet ab exemplari? Adeo nihil promovit tot viis solers natura, nihil ipse Christus perfecit tot præceptis, tot mysteriis, tot symbolis? Vel ipsa mala conciliant & malos, juxta proverbium; Christianos inter se nec bona, nec mala ulla conciliant. Quid humana vita fragilius? quid brevius? quorū ea morbis, quod casibus obnoxia? Et tamen cum plus habeat ex sese malorum, quam ut ferri possit, tamen maximam malorum partem ipsi sibi accersunt dementes. Tanta cæcitas humanos animos occupat, ut nihil horum perspiciat: sic præcipites aguntur, ut omnia naturæ, Christique vincula, omnia foedera rumpant, dissecant, difringant. Pugnant pal-
fim, atque assidue, nec modus, nec finis. Colliditur gens cum gente, civitas cum civitate, factio cum factione, princeps cum principe, & ob duorum homuncio-
num.

num, qui mox velut Ephemera sint interituri, seu stultitiam, seu ambitionem res humanæ sursum, ac deorsum miscentur. Missas faciam veterū bellorum Tragœdias. Reperamus decem ab hinc annis acta. ubi non gentium crudelissime pugnatum est terra marique? Quæ regio non Christiano sanguine commaduit? Quod flumen, quod mare non humano cruento tinctum est? Et ó pudor! pugnant immanius quam Iudei, quam Ethnici, quam feræ. Quicquid bellorum Iudæis gestum est adversus Allophylos, id Christianis gerendum adversus vitia, quibus nunc vitiis convenit, cum hominibus bellum est. Et tamen Iudæos divina jussio ducebat ad pugnā. Christianos, si prætextibus detractis rem vere æstimes, transversos rapit ambitio, agit ira pessimus consultor, pertrahit habendi nunquam satiata cupiditas. Atque his fere cum exteris res erat. Christianis cum Turcis fœdus est, inter ipsos bellum. Iam Ethnicos tyrannos fere gloriæ sitis ad bellum extimulabat, atque hi tamen sic barbaras atque efferas nationes subigebant, ut vinciri expedit, .

ret, & victor de victis benemereri stude-
ret. Dabant operam ut quam fieri posset,
incruenta esset victoria, quo simul & vi-
ctori honesta fama præmium esset, & vi-
ctis solatium victoris benignitas. At pu-
det meminisse quam pudendis, quam
frivolis de causis Christiani Principes or-
bem ad arma concident. Hic obsoletum
ac putrem aliquem titulum aut reperit,
aut commentus est. quasivero ita ma-
gni referat quis regnum administret, mo-
do publicis commodis recte consulatur.
Ille causatur omissum nescio quid in fœ-
dere centum capitum. Hic illi privatim
infensus est ob sponsam interceptam, aut
scomma liberius dictum. Et quod est
omnium sceleratissimum, sunt qui tyran-
nica arte, quod populi concordia pote-
statem suam labefactari sentiant, dissi-
dio stabiliri, subornent qui data opera
bellum excitent, quo simul & coniunctos
dirimant, & infelicem populum licentius
expilent, scelestissimi quidam, qui po-
puli malis aluntur, & quibus pacis tem-
pore non multum est quod agant in Rep.
Quæ tartarea furia venenum hoc in pe-
ctus Christianum potuit immittere? Quis
hanc

hanc tyrannidem docuit Christicolas, quam nec Dionysius ullus, nec Mezen-
tius ullus novit? Bellum verius quam ho-
mines, & sola tyrannide nobiles, nec us-
quam cordati, nisi ad nocendum, nec un-
quam concordes, nisi ad opprimendam
Remp. Et hæc qui gerunt, pro Christianis
habentur? audent humano sanguine
undique polluti ad sacras ædes, ad sacras
aras accedere? O pestes in extremas in-
sulas deportandas! Si Christiani corpo-
ris unius membra sunt, cur non gratula-
tur quisque alienæ felicitati? Nunc pro-
pe justa movendi belli causa videtur re-
gnum finitimum, rebus omnibus paulo
florentius. Etenim si verum fateri volu-
mus, quid aliud commovit, & hodie
commovet tam multos ad armis lacesten-
dum Franciæ regnum, nisi quod est unum
omnium florentissimum? Nullum latius
patet, nusquam Senatus augustior, nun-
quam Academia celebrior, nusquam con-
cordia maior, & ob hoc ipsum potestas
summa: nusquam æque florent leges, nus-
quam illibatior religio, nec Iudæorum
commercio corrupta, velut apud Italos,
nec Turcarum, aut Maranorum vicinia
infecta.

infecta, quemadmodum apud Hispanos,
& Hungaros. Germania, ne quid dicam
de Bohæmis, in tot regulos dissecta est,
ac regni ne species quidem ulla. Sola
Francia ceu flos illibatus Christianæ di-
tionis, & velut arx quædam tutissima, si-
qua fors tempestas ingruat, tot modis im-
petitur, tot artibus incessitur, nec ob a-
liud, nisi cuius gratia conveniebat gratu-
lari, si qua vena Christianæ mentis esset
in istis. Atque his tam piis factis prætexi-
tur titulus pius, sic sternunt viam ad pro-
pagandum imperium Christi. O rem
monstrosam! parum consultum putant
Reip. Christianæ, nisi pulcherrimam, ac
felicissimam ditionis Christianæ partem
subverterint. Quid, quod in his tractan-
dis feras etiam ipsas feritate præcedunt?
Non omnes pugnant belluæ, nec fera-
rum nisi in diversum genus cōflictatio est.
quemadmodum & ante diximus, sæpius
inculcandum, quo magis inhæreat ani-
mis. Vipera non mordet viperam, nec
Lynx lyncem discerpit. Ac rursum illæ
cum pugnant, suis pugnant armis, illas
armavit natura: homines inermes natos,
o Deum immortalem, qualibus armis
amar

armat ira? Tartareis machinis impetunt
Christiani Christianos. Quis enim cre-
dat Bombardas hominis inventum esse?
Nec illæ tam densis agminibus in mn.
tuum exitium ruunt. Quis unquam vi-
dit decem leones cum decem tauris con-
gredi? At quoties viginti millia Christia-
norum cum totidem Christianis ferro
decertant? Tanti est lædere, tanti est
haurire sanguinem fratrum. Nec illis fere
bellum est, nisi cum famæs, aut cura so-
bolis in rabiem agit; At Christianis quæ
tam levis injuria est, ut non videatur ido-
nea bellandi occasio? Si faceret ista ple-
bes, utcunque prætexi poterat inficitia: si
juvenes, excusari poterat ætatis imperi-
tia: si prophani, non nihil elevaret atrocitatem facti personæ qualitas. Nunc ab
iis potissimum videmus oriri bellorum
semina, quorum consilio, moderatio-
neque populi motus componi convenie-
bat. Contemptum illud, & ignobile vul-
gus condit egregias urbes, conditas ci-
viliter administrat, administrando locu-
pletat. In has irrepunt satrapæ, & ceu-
fuci, quod aliena partum est industria,
surripiunt, & quod à plurimis bene con-
gestum

gestum est, à paucis male dissipatur, quod
recte conditum , crudelissime diruitur.
Quod si prisca non meminerunt, repeatar
qui volet, secum hisce duodecim annis
gesta bella. Causas expendat, comperier
omnia Principum gratia susceptra, magno
populi malo gesta, cum ne tantillum qui-
dem ad populum attinerent. Iam quod
olim fœdum habebatur apud Ethnicos,
caniciem galea premere, ut inquit ille, id
apud Christianos laudi dicitur. Turpe
senex miles Nasoni , & istis magnifica res
est bellator septuagenarius. Immo ne sa-
cerdotes quidem ipsos pudet, quos olim
Deus nec in sanguinaria illa & inclementi
lege Moysis voluit ullo sanguine pollui,
non pudet Theologos Christianæ vitæ
magistros , non pudet absolutæ religio-
nis professores , non pudet Episcopos ,
non pudet Cardinales , & Christi vicarios
eius rei auctores, ac fāces esse, quam
Christus tantopete detestatus est. Qui
convenit mitræ & galeæ? quid pedo cum
gladio? quid euangelico codici cum cly-
peo ? qui convenit pacis omne salutare
populum , & orbem ad turbulentissimas
pugnas concitare? pacem dare lingua ,
rebcl-

rebellum immittere? Tun' eodem ore,
quo Christum pacificum prædicas, bel-
lum laudas, eademque tuba Deum ca-
nis, & satanam? Tun' apud concionem
sacram cuculla rectus ad cædem incitas
simplicem populum, qui ex ore tuo do-
ctrinam expectabat euangelicam? Tun'
Apostolorū occupans locum, pugnantia
doces cum Apostolorum præceptis? An'
non vereris, ne quod de Christi præconi-
bus dictum est, *Quam speciosi pedes nun-
tiantium pacem, nuntiantiam bona, nun-
tiantium salutem*, in diversum vertatur,
quam fœda lingua sacerdotum adhortan-
tium ad bellū, incitantium ad mala, pro-
vocantiū ad perniciem? Apud Romanos
adhuc impie pios, qui pontificatum ma-
ximum iniret, ex more confirmabar
jurejurando se manus ab omni sanguine
puras servaturum, adeo ut ne læsus qui-
dem ulcisceretur. Atque huius sacra-
menti fidem constanter præsttit Titus
Vespasianus imperator Ethnicus, idque
laudi datur à scriptore Ethnico. At ô
prorsus sublatam è rebus humanis fron-
tem! apud Christianos Deo dicati sacer-
dotes, & qui his quoque sanctius aliquid
præ se

præ se ferunt monachi , ad cædes , ad strages inflammant , & Euangelii tubam Martis tubam faciunt , obliti dignitatis suæ sursum ac deorsum cursitant , nihil non tum faciunt , tum patiuntur , dum bellum excitent . & per hos Principes alio- qui fortassis quieturi , ad pugnam inflam- mantur , quorum authoritate tumultuan- tes sedari conveniebat . Immo (quod est prodigiosius) belligerantur ipsi , idque earum rerum gratia , quas & apud impios contempserat philosophi , quarumque contemptus proprius , ac peculiaris est vi- ris Apostolicis . Ante paucos annos , cum fatali quodam morbo mundus ad arma raperetur , euangelici præcones , hoc est Minores , ac Prædicatores è suggestu sa- cro classicum canebant , & ultiro ad fu- riā propensos magis accendebant . Apud Britanos animabant in Gallos , apud Gallos animabant in Britanos , omnes ad bellum instigabant . Ad pacem nemo pro- vocabat , præter unum aut alterum , qui- bus pene capitale fuit me vel nominasse . Cursitabant ultiro , citroque sacrosancti præsules , & dignitatis , & professionis suæ obliti , publicum orbis morbum opera

opera sua exacerbantes, tum hinc Iulium Pontificem Romanum, hinc Reges ad maturandum bellum instigantes, perinde quasi non satis ipsi sua sponte insanirent, & tamen hanc manifestariam infamiam magnificis titulis præteximus. Huc patrum leges, huc piorum hominum scripta, huc arcanæ scripturæ verba impudentissime detorquemus, ne dicam impie. Immo iam eo prope rediit res, ut stultum & impium sit adversus bellum hiscere, & id laudare, quod solum ore Christi laudatum est. Parum consulere populo, parum favere Principi videtur, qui suaserit rem omnium saluberrimam, & ab omnium pestilentissima dehortetur. Iam ipsa castra sequuntur sacrifici, præsunt in castris Episcopi, & relictis ecclesiis suis Bellonæ rem agunt. Immo gignit Cardinales, quibus Campi legatus honorificis titulis, & Apostolorum successoribus dignus habetur. Quo minus mirum, si Martem spirant, quos Mars genuit. Et quo malum sit insanabilius, tantam impietatem pietatis specie prætexunt. vexilla crucem habent. miles impius, & nummis aliquot ad lanienam, ac cædem

cædem conductus , crucis insigne præfert , & belli symbolum est , quod solum dedocere bellum poterat. Quid tibi cum cruce scelerate miles? istis animis, istis factis dracones, tigrides, ac lupi conveniebant. Istud signum eius est, qui non pugnando , sed moriendo vicit , qui servavit , non perdidit, quodque cum primis admonere te poterat cum quibus hostibus tibi res sit (si modo Christianus es) & qua ratione vincendum sit. Tu salutis insigne gestas ad fratris perniciem prope- rans ? & cruce perdis , qui cruce servatus est ? Quid , quod ab arcanis illis , & adorandis sacris , (nam hæc quoque pertrahuntur in castra) in quibus in primis summa Christianorum concordia representa- tur , curritur in aciem ? dirum ferrum in fratris viscera stringitur ? & facinoris omniū sceleratissimi , quo non aliud esse potest impiis spiritibus gratius , Christum faciunt spectatorem ? si tamen illic dignatur adesse Christus. Denique (quod est omnium absurdissimum) in utrisque castris , in utraque acie crucis signum re- lucet , in utrisque sacra. Quid hoc mon- stri est ? pugnat crux cum cruce , Christus
adver-

adversus Christum belligeratur. Hoc signum Christiani nominis hostes terrere solet. Cur nunc oppugnant, quod adorant? homines non una digni cruce, sed vera. Quæso, quid in hisce sacris orat miles? *Pater noster?* Os durum, audes eum appellare patrem, qui fratris tui jugulum petis? *Sanctificetur nomen tuum.* qui magis de honestari poterat nomen Dei, quam istiusmodi inter vos tumultibus? *Adveniat regnum tuum.* Sic oras, qui tanto sanguine tyrannidem tuam moliris? *Fiat voluntas tua,* quemadmodum in cœlo, ita & in terra. pacem vult ille, & tu bellum paras? *Panem quotidianum à communi patre petis,* qui fraternalis exuris segetes, & tibi quoque mavis perire, quam illi prodeesse? Iam quoniam ore dices illud? *Et dimitte nobis debita nostra,* sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, qui ad parricidium festinas? Deprecaris periculum temptationis, qui tuo periculo fratrem in periculum pertrahis? A malo liberari postulas, cuius instinctu summum malum fratri machinaris? Plato negat appellandum bellum, quod Græci moveant adversus Græcos. Seditio est, inquit.

inquit. Et istis sanctum etiam bellum est , quod ob quaslibet causas tali mili- te , talibus armis , cum Christiano gerit Christianus ? Ethnicorum leges culleo insutum in profluentem abjiciunt , qui ferrum fraterno sanguine imbuerit. An minus fratres sunt , quos Christos copu- lavit , quam quos sanguinis propinquitas ? Et tamen hic præmium est parrici- dio. O miseram bellantium sortem ! Qui vincit , parricida est ; qui vincitur , perit , nihil secius parricidio obnoxius , quod parricidium conatus est. Et post hæc exe- crantur Turcas velut impios , & à Chri- sto alienos , quasi vero cum hæc agunt , ipsi Christiani sint , aut quasi Turcis ul- lum spectaculum exhiberi possit jucun- dius , quam si conspiciant illos mutuis telis se se confodientes. Immolant Tur- cæ dæmonibus . at cum his nulla victima sit acceptior , quam si Christianus ma- ceter Christianum , quæso quid aliud fa- cis , quam illi ? Tum enim gemina fruun- tur hostia spiritus impii , cum pariter & qui mactat , & qui mactatur , sit victima . Si quis Turcis favet , si quis amicus est dæmonibus , hostias huiusmodi frequen- C ter

ter offerat. Sed audio iamdudum quid excusent homines in suum ipsorum malum ingeniosi. Cogit se queruntur, & invitatos ad bellum pertrahi. Detrahe personam istam, abjice fucos, tuum ipsius pectus consule, reperies iram, ambitionem, stultitiam huc pertraxisse, non necessitatem; nisi forte hac fine necessitatem metiris, si non per omnia satisfiat animo. Ad populum phaleras: Deus fucis non diluditur. Atque interea solemnes aguntur supplicationes, magnis clamoribus petitur pax, vociferantur immani boatu: *ut pacem nobis dones, te rogamus, audi nos.* Nonne jure optimo Deus istis responderit: Quid me ridetis? Rogatis ut depellam, quod ipsi vobis accersitis volentes. Deprecamini, cuius ipsi vobis estis auctores. Si quilibet offensa bellum parit, cui tandem non est quod queratur? Inter uxorem & maritum incidentur, ad quæ sit connivendum, nisi malis dirimi benevolentiam. Quod si quid eiusmodi sit ortum inter principes, quid opus erat mox ad arma rapi? Sunt leges, sunt homines eruditi, sunt venerandi Abbates,

sunt

sunt reverendi Episcopi, quorum salubri consilio tumultus rerum componi poterat; cur non hos potius arbitros faciunt, quos haud possint tam iniquos nancisci, quin minore malo discessuri sint, quam si armis experiantur? Vix ulla tam iniqua pax, quin bello vel equissimo sit potior. Prius expēde singula, quæ bellum vel postular, vel adducit, & quantum lucri feceris, intelliges. Summa Romani Pontificis auctoritas. Ast cum gentes, cum principes impiis bellis tumultuantur, idque annos aliquot, ubi tum Pontificum auctoritas, ubi potestas Christo proxima? Hic certe erat ex promenda, nisi ipsi similibus tenerentur cupiditatibus. Vocat Pontifex ad bellum; paretur. Vocat idem ad pacem; cur non obtemperatur itidem? Si pacem malunt, cur Iulio bellandi auctori tam alacriter obeditum est? Leoni ad pacem, & concordiam provocanti vix quisquam obtemperat? Si vero sacrosancta est Romani Pontificis auctoritas, certe maxime valere par est, quoties ad id provocat, quod unice docuit Christus. Cæterum quos Iulius ad bel-

lum exitiale potuit excitare, cum Leo
sanctissimus Pontifex non idem possit
tot modis ad Christianam concordiam
provocans, declarant sese ecclesiæ præ-
textu suis servisse cupiditatibus, ne quid
dicam acerbius. Si ex animo tædet bel-
lorum, dabo consilium, quo concordiam
tueri possitis. Solida pax haud constat
affinitatibus, haud fœderibus homi-
num, ex quibus frequenter exoriri bel-
la videmus. Repurgandi fontes ipsi, un-
de malum hoc scatet, pravæ cupiditates
tumultus istos pariunt. Et dum quis-
que suis inservit affectibus, interim af-
fligitur Resp. nec tamen assequitur hoc
ipsum quisque, quod malis rationibus
affectat. Sapient principes, & populo
sapient, non sibi, ac vere sapient, ut ma-
jestatem suam, ut felicitatem, ut opes, ut
splendorem his rebus metiantur, quæ
vere magnos & excellentes faciunt. Sint
eo animo erga Remp. quo pater erga
familiam. Ita se magnum existimet rex,
si quam optimis imperet; ita felicem,
si suos felices reddiderit; ita sublimem,
si quam maxime liberis imperet; ita o-
pulentum, si populum habeat opulen-
tum,

tum ; ita florentem , si civitates perpetua pace florentes habeat. Atque hunc principis animum imitentur proceres , ac magistratus , omnia Reip. commodis metiantur , & hac via rectius suis consulerint commodis. Rex , qui hoc sit animo , num is facile commovebitur ut pecuniam à suis extorqueat , quam barbaro militi numeret ? Suos ad famem adiger , ut impios aliquot duces ditet ? Num is suorum vitam tot periculis objicit ? Non opinor. Hactenus exerceat imperium , ut meminerit se hominem imperare hominibus , liberum liberis , postremo Christianum Christianis. Huic vicissim tantum deferat populus , quatenus ad publicam utilitatem conductit . non aliud exiget bonus princeps : mali vero cupiditates retunder civium consensus. Absit utrinque privati comodi ratio. Plurimum honoris habeatur iis , qui bellum excluserint , qui concordiam restituerint ingenio , consilive suo ; denique qui hoc modis omnibus moliatur , non ut maximam militum , ac machinarum vim comparet , sed ut iis non sit opus . Quod pulcher-

rimum facinus tot imperatorum unus
 Diocletianus animo concepsisse legitur.
 Quod si bellum vitari non potest, ita
 geratur, ut summa malorum in eorum
 capita recidat, qui belli dedere causas.
 Nunc principes tuti belligerantur, du-
 ctores hinc crescunt, maxima malorum
 pars in agricultores, ac plebem effundi-
 tur, ad quos nec attinet bellum, nec
 ipsi belli causam ullam dederunt. Ubi
 principis sapientia, si haec non perpen-
 dit? ubi principis animus, si haec levi-
 ter dicit? Invenienda ratio, qua fiat
 ne toties mutentur, ac velut obambu-
 lent imperia, quod omnis rerum nova-
 zio tumultum gignat, tumultus bel-
 lum. Id facile fiat, si regum liberi intra-
 ditionis fines elocentur, aut si quem
 libeat finitimus adiungere, spes omni-
 bus successionis praecisa esto. Nec fas
 sit principi ditionis portionem ullam
 vendere, aut alienare, perinde quasi pri-
 vata sint prædia, liberæ civitates. Nam
 liberæ sunt, quibus Rex imperat; ser-
 viunt, quos tyrannus premit. Nunc hu-
 iusmodi matrimoniorum vicibus fit, ut
 apud Hybernos natus repente imperer

Indis,

Indis, aut qui modo Syris imperabat, subito rex sit Britanniæ. Fitque ut neutra regio principem habeat, dum priorem relinquit, & à posteriore non agnoscitur, nimirum ignotus, alioque mundo natus. Atque interim dum illud parit, dum evincit, dum stabilit, alterum exhaurit, proteritque, nonnunquam amittit utrumque, dum utrumque complecti studet, vix alteri administrando idoneus. Semel inter principes conveniat, quid quisque debeat administrare, ac ditionis fines semel datos nulla proferat, aut contrahat affinitas, nulla convellant foedera: ita suam quisq; portionem enitetur quam potest ornatissimam reddere, dum in unam omne studium intendet, hanc conabitur rebus optimis locupletatam suis liberis relinquare. Atque hoc sane pacto futurum est ut ubique floreant omnia. Cæterum inter se non affinitatibus, aut factitiis sodalitatibus, sed sincera puraque amicitia copulentur, maximeque simili, communique studio benemerendi rebus humanis. Principi vero succedat vel qui genere proximus, vel populi suffragiis

fragiis maxime judicabitur idoneus. Ceteris sat sit inter honestos haberi processus. Regium est nescire privatos affectus, & omnia publicis commodis estimare. Ad hæc, longinquas peregrinationes vitet princeps, immo pomœria regni nunquam transire velit, meminere itque dicti longo sæculorum consensu probati: *Frons occipitio prior est.* Locupletatum se existimet, non siquid aliis ademerit, sed si sua reddiderit meliora. Cum de bello agitur, ne adhibeat in consilium juvenes, quibus ideo bellum placet, quod experti non sunt quantum habeat malorum, neve eos, quibus expedit turbari publicam tranquillitatem, quiique populi calamitatibus aluntur, ac saginantur. Senes cordatos, & integros accersat, & quorum pietas patriæ spectata sit. Nec temere ad unius, aut alterius libidinem bellum moveatur; quod semel cœptum haud facile finitur. Res omnium periculosissima non nisi totius populi consensu suscipiatur. Belli causæ statim prædicendæ sunt. Ad quædam convivendum, comitas comitatem invitabit. Non nunquam emenda pax.

Ea,

Ea, si ratione subduxeris quid bellum fuerit exhausturum, & quot cives ab exitio serves, parvo empta videbitur, etiam si magno emeris, quando præter civium tuorum sanguinem plus erat bello impendendum. In eas rationem quantum malorum vitaris, quantum bonorum tuearis, & impendii non pœnitentibit. Fungantur interim suo officio præfules, sacerdotes vere sint sacerdotes: monachi professionis suæ ineminerint: theologi quod Christo dignum est, doceant. Conspirent omnes adversus bellum, in hoc latrent omnes. Pacem publice, privatimque prædicent, efferant, inculcent: Tum si minus possint efficerne ferro decernatur, certe ne probent, ne intersint, ne rei vel tam sceleratæ, vel certe tam suspectæ ipsis authoribus honos habeatur. Satis sit in bello cæsis in prophano sepulchrum dari. Siqui boni sunt in hoc genere, qui certe paucissimi sunt, non ob hæc fraudabuntur suo præmio. Cæterum impii, quæ maxima turba est, minus sibi placebunt, honore detracto. De his bellis loquor, quæ vulgo Christiani cum Christianis committunt.

tunt. Nec enim idem sentio de his , qui simplici , pioque studio vim incurvantium barbarorum depellunt , & suo periculo publicam tranquillitatem tueruntur. Nunc trophyæ sanguine tincta eorum , pro quorum salute Christus suum fudit sanguinem , reponuntur in templis , inter Apostolorum , ac martyrum statuas , quasi posthac pium sit futurum non fieri martyres , sed facere. Abunde magnum erat hæc in foro , aut armario quopiam reposita servari in sacras ædes , quas purissimas esse decet , nihil recipi convenit , quod sanguine sit inquinatum. Sacerdotes Deo sacri nusquam adsint , nisi ad dirimenda bella. In hæc si consentiant , si eadem ubique inculcent , plurimum habitura momenti est. Quod si hic fatalis est humani ingenii morbus , ut prorsus absque bellis durare nequeat , quin potius malum hoc in Turcas effunditur , tametsi præstabat & hos doctrina , benefactis , vitaque innocentia ad Christi religionem allucere , quam armis adoriri. Attamen si bellum , ut diximus , omnino vitari non potest , illud certe levius sit malum ,

quam

unam sic impie Christianos inter se
committi , collidique. Si mutua chari-
tas illos non adglutinat , certe conjun-
get utcunque communis hostis: & qua-
liscunque syncretismus erit , ut absit ve-
ra concordia. Postremo magna pars pa-
cis est ex animo velle pacem. Quibus
enim pax vere cordi est , hi omnes pa-
cis occasiones arripiunt ; quæ obstant,
aut negligunt, aut amoliuntur: permul-
ta ferunt , dum tantum bonum sit inco-
lume. Nunc ipsi bellorum seminaria
quærunt; quod ad concordiam facit, e-
levant, aut dissimulant etiam : quod ad
bellum tendit, ultro exaggerant, exul-
cerantque. Pudet referre ex cuiusmodi
nugis quantas excitent tragœdias , & ex
quam minuta scintillula quæ rerum
tempestates exoriantur. Tunc illud in-
juriarum agmen venit in mentē, & suum
quisque malum sibi exaggerat. At bene-
factorum interim profunda oblivio , ut
jures affectari bellum. Et sæpe princi-
pum privatum quiddam est , quod or-
bem ad arma compellit. At plusquam
publicum esse debet , ob quod bellum
fuscipliatur. Quin ubi nihil subest causæ,

ipſi diſſidiorum cauſas ſibi ſingunt, re-
gionum vocabulis ad odiorum alimo-
niam abutentes; & hunc ſtultæ plebis
errorem alunt magnates, & in ſuum ab-
utuntur compendium; alunt ſacerdo-
tes quidam. Anglus hostis eſt Gallo, nec
eō aliud, niſi quod Gallus eſt. Scoto
Britanus iinfensus eſt, nec aliam ob rem,
niſi quod Scotus eſt. Germanus cum
Franco diſſideret, Hispanus cum utroque.
O pravitatem! Diſjungit inane loci vo-
cabulum, cur non potius tot res conci-
lliant? Male viſ Britanus Gallo, cur non
potius bene viſ homo homini? Christianus
Christiano? Cur res frivola plus
apud iſtos potest, quam tot naturæ ne-
xus? tot Christi vincula? Locus cor-
pora dirimit, non animos. Separabat o-
lim Rhenus Gallum à Germano; at Rhei-
nus non separat Christianum à Christia-
no. Pyrenæi montes Hispanos ab Italib
ſejungunt; at iidem non dirimunt Ec-
clesiæ communionem. Mare dirimit An-
glos à Gallis; at non dirimit religionis
ſocietatem. Paulus Apoſtolus indigna-
tur audire inter Christianos has voceſ:
*Ego ſum Apollo, ego ſum Cepha, ego ſum
Pauli,*

Pauli. nec in pia cognomina sinit secari Christum omnia conciliantem ; & nos commune patriæ vocabulum gravem causam judicamus cur gens in gentis internectionem tendat ? Ne id quidem sat is nonnullorum animis bellorum avidis. prave , dataque opera dissidiorum ansas quærunt, ipsam dividunt Galliam, & ea vocabulis distrahunt, quæ nec mat ria , nec montes , nec vera regionum nomina distrahunt. E Gallis Germanos faciunt, ne vel nominis consortio coalescat amicitia. Si in actionibus odio sis , velut divertii , nec litem facile recipit judex , nec quamlibet admittit probationem ; cur isti in re omnium odiosissima quamlibet frivolam causam admittunt ? Quin potius id , quod res est , cogitant , mundum hunc communem esse patriam omnium , si patriæ titulus conciliat : ab iisdem maioribus ortos omneis , si facit amicos sanguinis affinitas : Ecclesiam unam esse familiam , ex æquo communem omnibus , si domus eadem copulat necessitudines. In hanc partem ingeniosos esse par est. Toleras quædam in socero non ob aliud , nisi

nisi quod sacer est, & nihil toleras in eo, qui religionis consortio frater est? Multa condonas generis propinquitati, & nihil condonas affinitati religionis? Certe nullum vinculum arctius alligat, quam Christi sodalitas. Cur id solum oculos obversatur, quod animum exulcerat? Si paci faves, sic cogita potius: In hoc læsit, sed saepe alias profuit, aut alieno impulsu læsit. Postremo, quemadmodum apud Homerum dissidii causas, quod inter Agamemnonem, & Achillem intercesserat, in Aten deam reiciunt, qui vocant ad concordiam: ita quæ excusari non possunt, aliquando fatis imputentur, aut malo cuiquam si liber Genio, & in hæc odium ab ipsis hominibus transferatur. Cur magis ad perniciem suam sapiunt, quam ad tuendam felicitatem? cur ad malum, quam ad bonum sunt oculatores? Qui paulo cordatores sunt, expendunt, considerant, circumspiciunt, prius quam privatum quodque negotium aggrediantur. Et clausis oculis præcipites in bellum ipsi sese conjiciunt, præsertim cum semel admissum excludi non possit.
quin

quin è pusillo sit maximum , ex uno plura , ex incruento cruentum ; maxime cum hæc procella non unum , aut alterum affligat , sed universos pariter involvat . Quod si vulgus hæc parum expendit , certe principis & optimatum partes sunt , hæc secum reputare . Sacerdotum est ista rationibus omnibus infuscire , volentibus ac nolentibus ingere . Hærebunt tandem , si nusquam non audiantur . Ad bellum gestis ? pri-
mum inspice cuiusmodi res sit pax , cu-
iusmodi bellum , quid illa bonorum ,
quid hoc malorum secum vehat , atque ita rationem ineas num expedit pacem bello permutare . Si res quædam admirabilis est regnum undique rebus optimis florens , bene conditis urbibus , bene cultis agris , optimis legibus , honestissimis disciplinis , sanctissimis moribus ; cogita tecum , hæc felicitas mihi perturbanda est , si bello . Contra , si quando conspexisti ruinas urbium , dirutos vi-
cos , exusta fana , desolatos agros , & id spectaculum miserandum (ut est) visum est , cogita hunc esse belli fructum . Si grave judicas sceleratam condicitionem .

rum militum colluviem in tuam regionem inducere, hos civium tuorum malo alere, his inservire, his blandiri, immo horum arbitrio te ipsum, actuam incolumitatem committere; fac cogites hanc esse belli conditionem. Si abominaris latrocinia; haec docet bellum. Si execraris parricidium; hoc in bello discitur. Nam qui vereatur unum occidere commotus, qui levi authoramento conductus tot homines jugulat? Si praesentissima Reip. pestis est legum neglectus; silent leges inter arma. Si fœdum existimas stuprum, incæstum, & his turpiora; horum omnium bellum magister est. Si fons omnium malorum est impietas, & religionis neglectus; haec belli procellis prorsus obruitur. Si judicas pessimum esse Reipub. statū cum plurimum possunt, qui pessimi sunt; in bello regnant sceleratissimi, & quos in pace suffigas in cruce, horum in bellis primaria est opera. **Quis** enim melius per devia ducet copias, quam latro exercitatus? **Quis** fortius diripiet ædes, aut spoliabit templa, quam parietum perfoscar, aut sacrilegus? **Quis** animosius

sius feriet hostem, & hauriet ferro vitalia, quam gladiator, aut parricida? Quis æque idoneus ad injiciendum ignem urbibus, aut machinis, quam incendiarius? Quis æque contemnet fluctus, marisque discrimina, ac pirata diutinis prædationibus exercitus? Vis palam cernere quam res sit impia bellum? animadverte per quos geritur. Si pio principi nihil antiquius esse debet, quam suorum incolumentas; huic bellum in primis invisum sit oportet. Si principis felicitas est imperare filiabus; pacem potissimum amplecti deberet. Si præcipue optandum bono principi ut imperet quā optimis; bellum detestetur oportet, unde scaret omnis impietatis sentina. Si suas opes esse putet quicquid cives possident; bellum omnibus rationibus vitet, quod ut felicissime cadat, certe facultates omnium atterit: & quod honestis attibus partum est, in immenses quosdam carnifices erogandum. Iam illud etiam atque etiam perpendant, suam cuique blandiri causam, & suam cuique spem arridere; cum illa sæpenumero pessima sit, quæ commoto videa.

videatur æquissima , & hæc non raro fallit. Sed finge causam justissimam, finge exitum belli prosperrimum, rationem fac ineas omnium incommodorū, quibus gestum est bellum , & commodatum , quas peperit victoria, & vide num tanti fuerit vincere. Vix unquam victoria contingit incruenta. Iam habestuos humano sanguine pollutos. Ad hæc, supputa morum publicæque disciplinæ jaçturam , nullo compendio sarcientam. Exhauris tuum fiscum , expilas populum, oneras bonos, ad facinus excitas improbos. neque vero confecto bello protinus & belli reliquiae sopitæ sunt. Obsolescunt artes , intercluduntur negotiatorum commercia. Ut hostem includas, prius temetipsum è tot regionibus cogeris excludere. Ante bellum omnes finitimæ regiones tuæ erant. pax enim rerum commerciis facit omnia communia. vide quantam rem egeris. nunc vix tua est , quæ maxime tua est ditio. Ut oppidulum excindas , quot machinis , quot tentoriis opus est? Imitatitiam urbem facias oportet, ut veram evertas ; at minoris aliud verum oppidum

dum extrui poterat. Ne liceat hosti pro-
dire ex oppido , tu exulà patria sub dio-
dormis. Minoris constaturum erat æ-
dificare nova mœnia , quam ædificata
machinis demoliri. Ut ne computem
hic quot pecuniarum effluit inter exi-
gentium , recipientium, ac ducum digi-
tos, quæ sane pars est non minima.
Quod si horum singula ad verum cal-
culum revoces, ni compereris decima
impendiorum parte pacem redimi po-
tuisse, patiar æquo animo me profligari
undique. Sed parum excelsi animi tibi
videare, si quid remittas injuriarum.
Immo nullum est certius argumentum
humilis animi , minimeque regii, quam
ulcisci. Maiestati tuæ non nihil decede-
re putas , si cum finitimo principe agens,
& fortasse cognato , aut affini , fortassis
alias bene de te merito , de tuo jure de-
cedas aliquantulum. At quanto humi-
lius dejicis majestatem tuam , dum bar-
baris cohortibus , & infimæ scelerato-
rum feci nunquam explendæ auro sub-
inde litare cogeris ? dum ad Cares vilif-
fimos , simul ac nocentissimos blandus
ac supplex mittis legatos , dum tuum
ipsius

ipsius caput, dum tuorum fortunas illorum credis fidei, quibus nihil est neque pensi, neque sancti. Quod siquid iniquitatis videbitur habere pax, cave sic cogites, hoc perdo, sed tanti pacem emo. At dixerit argutior aliquis: Facile donarim, si res ad me privatim pertineat. princeps sum, negotium publicum, velim nolim, ago. Non facile bellum suscipiet, qui nihil, nisi publicum spectat. Atqui contra videmus omnes belli causas ex his rebus nasci, quæ nihil ad populum pertineant. Vis hanc, aut illam ditionis partem vindicare; quid istud ad populi negotium? Vis ulcisci, qui filiae renuntiavit; quid hoc ad Remp.? Hæc expendere, hæc perspicere, vere sapientis, vereque magni est principis. Quis vñquam aut latius imperavit, aut splendidius Octavio Augusto? at is cupiebat etiam deponere imperium, si quem vidisset Reip. magis salutarem principem. Merito laudata est ab egregiis auctoribus vox illa cuiusdam Imperatoris: *Pereant, inquit, filii mei, si quis alius melius sit Reip. consulturus.* Hos animos Reip. prestatuerunt homines impii,

impii , quod ad Christi religionem attinet ; & Christiani principes usque adeo vilem ducunt populum Christianum, ut gravissimo orbis incendio privatas suas cupiditates vel ulcisci velint , vel explere ? Iam audio quosdam ita tergiversantes, ut negent se tutos esse posse, nisi vim improborum acriter propellant . Cur igitur inter innumeros Imperatores Romanos soli Antonini , pius, & philosophus petit non sunt ? nisi quod nemo tutius regnat , quam qui paratus est & deponere , ut pote quod Reip. gerat, non sibi . Quod si nihil vos movet neque naturæ sensus , neque pictatis respectus , neque tanta calamitas ; certe Christiani nominis probrum animos vestros in concordiam redigat . Quota mundi portio tenetur à Christianis ? Atque hæc ramen est illa civitas in ædito monte sita , spectaculum facta Deo , & hominibus . At quid sentire putandū est , quid loqui , quæ probra in Christum evomere Christiani nominis hostes , ubi vident Christianos sic inter se concertare levioribus de causis quam Ethnici , crudelius quam impii , machinis tetrioribus quam ipsi ?

ipſi? Quorum inventum eſt Bombarda? Nonne Christianorum? Et quo res ſit indignior, his induntur Apostolorum nomina, inſculpuntur imagines. O crudelis irrisio! Paulus ille pacis hortator perpetuus tartaream machinam torquer in Christianum? Si cupimus Turcas ad Christi religionem adducere, prius ipſi ſimus Christiani. Nunquam hoc illi credent, ſi quod eſt, perſpiciant nuſquam magis ſævire, quam apud Christians, id quod Christus unum omnium maxime detestatus eſt. Et quod Homericus Ethnicus demiratur in Ethnicis, cum ſuavium etiam rerum ſatietas ſit, ſomni, cibi, potus, choreæ, muſices; belli infelicis nullam eſſe ſatiatem, id apud eos veriſimum eſt, quibus ipſum etiam belli vocabulum abominandum eſſe oportuit. Roma furiosa quondam illa bellatrix, tamen Iani ſui templum aliquoties vidit clauſum. Et qui conve-nit apud vos nullas eſſe bellandi ferias? Quonam ore prædicabitis eis Christum pacis auctorem, ipſi perpetualiſſi diſſidiis inter vos tumultuantes? Iam quos putatis animos addit Turcis yeftra diſcordia?

Nihil

Nihil enim facilius, quam vincere dis-
sidentes. Vultis illis esse formidabiles?
concordes estote. Cur ultro vobis &
præsentis vitæ jucunditatem invidetis,
& à futura felicitate vultis excidere?
Multis malis per se obnoxia est vita
mortaliū, magnam molestiæ partem
adimet concordia, dum mutuis offi-
ciis, aliis alium, aut consolatur, aut
juvat. Si quid boni obtinget, id tum
suavius, tum communius reddet con-
cordia, dum amicus impartit amico, &
benevolus benevolo gratulatur. Quam
frivola sunt, quamque mox peritura, pro
quibus inter vos tumultus est? mors om-
nibus imminet, non minus regibus,
quam plebeiis. Quo^s tumultus ciet ani-
malculum mox fumi in morem evanitu-
rum? In foribus adest æternitas. Quor-
sum attinet pro rebus istis umbraticis
periude moliri, quasi vita hæc esset im-
mortalis? O miseros, qui felicem illam
piorum vitam non credunt, aut non
sperant impudentes, qui sibi pollicentur
è bellis ad eam iter esse, cum illa nihil
sit aliud, quam ineffabilis quædam fe-
licium animorum communio, cum jam
ad ple-

ad plenum continget , quod Christus
tam enixe rogaverat patrem cœlestem,
ut sic inter se jungerentur illi , quemad-
modum ipse patri junctus esset . Ad hanc
summam concordiam qui possitis esse
idonei , nisi eam interim pro virili me-
ditemini ? Ut non subito ex spurco hel-
luone fit angelus ; ita non subito ex bel-
latore sanguinario martyrum , ac divo-
rum socius . Eia satis jam superque fu-
sum est Christiani , si parum est , huma-
ni sanguinis , satis in mutua debaccha-
rum exitia , satis haec tenus futiis , Orco-
que litatum , satis diu quæ Turcarum
pascat oculos , acta est fabula . Saltem
aliquando post nimium diu toleratas
bellorum miseras resipiscite . Quicquid
haec tenus insanitum est , fatis impute-
tur : placeat Christianis quæ quondam
prophanis placuit , superiorum malorum
oblivio . posthac communibus consiliis
in pacis studium incumbite . Et sic in-
cumbite , ut non stuppeis , sed solidis at-
que adamantinis vinculis coëat , nun-
quam dirumpenda . Vos appello princi-
pes , de quorum nutu potissimum pen-
dent res mortaliū , qui Christi princi-
pis

pis imaginem inter mortales geritis, agnoscite regis vestri vocem ad pacem vocantis. Existimate totum orbem diutinis fessum malis hoc à vobis flagitare. Siquid cui dolet etiam, æquum est hoc publicæ omnium felicitati, donare. Maius est negotium, quam ut levibus causis debeat retardari. Appello vos sacerdotes Deo sacri; hoc studiis omnibus exprimit, quod Deo gratissimum esse scitis: hoc depellite, quod illi maxime invisum. Appello vos Theologi; pacis Euangelium prædictate, hanc semper popularibus auribus occinite. Appello vos Episcopi, aliique dignitate Ecclesiastica præminentibus; ad pacem æternis vinculis astringendam vestra valeat auctoritas. Appello vos primates, & magistratus, ut sapientiæ Regum, ut pietati Pontificum vestra voluntas sit adiutrix. Vos appello promiscue, quicunque Christiano nomine censemus, consentientibus animis in hoc consiprate. Hic ostendite quantum valeat adversus potentum Tyrannidem multitudinis concordia. Huc pariter omnes omnia sua conferant. Iungat æterna concordia, quos

D.

tam

tam multis rebus coniunxit natura, plu-
ribus Christus. Communibus studiis a-
gant omnes, quod ad omnium exæquo
felicitatem pertinet. Huc invitant o-
mnia, primum ipse naturæ sensus, atque
ipsa (ut ita dicam) humanitas: deinde to-
tius humanæ felicitatis princeps, & au-
ctor Christus: adhæc, tam multa pacis
commoda, tot belli calamitates. Vocant
huc ipsi principum animi, iam velut af-
flante Deo ad concordiam propensi. En-
pacificus ille, placidusque L E O signum
omnibus extulit ad pacem invitans, ve-
reque Christi vicarium agens. Si vere
oves estis, sequimini pastorem. Si filii,
audite patrem. Vocat huc ille non ti-
tulo tantum Christianissimus Galliarum
Rex F R A N C I S C U S, qui pacem nec
emere gravatur, nec usquam suæ ma-
iestatis habet rationem, modo publicæ
paci consulat, hoc denique vere splendi-
dum ac regium esse dicens, de genere
humano quamoptime mereri. Vocat
huc clarissimus princeps C A R O L U S,
incorruptæ indolis adolescens. Nec ab-
horret Cæsar M A X I M I L I A N U S.
Nec detractat inclytus Angliæ Rex

HEN-

HENRICUS. Tantorum principum exemplum cæteros libenter imitari par est. Maxima plebis pars bellum detestatur, pacem orat. Pauculi quidam modo, quorum impia felicitas à publica pendet infelicitate bellum optant. Quorum improbitas ut plus valeat, quam bonorum omnium voluntas, æquum sit, nec ne, vos ipsi expendite. Videlis haec tenus nihil actum fœderibus, nihil promotum affinitatibus, nihil vi, nihil ulciscendo. Nunc contra periculum facite quid possit placabilitas, quid beneficentia. Bellum è bello feritur, ultio trahit ultiōnem. Nunc gratia gratiam pariat, & beneficium beneficio invitetur, isque regalior videatur, qui plus de suo iure concesserit. Non successit quod humanis studiis gestum est: at fortunabit ipse Christus pia concilia, quæ se auctore & auspice viderit suscipi. Aderit dexter, aspirabit, favebitque faventibus ei rei, cui favit ipse plurimum. privatos affectus publica vincat utilitas. Quanquam dum huic consulitur, & sua cuique fortuna melior reddetur: principibus regnum erit augustius, si piis ac felicibus

licibus imperent, ut legibus regnent
magis, quam armis: proceribus maior,
veriorque dignitas: sacerdotibus otium
tranquillius: populo quies uberior, &
ubertas quietior: nomen Christianum
formidabilius crucis hostibus. Denique
singuli singulis, & omnes omnibus
cari simul & iucundi eritis, super
omnia Christo grati, cui pla-
cuisse summa felici-
tas est.

D L X I.

DESIDERII
E R A S M I
Roterodami
ENCOMIUM
MORIAE,
Sive
DECLAMATIO
In laudem
STULTITIAE.
*Eiusdem libelli de ratione
studiorum.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE
ANNO CIO CI CXLII.

Phædrus lib. III. Fabul. Æsopicar.

Suspicio ne stet quis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune
omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam:
Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam & mores hominum o-
stendere.

Querolus Prologo.

In ludis autem ac dictis antiquam nobis
veniam exposcimus,
Nemo sibimet arbitretur dici, quod nos po-
pulo dicimus.
Neque propriam sibimet causam constituat
communi ex ioco,
Nemo aliquid recognoscat, nos mentimur o-
mnia.

ERASMI ROTEROD.

Præfatio

IN ENCOMIUM
MORIÆ.

Erasmus Roterodamus Tho-
mæ Moro suo. S. D.

Vperioribus diebus cum
me ex Italia in An-
gliam recipere, ne to-
tum hoc tempus, quo e-
quo fuit insidendum,
apresois & illiteratis fa-
bulis tereretur, malui mecum aliquoties
vel de communibus studiis nostris ali-
quid agitare, vel amicorum (quos hic ut
doctissimos, ita suavissimos reliqueram)
recordatione frui. Inter hos tu, mi Mo-
re, vel in primis occurrebas. Cuius e-
quidem absentis absens memoria, non
aliter frui solebam, quam presentis præ-
sens consuetudine consueveram: qua dis-
pereum, si quid unquam in vita conti-
git mellitus. Ergo quoniam omnino a-

A 2

liquid

P R A E F A T I O.

liquid agendum duxi, & id tempus ad seriam commentationem parum videbatur accommodatum, visum est Moriae encomium ludere. Quæ Pallas istuc tibi misit in mentem inquies? Primum admonuit me Mori cognomen tibi gentile, quod tam ad Moriae vocabulum accedit, quam es ipse à re alienus. Es autem vel omnium suffragiis alienissimus. Deinde suspicabar, hunc ingenii nostri lusum, tibi præcipue probatum iri, propterea quod soleas huius generis iocis, hoc est, nec indoctis, ni fallor, nec usque quaque insultis, impendio delectari: & omnino in communi mortalium vita, Democritum quendam agere. Quanquam tu quidem, ut pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate, longe lateque à vulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suavitate facilitateque, cum omnibus omnium horarum hominem agere, & potes, & gaudes. Hanc igitur declamatiunculam, non solum lubens accipies, ceu μνημόσιων tui sodalis, verum etiam tuendam suscipes, utpote tibi dicatam, iamque tuam non meam. Et enim non deerunt fortasse vitilitigatores,

P R A E F A T I O.

res, qui calumnientur, partim leviores
esse nugas, quam ut Theologum deceant,
partim mordaciores, quam ut Christiana-
ne conveniant modestia: nosque clamia-
tabunt, veterem Comœdiam, aut Lucian-
um quempiam referre, atque omnia
mordicus arripere. Verum quos argu-
menti levitas, & ludicum offendit, co-
gitent velim, non meum hoc exemplum
esse, sed idem iam olim à magnis auctori-
bus factitatum; cum ante tot seculis
ταλεχονυμαχίαν luserit Homerus, Ma-
ro culicem, & Moretū, nucem Ovidius.
Cū Busiridē laudarit Polycrates, & hu-
ius castigator Isocrates, Injustitiā Glau-
co, Thersiten, & quartanā Febrim Pha-
vorinus, Calvitium Synesius, Muscam
& Parasiticam Lucianus. Cum Seneca
Claudii luserit ἀροθέων, Plutarchus
Grylli cum Vlysse dialogum, Lucianus
& Apuleius asinum, & nescio quis
Grunnii Corocotta porcelli testamen-
tum, cuius & divus meminit Hierony-
mus. Proinde si videbitur, singant isti
melatrunculis interim animi causa lu-
sisse, aut si malint, equitasse in arundine
longa. Nam qua tandem est iniquitas,

P R A E F A T I O.

cum omni vita instituto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permettere, maxime si nugæ seria ducant, atque ita tractentur ludicra; ut ex his aliquanto plus frugis referat lector, non omnino naris obesa, quam ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis? Veluti cum alius diu consarcinata oratione rhetoricen, aut philosophiam laudat, alius principis alicuius laudes describit, alius ad bellum adversus Turcas movendum adhortatur, alius futura prædictit, alius novas de lana caprina comminiscitur quæstiunculas. Ut enim nihil nugacius, quam seria nugatorie tractare, ita nihil festivius, quā ita tractare nugas, ut nihil minus, quam nugatus fuisse videaris. De me quidem aliorum erit iudicium. Tametsi, nisi plane me fallit φιλαυτία, Stultitiam laudavimus, sed non omnino stulte. Iam vero ut de mordacitatis cavillatione respondeam, semper hac ingenii libertas permisso fuit, ut in communem hominum vitam, salibus luderent impune, modo ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admiror his temporibus aurum delicias,

qua

P R A E F A T I O .

qua nihil iam fere nisi solennes titulos ferre possunt . Porro nonnullos adeo præpostere religiosos videas , ut vel gravissima in Christum convitia ferant citius , quam pontificem , aut principem levissimo ioco aspergi : præsertim si quid ap̄os τὰ ἀλφίτα attinet . At enim qui vi-
tas hominum ita taxat ut neminem o-
mnino perstringat nominatim , quo^ā
utrum is mordere videtur , an docere po-
tius , ac monere ? Alioqui quot obsecro
nominibus ipse me taxo ? Præterea qui
nullum hominum genus prætermittit , is
nulli homini , vitiis omnibus iratus vide-
tur . Ergo si quis extiterit , qui se selasum
elamabit , is aut conscientiam prodet
suam , aut certe metum . Lusit hoc in ge-
nere multo liberius ac mordacius Divus
Hieronymus , ne nominibus quidem ali-
quoties parcens . Nos præterquam quod
à nominibus in totum abstinemus , ita
præterea stilum temperavimus , ut cor-
datus lector facile sic intellecturus , nos
voluptatem magis , quam mortsum qua-
sisse . Neque enim ad Iuvenalis exem-
plum , occultam illam scelerum sentinam
usquam movimus , & ridenda magis

P R A E F A T I O.

quam foeda recensere studuimus . Tam si quis est , quem nec ista placare possunt , is saltem illud meminerit , pulchrum esse à stultitia vituperari : quam cum loquentem fecerimus , decero persona ser- viendum fuit . Sed quid ego hac tibi , patrono tam singulari , ut causas etiam non optimas , optime tamen tueri possis ? Vale disertissime More , & Moriam tuam suaviter defende . Ex rure . V . Idus Iunias .

MO-

M O P I A S
 E Γ K O M I O N,
 id est,

S T U L T I T I A L a u s ,
Erasmi Roterodami declamatio .

S T U L T I T I A L o Q u i t u r .



Tcunque de me vulgo mortales loquuntur , neque enim sum nescia , quām male audiāt stultitia etiam apud stultissimos , tamē hanc esse , hanc inquam esse unam , quā meo numine Deos atque homines exhilaro , vel illud abunde magnum est argumentum , quod simul atque in hunc cōtum frequentissimum dictura prodii , sic repente omnium vultus nova quadam atque insolita hilaritate enituerunt , sic subito frontem exporrexistis , sic lāto quodam & amabili applausistis risū , ut mihi profecto , quotquot undique præsentes intueor , pariter deorum Homericorum nectare , non sine Ne-

A 5 penthe ,

penthe, temulenti esse videamini,
 cum antehac tristes ac solliciti sede-
 ritis, perinde quasi nuper è Tropho-
 nii specu reversi. Cæterum quem-
 admodum fieri consuevit, ut cum
 primum sol formosum illud & au-
 reum os terris ostenderit, aut ubi post
 asperam hyemem, novum ver blandi-
 dis aspirarit Favoniis, protinus nova
 rebus omnibus facies, novus color
 ac plane iuventa quædam redeat, ita
 vobis me conspecta, mox aliis acces-
 sit vultus. Itaque quod magni alio-
 qui Rhetores, vix longa diuque me-
 ditata oratione possunt efficere, nem-
 pe ut molestas animi curas discutiant,
 id ego solo statim aspectu præstiti.
 Quamobrem autem hoc insolito cul-
 tu prodierim hodie, iam audietis, si
 modo non gravabimini dicenti præ-
 bere aures, non eas sane, quas sacræ
 concionatoribus, sed quas fori cir-
 culatoribus, scurris ac morionibus
 consuevistis arrigere, quasque olim
 Midas ille noster exhibuit Pani. Lu-
 bitum est enim paulisper apud vos
 Sophistam agere, non quidem hu-
 ius

ius generis, quod hodie nugas quasdam anxias inculcat pueris, ac plusquam muliebrem rixandi pertinaciam tradit, sed veteres illos imitabor, qui quo infamem Sophorum appellationem vitarent, sophistæ vocari maluerunt. Horum studium erat, deorum ac fortium virorum laudes encomiis celebrare. Encomium igitur audietis non Herculis, neque Solonis, sed meum ipsius, hoc est, Stultiæ. Iam vero non huius facio sapientes istos, qui stultissimum & insolentissimum esse prædicant, si quis ipse laudibus se ferat. Sit sane quam volunt stultum, modo decorum esse factantur. Quid enim magis quadrat, quam ut ipsa Moria suarum laudum sit buccinatrix, & ἀυτὴν εανίκων αὐλῆς; Quis enim me melius exprimat quā ipsa me? Nisi si cui forte notior sim, quam egomet sum mihi. Quanquam ego hoc alioqui, non paulo etiam modestius arbitror quam id quod optimarum ac sapientum vulgus factitat, qui per verso quodam pudore, vel Rhetorem quempiam palponem, vel

A 6 poë-

poëtam vaniloquum, subornare solent, eumque mercede conductum, à quo suas laudes audiant, hoc est, mera mendacia, & tamen verecundus interim ille, pavonis in morem penas tollit, cristas erigit, cum impudens assentator nihili hominem diis æquiparat, cum absolutum omnium virtutum exemplar proponit, à quo sciat ille se plus quam *θίσθια παροντας* abesse, cum corniculam alienis convestit plumis: cum *τελείωτα λευκάρει*, denique cum *ἐπι μύας τε λέπαρτε ποιεῖ*. Postremo sequor tritum illud vulgi proverbium, quo dicitur is recte laudare sese, cui nemo aliis contigit laudator. Quanquam hic interim demiror mortalium ingratitudinem dicam, an segnitiem, quorum cum omnes me studiose colant, meamque libenter sentiant beneficentiam, nemo tamen tot iam seculis extitit, qui grata oratione Stultitiae laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Busirides, Phalarides, febres quartanas, muscas, calvitia, atque id genus pestes, accuratis magnaue & olei & somni iactura e-

laci-

lucubratis laudibus vixerint. A me extemporariam quidem illam, & illaboratam, sed tanto veriorem audiens orationem. Id quod nolim existimetis ad ingenii ostentationem esse confitum, quemadmodum vulgus oratorum facit. Nam ii, sicuti nostis, cum orationem totis triginta annis elaboratam, nonnunquam & alienam proferunt, tamen triduo sibi quasi per lusum scriptam, aut etiam dictatam esse deierant. Mihi porro semper gratissimum fuit, ὅπερ εἰπεν· αὐτογείμαργλωπάρελθη dicere. At ne quis iam à nobis expectet, ut iuxta vulgarium istorum Rhetorum consuetudinem, me ipsam finitione explicem, porro ut dividam, multo minus. Nam utrumque ominis est inauspicati, vel fine circumscribere eam, cuius numen tam late pateat, vel secare, in cuius cultum omne rerum genus ita consentiat. Tametsi quorsum tandem attinet mei velut umbram atque imaginē finitione repræsentare, cum ipsam me coram præsentes præsentem oculis intucamini? Sum etenim uti

los appellabimus? Visum est enim
hac quoque parte nostri temporis
Rethores imitari, qui plane Deos es-
se sese credunt, si hirudinum ritu bi-
lingues appareant, ac præclarum faci-
nus esse ducunt, latinis orationibus
subinde græculas aliquot voculas, ve-
lut emblemata intertexere, etiam si
nunc non erat his locus. Porro si de-
funt exotica, è putribus chartis qua-
tuor aut quinq; prisca verba eruunt,
quibus tenebras offundant lectori,
videlicet, ut qui intelligunt, magis ac
magis sibi placeant: qui non intelli-
gunt, hoc ipso magis admirantur,
quo minus intelligunt. Quandoqui-
dem est sane & hoc nostratum volu-
ptatum genus non inelegans, quam
maxime peregrina maxime suspicere.
Quod si qui paulo sunt ambitiosio-
res, arrideant tamen & applaudant,
atque asini exemplo Τὰ μνᾶσι, quo
cæteris probe intelligere videantur,
ἡ ταῦτα οὐδὲ πλὴ ταῦτα. Nunc ad institu-
tum recurro. Nomen igitur habe-
tis viri. Quid addam epitheti? Quid
nisi stultissimi? Nam quo alio hone-
stiore

stiore cognomine Mystas suos compellet Dea Stultitia ? Sed quoniam non perinde multis notum est , quo genere prognata sim , id iam Musis bene iuvantibus exponere conabor . Mihi vero neque Chaos , neque Orcus , neque Saturnus , neque Iapetus , aut alius id genus obsoletorum , ac putrum deorum quispiam pater fuit . Sed πλῆρες , ipse unus , vel invitis Hesiodo & Homero , atque ipso adeo Iove , οὐαὶ τὸν ἀρδβῶν τοῦ Διῶν τε . Cuius unius nutu , ut olim , ita nunc quoque sacra profanaque omnia sursum ac deorum miscentur . Cuius arbitrio bella , paces , imperia , consilia , iudicia , comitia , connubia , pacta , fœdera , leges , artes , ludicra , seria , (iam spiritus me deficit) breviter , publica privataque omnia mortalium negotia administrantur . Citra cuius opem , totus ille poëticorum numinum populus , dicam audacius , ipsi quoque dii selecti , aut omnino non essent , aut certe θυμότατοι sane quam frigide vicitarent . Quem quisquis iratū habuerit , huic ne Pallas quidem satis auxilii tulerit .

Con-

Contra, quisquis propitium, is vel summo Iovi, cum suo fulmine mandare laqueum possit, τέλες πατέρων οὐ χρήσιμον. Atque hic quidem me progenuit non è cerebro suo, quemadmodum tetricam illam ac torvam Palladem Iupiter, verum ex Neotete nympha multo omnium venustissima, pariter ac festivissima. Neque rursus id tristi illi alligatus coniugio, quomo-
do faber ille claudus natus est, verum quod non paulo suavius εἰ φιλότητι μηχανής, quemadmodum noster ait Homerus. Genuit autem, ne quid erre-
tis, non Aristophanicus ille Plutus, iam capularis, iam oculis captus, sed quondam integer adhuc calidusque iuventa, neque iuventa solum, verum multo magis nectare, quod tum forte in deorum convivio largius ac meracius hauserat. Quod si locum quo-
que natalem requiritis, (quandoquidem id hodie vel in primis ad nobilitatem interesse putant, quo loco pri-
mos edideris vagitus) ego nec in er-
ratica Delo, nec in undoso mari, nec
εἰ πατέρων γλαφυροῖσι; sum edita, sed in
ipsis

12 ERAS. RÖTER.
ipsis insulis fortunatis, ubi ἀπόγεια γί-
αντορά omnia proveniunt. In quibus
neque labor, neque senium, neque
morbis est ullus, nec usquam in agris
asphodelus, malva, squilla, lupinum-
ve, aut faba, aut aliud hoc genus nu-
garum conspicitur. Sed passim ocu-
lis, simulque naribus ad blandiuntur
moly, panace, nepenthes, amaracus,
ambrosia, lotus, rosa, viola, hyacin-
thus, Adonidis hortuli. Atque in his
quidem nata deliciis, nequaquam à
fletu sum auspicata vitam, sed proti-
tinus blande arrisi matri. Iam vero
non invideo τῷ οὐτάλῳ κριῶναι capram
altricēm, cum me duæ lepidissimæ
nymphæ suis aluerint mammis, Me-
the Baccho progenita, & Apædia
Panos filia. Quas hic quoque in cæ-
terarum comitum ac pedisequarum
mearum consortio videtis. Quarum
me Hercle nomina, si voletis cognoscere, ex me quidem non nisi Græce
audietis. Hæc nimirum quam sub-
latis superciliis conspicamini, φιλαυγία
est. Huic, quam velut arridentibus
oculis, ac plaudentem manibus vi-
detis,

detis, *νοτακία* nomen. Hæc semisomnis ac dormitanti similis λέπη vocatur. Hæc cubito utroque innitens, consertisque manibus, *μισοπονία* dicitur. Hæc, roseo revincta ferta, & undique delibuta unguentis, ἡδονὴ. Hæc lubricis & huc atque illuc errantibus luminibus, *ἀροία* dicitur, hęc nitida cute, probeque saginato corpore τευφὴ nomen habet. Videtis & Deos duos, puellis admixtos, quorum alterum κανόνος vocant, alterum γάγετην θύνον. Huius, inquam, famulitii fidelibus auxiliis genus omne rerum meæ subiictioni ditioni, ipsis etiam imperans imperatoribus. Genus, educationem, & comites audistis. Nunc ne cui sine causa videar mihi Deæ nomen usurpare, quantis commoditatibus Deos simul & homines adficiam, quamque late meum pateat numen, arrectis aribus accipite. Etenim si non inscite scripsit quidam, hoc demum esse Deum, iuvare mortales, & si merito in deorum senatum asciti sunt, qui vinum, aut frumentum, aut unam aliquam huiusmodi commoditatem morta-

mortalibus ostenderunt, cur non ego iure, deorum omnium ἀλφα dicar, habearque, quæ una omnibus largior omnia? Principio quid esse potest vita ipsa vel dulcius vel preciosius. At huius exordium cui tandem acceptum ferri convenit, nisi mihi? Neque enim aut ὁ Ερμόπάτης hasta Palladis, aut νεφεληγέρης Iovis ægis hominum genus vel progignit, vel propagat. Verum ipse Deum pater atque hominum rex, qui totum nutu tremefactat olympum, fulmen illud trisulcum ponat oportet, & vultum illum Titanicum, quo, cum lubet, Deos omneis territat, planeque histionum more, aliena sumenda misero persona, si quando velit id facere, quod nunquam non facit, hoc est, παιδοποιεῖν. Iam vero Stoici se diis proximos autumant. At date mihi terque quaterque, aut si libet, sexcenties Stoicum, tamen huic quoque, si non barba insigne sapientiae, etiam si cum hircis commune, certe supercilium erit ponendum, explicanda frons, abiicienda dogmata illa adamanti-

ENCOMIUM MORIAE. 15

mantina, ineptiendum ac delirandum aliquantis per. In summa, me, me inquam, sapiens ille accersat oportet, si modo pater esse velit. Et cur non apertius meo more vobiscum fabuler? Quæso num caput, num facies, num pectus, num manus, num auris, quæ patres honestæ putantur, progernerant Deos aut homines? Non opinor, imo ea pars adeo stulta, adeoque ridicula, ut nec nominari citra risum possit, humani generis est propagatrix. Is demum est facer ille fons unde vitam hauriunt omnia verius, quam ille Pythagoricus quaternio. Age vero, qui vir obsecro matrimonii capistro velit præbere os, si quemadmodum isti sapientes facere consueverunt, prius eius vita incommoda secum perpenderit: aut quæ tandem mulier virum admissura sit, si partus periculosos labores, si educationis molestiam, vel norit, vel cogitarit? Porro si coniugiis debetis vitam, coniugium autem debetis *et* pedisequæ, mihi nimirum quid debeat is intelligitis. Tum quæ semel

semel hæc experta , denuo repetere
velit, nisi ~~amans~~ præsens numen adfue-
rit? Neque vero id Venus ipsa vel re-
clamante Lucretio unquam inficias
iverit, sine nostri numinis accessione,
suam vim mancam atque irritam es-
se. Itaque ex nostro illo temulento
ridiculoque lusu , proveniunt & su-
perciliosi philosophi, in quorum lo-
cum nunc successere , quos vulgus
monachos appellat, & purpurei re-
ges, & pii sacerdotes, & ter sanctissi-
mi pontifices. Postremo totus etiam
ille deorum poëticorum cœtus, adeo
frequens , ut turbam vix iam ipse ca-
piat olympus, tametsi spacioſiſſimus.
At sane parum sit mihi vitæ semina-
rium , ac fontem deberi , nisi quic-
quid in omni vita commodi est , id
quoque totum ostendero mei mune-
ris esse. Quid autem hæc, num o-
mnino vita videtur appellanda, si vo-
luptatem detraxeris? Applausistis. E-
quidem sciebam neminem vestrum
ita sapere , vel despere magis , imo
sapere potius , ut in hac esset senten-
tia. Quanquam ne Stoici quidem
isti

isti voluptatem aspernantur, tametsi sedulo dissimulant, milleque conviciis eam apud vulgus dilacerant, nimirū ut deterritis aliis, ipsi prolixius fruantur. Sed dicant mihi per Iovem, quæ tandem vitæ pars est, nō tristis, non infestiva, non invenusta, non insipida, non molesta, nisi voluptatem, id est, stultiæ condimentum adiunxeris? Cuius rei cum satis idoneus restis esse possit, ille nunquam satis laudatus Sophocles, cuius extat pulcherrimum illud de nobis elogium *τη φρεΐν γέ μηδέν, οὐδίσος ζίος*, tamen age rem omnem singulatim aperiamus. Principio quis nescit primam hominis ætatem multo lætissimam multoque omnibus gratissimam esse? quid est enim illud in infantibus, quod sic exosculamur, sic amplectimur, sic foveamus, ut hostis etiam huic ætati ferat opem, nisi stultiæ lenocinium, quod data opera prudens natura, recens natis adiunxit; ut aliquo voluptatis velut auctoramento, & educantium labores delinire queant, & tuentium favores eblanian-

diantur? Deinde quæ succedit huic adolescentia quam est apud omnes gratioſa , quam illi candide favent omnes , quam studioſe provehunt, quam officioſe porrigunt auxiliares manus ? At unde quæſo ista iuventæ gratia? unde niſi ex me ? cuius beneficio quam minimum ſapit , atque ob id quam minime ringitur. Mentiōr, niſi mox ubi grandiores facti per re- rum uſum , ac disciplinas virile quidam ſapere cœperint , continuo deflorefcit formæ nitor, langueſcit ala- critas, frigefcit lepos , labascit vigor. Quoque longius à me ſubducitur, hoc minus minusq; vivit, donec ſuc- cedat τὸ χαλεπὸν γένεσις, id eſt, moleſta ſenectus, non iam aliis modo, verum etiam ſibimet inviſa. Quæ quidem prorsum nulli mortalium foret tole- rabilis, niſi rurſum tantorum miſerta laborum dextra ad eſſem, & quemad- modum dii poëtarum ſolent pereun- tibus aliqua metamorphofi ſuccurre- re , itidem ego quoque iam capulo proximos denuo quoad licet, ad pueri- tam revocarem. Unde non abs re
vulgus

vulgus eos ~~ωαλίμπταδας~~ appellare con-
suevit. Porro si quis transformandi
rationem requirat, ne id quidem ce-
larim. Ad Lethes nostræ fontem,
nam in insulis fortunatis oritur (si-
quidem apud inferos tenuis modo ri-
vulus labitur,) eos produco, ut simul
atque illic longa potarint oblivia,
paullatim dilutis animi curis repube-
scant. At isti iam delirant, inquiunt,
iam despiciunt.. Esto sane. Sed istuc
ipsum est repuerascere. An vero aliud
est puerum esse, quam delirare, quam
despere? An non hoc vel maxime in
ea delectat ætate, quod nihil sapit?
Quis enim non ceu portentum ode-
rit, atque execretur puerum virili sa-
pientia? Astipulatur & vulgo iacta-
tum proverbium, Odi puerulum
præcoci sapientia. Quis autem susti-
neret habere commercium aut con-
suetudinem cum eo sene, qui ad tan-
tam rerum experientiam, patrem ani-
mi vigorem, iudicique acrimoniam
adiunxit? Itaque delirat senex meo
munere. Sed tamen delirus iste meus
interim miseris illis curis vacat, qui-

bus sapiens ille distorquetur. Inte-
rim non illepidus est compotor. Non
sentit vitæ tædium , quod robustior
ætas vix tolerat. Nonnunquam cum
sene Plautino ad tēs illas literas re-
vertitur , infelicissimus si sapiat. At
interim meo beneficio felix , interim
amicis gratus , ne congerro quidem
infestivus. Quandoquidem & apud
Homerum è Nestoris ore fluit oratio
melle dulcior , cum Achillis sit ama-
rulenta , & apud eundem senes in
mœnibus confidentes , τηλ' ἀγείρεσσα
vocem edunt. Quo quidem calculo
ipsam etiam superant pueritiam , sua-
vem quidem illam , sed infantem , ac
præcipuo vitæ oblectamento , pura
garrulitate carentem . Addite huc
quod pueris quoque gaudeant im-
pensis senes , ac pueri vicissim seni-
bus delectantur , οὐαὶ τὸν ἄγαρθον
οὐαὶ τὸν μονον. Quid enim inter illos non
convenit , nisi quod hic rugosior &
plures numerat natales? Alioqui ca-
pillorum albor, os edentulum, corpo-
ris modus minor , lactis appetentia,
balbuties, garrulitas, ineptia, oblivio,
inco-

incogitantia , breviter omnia cætera congruunt. Quoque magis accedunt ad senectam, hoc propius ad pueritiae similitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis sensum emigrant è vita. Eat nunc qui volet , & hoc meum beneficium cum reliquorum deorum metamorphosi comparet. Qui quid irati faciant, non libet commemorare, sed quibus quam maxime propitiæ sunt, eos solent in arborem, in avem, in cicadam aut etiam in serpentem transformare : quasi vero non illud ipsum sit perire, aliud fieri. Ego vero hominem eundem optimæ ac felicissimæ vitæ parti restituo. Quod si mortales prorsus ab omni sapientiæ commercio temperarent , ac perpetuo mecum ætatem agerent, ne esset quidem ullum senium , verum perpetua iuventa fruerentur felices. An non videtis tetricos istos & vel Philosophiæ studiis, vel seriis & arduis addictos negotiis , plerunque priusquam plane iuvenes sint , iam consenuisse, videlicet curis, & assidua acrique co-

gitationum agitatione sensim spiritus & succum illum vitalem exhaustente? Cum contra Moriones mei pinguiculi sint, & nitidi, & bene curata cute, plane $\chi\sigma\pi\mu\sigma$, quod aiunt, $\alpha\kappa\gamma\pi\rho\alpha\tau\sigma$, numquam profecto senectutis incommodum ullum sensuti, nisi non nihil, ut fit, sapientum contagio inficerentur. Adeo nihil patitur hominum vita, omni ex parte beatum esse. Accedit ad hæc vulgati proverbii non leve testimonium, quo dictitant, Stultitiam unam esse rem, quæ & iuuentam alioqui fugacissimam remoretur, & improbam senectam procul arceat. Ut non temere de Brabantis populari sermone iactatum sit, Cū cæteris hominibus ætas prudentiam adferre soleat, hos quo propius ad senectam accedunt, hoc magis atque magis stultescere. Atqui hac gente non est alia, vel ad communem vitæ consuetudinem festivior, vel quæ minus sentiat senectutis tristitiam. His quidem ut loco, ita & vitæ iustitudo confines sunt Hollandi mei, cur enim non meos appell-

appellem, usque adeo studiosos mei
 cultores, ut inde vulgo cognomen
 emeruerint? cuius illos adeo non pu-
 det, ut hinc vel præcipue sese ia&ti-
 tent. Eant nunc stultissimi mortales,
 & Medeas, Circes, Veneres, Auroras,
 & fontem nescio quem requirant,
 quo sibi iuventam restituant, cum id
 sola præstare & possim & soleam. A-
 pud me succus est ille mirificus, quo
 Memnonis filia Tithoni avi sui iu-
 ventam prorogavit. Ego sum Venus
 illa cuius favore Phaon ille repubuit,
 ita ut à Sapphone tantopere deama-
 retur. Meæ sunt herbæ si quæ sunt,
 mea precamina, meus ille fons, qui
 non solum revocat elapsam adole-
 scentiam, sed, quod est optabilius,
 perpetuam servat. Quod si omnes
 huic sententiæ subscribitis, adolescen-
 tia nihil esse melius, senectute dete-
 stabilius, quantum mihi debeat is vi-
 detis opinor, quæ tantum bonum re-
 tineam, tanto excluso malo. Sed quid
 adhuc de mortalibus loquor. Cœ-
 lum omne lustrate, & mihi meum
 nomen opprobret licebit, quicunque

B 3 volet,

volet, si quem omnino deorum repe-
terit non insuavem & aspernabilem,
nisi meo numine commendetur. Et
enim cur semper ephebus & comatus
Bacchus? Nempe quia vecors ac te-
mulentus, conviviis, saltationibus,
choreis, lusibus vitam omnem tran-
sigens, ne tantulum quidem habet
cum Pallade commercii. Denique
tantum abest, ut sapiens haberi postu-
let, ut ludibriis ac iocis coli gaudeat.
Neque proverbio offenditur, quod
illi fatui cognomentum attribuit, id
est huiusmodi, *μωρύχες μωρότερος*. Por-
ro Morycho nomen verterunt, quod
illum pro templi foribus sedentem,
musto ficiisque recentibus, agricola-
rum lascivia consueverit oblinere.
Tum autem quid non scommatum
in hunc vetus iacit comœdia? O in-
sulsum, inquiunt, Deum, & dignum
qui ex inguine nasceretur. At quis
non malit hic fatuus & insulsus esse,
semper festivus, semper pubescens,
semper omnibus lusus ac voluptatem
adferens, quam vel *ἀγνωλομῆτης* ille Iu-
piter omnibus formidabilis, vel Pan-
suis

suis tumultibus omnia senio vitians,
vel favilis oppletus Vulcanus ac sem-
per officinæ laboribus squalidus, aut
Pallas etiam ipsa, sua Gorgone & ha-
sta terribilis, ~~καὶ ἐρυζωτὴ θεύμη~~. Cur
semper puer Cupido? Cur? nisi quia
nugator est, ~~καὶ μαθητὴ~~ neque facit,
neque cogitat? Cur auree Veneri sem-
per vernat sua forma? Nimirum,
quia mecum habet affinitatem, unde
& patris mei coloré vultu refert, at-
que hac de causa est apud Homerum,
~~χειρὸν ἀφροδίτη~~. Deinde perpetuo ri-
det, si quid modo poëtis credimus,
aut horum æmulis statuariis. Quod
numen unquam religiosius coluere
Romani, quam Floræ omnium volu-
ptatum parentis? Quanquam si quis
etiam tetricorum deorum vitam di-
ligentius requirat ab Homero, reli-
quisque poëtis, reperiet stultitiæ ple-
na omnia. Quid enim attinet reli-
quorum facta commemorare, cum
Iovis ipsius fulminatoris amores ac
lufus probe noritis? cum severa illa
Diana oblita sexus, nihil aliud quam
venetur, Endymionem interim de-
periens?

26 E R A S . R O T E R .
periens. Verum illi sua facinora à
Momo audiant malim, à quo sæpius
quondam audire solebant. Sed hunc
nuper irati una cum Ate in terras
præcipitem dederunt, quod sapientia
sua felicitati deorum importunus ob-
streperet, Neque mortalium ullus ex-
ulem dignatur hospitio, tantum ab-
est ut illi in principum aulis sit locus,
in quibus tamen mea ~~καλαία~~ primas
tenet, cui cum Momo non magis con-
venit, quam cum agno lupis. Ita-
que sublato illo iam multo licentius
ac suavius nugantur dii, vere ~~πάντες~~
~~ἄγρυπτοι~~, ut inquit Homerus, nullo vi-
delicet censore. Quos enim non præ-
bet iocos fculnus ille Priapus? Quos
non ludos exhibet furtis ac præstigiis
suis Mercurius? Quin & Vulcanus
ipse in deorum conviviis ~~γαλαποῖον~~ a-
gere consuevit, ac modo claudicatio-
ne, modo cayillis, modo ridiculis di-
ctis exhilarare compotationē. Tum
& Silenus ille senex amator, ~~γέροντας~~
saltare solitus, una cum Polymeho
~~καὶ τριτοῖο~~, Nymphis ~~γυμνοποδίαι~~ sal-
tantibus. Satyri semicapri Atellanæ
fonsq agitant.

agitant. Pan insulsa quapiam canticula risum omnibus movet, quem ita malunt, quam ipsas audire musas, præcipue cum iam nectare cœperint madere. Porro quid ego nunc commemorem, quæ probe poti dii post convivium agitent? adeo me Hercle stulta, ut ipsa nonnunquam à risu temperare nequeam. At satius est in his Harpocratis meminisse, ne forte nos quoque Corycæus aliquis Deus auscultet, ea narrantes, quæ ne Mōmus quidem impune proloquutus est. Sed iam tempus est, ut ad Home ricum exemplar relictis cœlitibus vicissim in terram demigremus, quamquam ibi nihil lætum, aut felix, nisi meo munere dispiciamus. In primis videtis quanta providentia natura parens, & humani generis opifex, illud caverit, ne usquam deesset stultitiae condimentum? Etenim cum Stoicis definitoribus nihil aliud sit sapientia, quam duci ratione: contra stultitia, affectuum arbitrio moveri, ne plane tristis ac tetrica esset hominum vita, Iupiter quanto plus indi-

B 5 dit

dit affectuum quam rationis ? quasi semiunciam compares ad assem. Præterea rationem in angustum capitis angulum relegavit , reliquum omne corpus perturbationibus reliquit . Deinde duos quasi tyrannos violentissimos uni opposuit: iram, quæ præcordiorum arcem obtinet, atque a deo ipsum vitæ fontem, cor, & con eupsistentiam , quæ ad imam usque pubem latissime imperium occupat. Adversus has geminas copias quantum valeat ratio , communis hominum vita satis declarat, cū illa, quod unum licet, vel usque ad ravim reclamat, & honesti dictat formulas , verum hi laqueum regi suo remittunt, multoque odiosius obstrepunt, donec iam his quoque fessus ultro cedit, ac manus dat. Cæterum quoniam viro administrandis rebus nato , plusculum de rationis unciola erat aspergendum , ut huic quoque pro virili consuleret , me hic sicut in cæteris in consilium adhibuit , moxque consilium dedi me dignum , nempe uti mulierem adiungeret: animal videlicet.

cet stultum quidem illud atque ineptum, verum ridiculum & suave, quo convictu domestico , virilis ingenii tristitiam, sua stultitia condiret atque edulcaret? Nam quod Plato dubitare videtur , utro in genere ponat mulierem, rationalium animantium , animalium, nihil aliud voluit, quam insignem eius sexus stultitiam indicare. Quod si qua forte mulier sapiens haberi voluerit, ea nihil aliud egerit quam ut bis stulta sit, perinde quasi bovem aliquis ducat ad cromam, invita reluctanteque , ut aiunt, Minerva. Conduplicat enim vitium, quisquis contra naturam virtutis suum inducit , atque alio deflectit ingenium. Quemadmodum , iuxta Græcorum proverbium , simia semper est simia, etiam si purpura vestiatur; Ita mulier semper mulier est, hoc est stulta, quamcunque personam induerit. Neque vero mulierum genus usque adeo stultum arbitror, ut eam ob rem mihi succenseant, quod illis & ipsa mulier , & stultitia stultitiam attribuam. Etenim si rem recta re-

B 6 putent

putent via , hoc ipsum stultitiæ debent acceptum ferre , quod sint viris multis calculis fortunatiores . Primum formæ gratiam , quam illæ merito rebus omnibus anteponunt , cuiusque præsidio in tyrannos etiam ipsos tyrannidem excent . Alioqui unde nam horror ille formæ , hispida cutis , & barbæ sylva , plane senile quiddam in viro , nisi à prudentiæ vitio , cum fœminarum semper læves malæ , vox semper exilis , cutis mollicula , quasi perpetuam quandam adolescentiam imitentur ? Deinde quid aliud optant in hac vita , quam ut viris quam maxime placeant ? Nonne huc spectant tot cultus , tot fuci , tot balnea , tot compturæ , tot unguenta , tot odores , tot componendi , pingendi , fingendi vultus , oculos , & cutem , artes ? Iam , num alio nomine viris magis commendatae sunt , quam stultitiæ ? Quid enim est , quod illi mulieribus non permittunt ? At quo tandem auctoramento , nisi voluptatis ? Delectant autem fœminæ non alia re , quam stultitia . Id esse verum non

non ibit inficias, quisquis secum reputarit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas agat nugas, quoties fœminea voluptate decreverit uti. Habetis igitur primum & præcipuum vitæ oblectamentum, quo fonte proficiscatur. Sed sunt nonnulli, cum primis autem senes, bibaces quidem illi magis quam mulierosi, qui summam voluptatem in compotationibus constituunt. Evidem an sit ullum lautum convivium ubi mulier non adsit, viderint alii. Illud certe constat, citra stultitiae condimentum, nullum omnino suave esse. Adeo ut si desit, qui seu vera, seu simulata stultitia risum moveat, *γελωποιον* quempiam vel mercede conductum accersant, aut ridiculum aliquem parasitum adhibeant, qui ridendis, hoc est, stultis dictariis, silentium ac tristitiam compotationis discutiat. Quorsum enim attinebat tot bellariis, tot lauticiis, tot cupediis onerare ventrem, nisi & oculi pariter & aures, nisi totus animus, risu, iocis, leporibus pasceretur? At istiusmodi tragematum

matum ego sum architectrix unica.
 Quanquam illa ipsa iam in conviviis
 solennia , regem sortiri talis, lusitare
 tessaris , Philotesiis invitare , certare
~~συμπεριφοράς~~, ad Myrtum canere, sal-
 tare, gesticulari , non à septem Græ-
 ciæ sophis, verum à nobis ad humani
 generis salutem reperta sunt. Atqui
 omnium huiusmodi rerum ea natura
 est, ut quo plus habeant stultiæ, hoc
 plus conferant vitæ mortalium , quæ
 si tristis sit, ne vita quidem appellan-
 dia videatur. Tristis autem evadato-
 portet, nisi cognatum tedium , hoc
 genus oblectamentis abstenseris. Sed
 erunt fortassis , qui hoc quoque vo-
 luptatis genus negligant , & in ami-
 corum charitate & consuetudine ac-
 quiescant , amicitiam dictantes u-
 nam rebus omnibus anteponendam,
 quippe rem usque adeo necessariam,
 ut nec aér, nec ignis, nec aqua magis.
 Rursum adeo iucundam, ut qui hanc
 de medio sustulerit , solem sustulerit,
 adeo denique honestam , si quid ta-
 men hoc ad rem pertinet, ut nec ipsi
 Philosophi vereantur eam inter præ-
 cipua

cipua bona commemorare. Sed quid si doceo me huius quoque tanti boni & puppim esse & proram? Docebo autem non Crocodilitis, aut Soritis, ceratinis, aut aliis id genus dialecticorum argutiis, sed pingui, quod a iunt, Minerva, rem digito propemodum ostendam. Age, connivere, labi, cæcutire, hallucinari in amicorum vitiis, quædam etiam insignia vitia pro virtutibus amare, mirarique, an non stultitiae videtur affine? Quid cum aliis exosculatur nævum in amica, alium delectat polypus Agnæ, cum filium Strabonem appellat petum pater, quid, inquam, hoc est, nisi mera stultitia? Clament terque quaterque stultitiam esse: atqui hæc una stultitia, & iungit, iunctos & servat amicos. De mortalibus loquor, quorum nemo sine vitiis nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur. Cum interim inter sapientes istos Deos, aut omnino non coalescit amicitia, aut tetrica quædam & insuavis intercedit, nec ea nisi cum paucissimis, nam cum nullis dicere religio est,

est, propterea quod maxima pars hominum desipit, imo nullus est , qui non multis modis deliret, & non nisi inter similes cohæret necessitudo. Quod si quando inter severos istos coierit mutua benevolentia, ea certe haud quaquam stabilis est , nec admodum duratura , nimirum inter morosos & plus satis oculatos, ut qui in amicorum vitiis tam cernunt acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius. At ipsi in propriis vitiis quam lippiunt, & quam non vident manticam in tergo pendentem? Itaque cum ea sit hominum natura, ut nullum ingenium reperiatur non magnis obnoxium vitiis : adde tantam animorum ac studiorum dissimilitudinem, tot lapsus, tot errata, tot casus vitæ mortalis, quo pacto vel horam constabit inter Argos istos amicitiæ iucunditas , nisi accesserit ea, quam mire Græci ~~ωνθεαν~~ appellant, hanc seu stultitiam , seu morum facilitatem vertas licebit. Quid autem? an non Cupido ille omnis necessitudinis auctor & parens, prorsum oculis

Jis captus est , cui quemadmodum
 τὰ μὲν καλά καλεῖται φωνή , itidem inter
 vos quoque efficit , ut suum cuique
 pulchrum videatur, ut cascus cascām ,
 perinde ut pupus pupam , deamet.
 Hæc passim & fiunt & ridentur , sed
 tamen hæc ridicula iucundam vitæ
 glutinant copulantque societatem .
 Porro quod de amicitia dictum est,
 id multo magis de coniugio sentien-
 dum , quod quidem nihil est aliud ,
 quam individua vitæ coniunctio .
 Deum immortalem , quæ non divor-
 tia , aut etiam divortiis deteriora pa-
 sim acciderent , nisi viri fœminæque
 domestica consuetudo , per adulatio-
 nem , per iocum , per facilitatem , er-
 rorem , dissimulationem , meum uti-
 que satellitium , fulciretur , aleretur
 que? Papæ , quam pauca coirent ma-
 trimonia , si sponsus prudenter ex-
 quireret , quos lusus delicata illa , si-
 cuti videtur , ac pudens virguncula
 iam multo ante nuptias luserit ? Tum
 quanto pauciora cohærerent inita ,
 nisi plurima uxorum facta per viri vel
 negligentiam , vel stuporem laterent ?

Atque

Atque hæc quidem merito stultiæ
tribuuntur: verum ea interim præ-
stat, ut marito iucunda sit uxor, uxo-
ri iucundus maritus, ut tranquilla
domus, ut maneat affinitas. Ridetur,
cuculus, curruga, & quid non vo-
catur, cum mœchæ lachrymas label-
lis exorbet. At quanto felicius, sic
errare, quam zelotypiæ diligentia
cum sese conficere, tum ominia mi-
scere tragediis? In summa usque a-
deo nulla vitæ coniunctio sine me vel
iucunda, vel stabilis esse potest, ut
nec populus principem, nec seryum
herus, nec heram pedisequa, nec di-
scipulum præceptor, nec amicus ami-
cum, nec maritum uxor, nec loca-
tor conductorem, nec contubernalis
contubernalem, nec convictor con-
victorem diutius ferat, nisi vicissim
inter sese nunc errent, nunc adulen-
tur, nunc prudentes conniveant, nunc
aliquo stultiæ melle sese delineant.
Iam hæc scio videri maxima, sed au-
dieris maiora. Quæso num quem-
quam amabit, qui ipse semet oderit?
Num cum alio concordabit, qui se-

supia

cum

cum ipse dissidet? Num ulli voluptatem adferet, qui sibi met ipsi sit gravis ac molestus? Illud opinor nemo dixerit, nisi qui sit ipsa stultior stultitia. Atqui si me excluseris, adeo nemo poterit alterum ferre, ut ipse etiam sibi quisque puteat, sua cuique sordeant, sibi quisque sit inyisus. Quandoquidem id mali natura, non paucis in rebus noverca magis quam parens, mortalium ingeniis insevit, præcipue paulo cordatiorum, ut sui quemque pœnitentia, admiretur aliena. Quo fit ut omnes dotes, omnis elegantia, decorque vitæ vitietur perreatque. Quid enim proderit forma, præcipuum deorum immortalium munus, si putiditatis vitio contaminetur? Quidiuventa, si senilis tristitiae fermento corrumpatur? Denique quid in omni vitæ munere vel tecum, vel apud alios acturus es cum decoro (est enim non artis modo, verum etiam omnis actionis caput decere quod agas) nisi adsit dextra hæc Philautia, quæ mihi merito germanæ est vice? Adeo strenue meas ubique partes

partes agit. Quid autem æque stultum, atque tibi ipsi placere ? te ipsum admirari ? At rursum quid venustum, quid gratiosum , quid non indecorum erit, quod agas , ipse tibi disciplens ? Tolle hoc vitæ condimentum, & protinus frigebit cum sua actione orator, nulli placebit cum suis numeris musicus , explodetur cum sua gesticulatione histrio , ridebitur una suis cum musis poëta , sordebit cum arte pictor , esuriat cum pharmacis medicus. Postremo pro Nireo Ther-sites, pro Phaone Nestor , pro Minerva sus, pro facundo infans, pro urbano rusticus videberis. In tantum necesse est , ut sibi quoque quisque blandiatur , & assentati uncula quapiam sibi prius commendetur , quam aliis possit esse commendatus. Denique cum præcipua felicitatis pars sit, ut quod sis , esse velis , nimirum totum hoc prestat compendio mea Philautia, ut neminem suæ formæ , neminem sui ingenii , neminem generis , neminem loci , neminem instituti, neminem patriæ pœniteat, adeo ut

ut nec Hirlandus cū Italo, nec Thrax
cum Atheniensī, nec Scytha cum in-
sulis fortunatis cupiat permutare. Et
ō singularem naturæ solicitudinem,
ut in tanta rerum varietate paria fecit
omnia! Ubi dotibus suis nonnihil de-
traxit, ibi plusculum Philautiæ solet
addere, quanquam hoc ipsum stulte
profecto dixi, cum hæc ipsa dos sit
vel maxima. Ut ne dicam interim,
nullum egregium facinus adiri, nisi
meo impulsu, nullas egregias artes,
nisi me auctore fuisse repertas. An
non omnium laudatorum facinorum
seges ac fons est bellum? Porro quid
stultius, quam ob causas, nescio
quas, certamen eiusmodi suscipere,
unde pars utraque semper plus aufert
incommodi, quam boni? Nam eo-
rum qui cadunt, veluti Megaren-
sium, & θεισλόγος. Dein cum iam utrim-
que constitere ferratæ acies, & rauco
crepuerunt cornua cantu, quis oro
sapientum istorum usus, qui studiis
exhausti, vix tenui frigidoque san-
guine spiritum ducunt: crassis ac pin-
gibus opus est, quibus quam pluri-
mum

mum adiit audaciæ , mentis quam
 minimum. Nisi si quis Demosthe-
 nem militem malit , qui Archilochi
 sequutus consilium , vix conspectis
 hostibus , abiecto clypeo fugit tam
 ignavus miles, quam orator sapiens.
 Sed consilium , inquiunt , in bellis
 plurimum habet momenti. Equi-
 dem fateor in duce, verum id quidem
 militare, non philosophicum , alio-
 qui parasitis, lenonibus , latronibus,
 sicariis, agricolis, stupidis, obæratis,
 & huiusmodi mortalium fece res tam
 præclara geritur, non philosophis lu-
 cernariis. Qui quidem quam sint ad
 omnem vitæ usum inutiles, vel Socra-
 tes ipse unus Apollinis oraculo sapi-
 ens, sed minime sapienter iudicatus,
 documento esse potest , qui nescio
 quid publice conatus agere , summo
 cum omnium risu discessit. Quan-
 quam vir is in hoc non usquequaque
 desipit , quod sapientis cognomen
 non agnoscit , atque ipsi Deo rescri-
 bit; quodque censet sapienti à Rep-
 tractanda abstinentum esse, nisi quod
 potius monere debuerat , à sapientia
 tem-

temperandum ei, qui velit in hominum haberi numero. Deinde quid eundem accusatum ad cicutam bibendum adegit, nisi sapientia? Nam dum nubes & ideas philosophatur, dum pulicis pedes metitur, dum culicum vocem miratur, quæ ad vitam communem attinent, non didicit. Sed adest præceptor de capite pericitanti discipulus Plato, egregius scilicet patronus, qui turbæ strepitu offensus, vix dimidiatam illam periodum pronunciare potuit. Iam quid dicam de Theophrasto? Qui progressus in concionem protinus obmutuit, perinde quasi repente lupo conspecto. Qui militem animasset in bello? Isocrates ob ingenii timiditatem nec hiscere unquam est ausus. M. Tullius eloquentiæ Romanæ parens, semper indecora trepidatione, perinde quasi puer singultiens exordiri consuevit. Idque Fabius interpretatur cordati oratoris & periculum intelligentis argumentum. Verum cum hoc dicit, an non palam fatetur sapientiam obstare ad rem probe gerendam?

dam? Quid isti facient, cum res ferro
geritur, qui tum metu exanimantur,
cum nudis verbis est decertandum?
Et post hæc celebratur, si diis placet,
præclara illa Platonis sententia, bea-
tas fore respuplicas, si aut imperent
philosophi aut philosophentur impe-
ratores. Imo si consules historicos,
reperies nimirum nulos reipublicæ
pestilentiores fuisse principes, quam
si quando in philosophastrum ali-
quem aut literis addictum inciderit
imperium. Cuius rei satis, opinor,
faciunt fidem Catones: quorum alter
insanis delationibus Reipublicæ tran-
quillitatem vexavit, alter libertatem
P. R. dum nimium sapienter vindicat
funditus subvertit. Adde his Brutos,
Cassios, Gracchos, ac Ciceronem
etiam ipsum, qui non minus pesti-
lens fuit Romanorum Reipub. quam
Demosthenes Atheniensium. Porro
M. Antonius, ut donemus bonum
imperatorem fuisse (nam id ipsum
extorquere possim) fuit enim hoc
ipso nomine gravis, atque invisus ci-
vibus, quod tam Philosophus esset.

Sed

Sed tamen ut donec mus fuisse bonum, at certe pestilentior fuit Re-publicæ tali relicto filio, quam fuerat sua administratione salutaris. Quandoquidem solet hoc hominum genus, qui se sapientiæ studio dediderunt, cum cæteris in rebus, tum præcipue in liberis propagandis infelissimum esse, providente opinor natura, ne malum hoc sapientiæ inter mortales latius serpat. Itaque Ciceroni degenerem fuisse filium constat, & sapiens ille Socrates liberos habuit matri similiores quam patri, ut non omnino pessime scripsit quidam, id est, stultos. Sed utcunque ferendum, si tantum ad publica munia forent *πόλεις λύραι*, nisi ad omnem prorsus vitæ functionem nihilo essent dextiores. Ad convivium adhibe sapientem, aut tristi silentio, aut molestis quæstiunculis obturbabit. Ad chorum advoca, camelum saltare dices. Ad publicos Iudos trahe, ipso vultu populi voluptatibus obstabit, & cogetur è theatro migrare sapiens Catō, quandoquidem supercilium non

potest ponere. In colloquium incidet, repente lupus in fabula. Si quid emendum, si contrahendum, breviter si quid eorum agendum, sine quibus hæc quotidiana vita transfigi non potest, stipitem dicas sapientem istum, non hominem. Usque adeo neque sibi, neque patriæ, neque suis usquam usui esse potest, propterea quod communium rerum sit imperitus & à populari opinione, vulgaribusque institutis longe lateque discrepet. Qua quidem ex re odium quoque consequatur necessum est, nimirum ob tantam vitæ atque animorum dissimilitudinem. Quid enim omnino geritur inter mortales non stultiæ plenum, idque à stultis, & apud stultos? Quod si quis unus universis velit obstrepere, huic ego suaserim, ut Timonem imitatus, in solitudinem aliquam demigret, atque ibi solus sua fruatur sapientia. Verum ut ad id, quod institueram, revertar, quæ vis saxeos, quernos, & agrestes illos homines in civitatem coëgit, nisi adulatio? Nihil enim aliud significat

catilla Amphionis & Orphei cithara.
 Quæ res plebem Romanam iam extrema molientem, in concordiam civitatis revocavit? Num oratio philosophica? Minime. Imo ridiculus ac puerilis apolodus de ventre, reliquisque corporis membris confictus. Idem valuit Themistoclis apolodus consimilis de vulpe & erinacio. Quæ sapientis oratio tantundem potuisset, quantum commentitia illa cerva Sertorii potuit, quantum Laconis illius de duobus canibus, deque vellendis equinæ caudæ pilis ridendum modo dicti Sertorii commentum? Ut ne quid dicam de Minoë, deque Numa, quorum uterque fabulosis inventis stultam multitudinem rexit. Huiusmodi nugis commovetur ingens ac potens illa belua, populus. At rursum, quæ civitas unquam Platonis, aut Aristotelis leges, aut Socratis dogmata recepit? Tum autem quæ res Decii persuasit, ut ultro sese diis manibus devoverent? Quid. Q. Curtium in specum traxit, nisi inanis gloria, dulcissima quædam Siren, sed mirum

mirum quam à sapientibus istis damnata? Quid enim stultius, inquiunt, quam supplicem candidatum blandiri populo, congiariis favorem emere, venari tot stultorum applausus, acclamacionibus sibi placere, in triumpho veluti signum aliquod populo spectandum circumferri, æneum in foro stare? Adde his nominum & cognominum adoptiones. Adde divinos honores homuncioni exhibitos, adde publicis ceremoniis in Deos relatios etiam sceleratissimos tyrannos. Stultissima sunt hæc, & ad quæ ridenda non unus sufficiat Democritus. Quis negat? Atqui hoc fonte nata sunt fortium Heroum facinora, quæ tot eloquentium virorum literis in cœlum tolluntur. Hæc stultitia parit civitates, hac constant imperia, magistratus, religio, consilia, iudicia, nec aliud omnino est vita humana, quam stultiæ lusus quidam. Iam vero ut de artibus dicam, quid tandem mortalium ingenia ad excogitandas prodendasque posteris, tot egregias, ut putant, disciplinas excitavit nisi gloriæ

riæ sitis? Tantis vigiliis, tantis sudoribus, famam nescio quam, qua nihil esse potest inanius, redimendam putarunt homines vere stultissimi. Sed interim stultitiae tot tam egregia vitæ commoda debetis, quodque est longe dulcissimum, aliena fruimini insania. Ergo posteaquam mihi fortitudinis & industrie laudem vindicavi, quid si prudentiæ quoque vindicem? Sed dixerit aliquis eadem opera ignem aquæ misceas, licebit. Verum hoc quoque successurum arbitror, si vos modo quod ante hæc fecistis, auribus atque animis favebitis. Princípio si rerum usu constat prudentia, in utrum magis competit eius cognominis honos, in sapientem, qui partim ob pudorem, partim ob animi timiditatem nihil aggreditur, an in stultum, quem neque pudor, quo vacat, neque periculum, quod non perpendit, ab ulla re deterret? Sapiens ad libros veterum confugit, atque hinc meras vocum argutias ediscit. Stultus adeundis cominusque periclitandis rebus, veram (ni fallor) pruden-

tiam colligit. Id quod vidisse vide-
tur Homerus, etiamsi cæcus, cum ait
πάχθεντές τε νόμος ἡγετο. Sunt enim duo
præcipua ad cognitionem rerum pa-
randam obstacula, pudor qui fumum
effundit animo, & metus, qui osten-
so periculo, dehortatur ab adeundis
facinoribus. At his magnifice liberat
stultitia. Pauci mortales intelligunt
ad quam multas alias quoque com-
moditates conducat, nunquam pu-
descere & nihil non audere. Quod si
prudentiam accipere malunt eam,
quæ rerum iudicio constat, audite
obsecro quam procul absint ab hac,
qui hoc nomine sese venditant. Prin-
cipio constat res omneis humanas,
velut Alcibiadis Silenos, binas habe-
re facies nimium inter sese dissimiles.
Adeo ut quod prima, ut aiunt, fronte
mors est, si interius inspicias, vita sit:
contra quod vita, mors: quod for-
mosum, deforme: quod opulentum,
id pauperrimum: quod infame, glo-
riosum: quod doctum, indoctum:
quod robustum, imbecille: quod ge-
nerosum, ignobile: quod læcum, tri-
fle:

ste: quod prosperum, adversum: quod amicum , inimicum : quod salutare, noxiū: breviter omnia repente verfa reperies , si Silenum aperueris. Id si cui forte nimis philosophice dictum videtur, age pinguiore , quemadmodum dici solet , Minerva planius faciam. Quis regem non & opulentum, & dominum fatetur? Atqui nullis animi bonis instructus est , atqui nihil illi satis est , iam videlicet pauperissimus est. Tam animum habet plurimis addictum vitiis , iam turpiter servus est. Ad eundem modum in cæteris quoque philosophari liceret. Sed hoc exempli vice posuisse sat is sit. At quorsum hæc? inquiet aliquis. Audite quo rem deducamus. Si quis histriónibus in scena fabulam agentibus personas detrahere conetur, ac spectatōribus veras nativasque facies ostendere, nonne is fabulam omnem perverterit, dignusque habeatur, quem omnes è theatro velut lymphatum saxis eiiciant ? Exorietur autem repente nova rerum species , ut qui modo mulier, nunc vir : qui modo

do iuvenis, mox senex: qui paulo ante Rex, subito Dama: qui modo Deus, repente homunculus appareat. Verum eum errorem tollere, est fabulam omnem perturbare. Illud ipsum figmentum & fucus est, quod spectatorum oculos detinet. Porro mortalium vita omnis quid aliud est, quam fabula quæpiam, in qua alii aliis obiecti personis procedunt aguntque suas quisque partes, donec choragus educat è proscenio? Qui sæpe tamen eundem diverso cultu prodire iubet, ut qui modo regem purpuratum egerat, nunc servulum pan nosum gerat. Adumbrata quidem omnia, sed hæc fabula non aliter agitur. Hic si mihi sapiens aliquis cœlo delapsus, subito exoriatur, clamitetur hunc quem omnes ut Deum ac dominum suspiciunt, nec hominem esse, quod pecudum ritu ducatur affectibus, servum esse infimæ sortis quod tamen multis, tamque fœdis dominis sponte serviat. Rursum alium, qui parentem extinctum luget, ridere iubeat, quod iam demum ille vivere cœpe-

ENCOMIUM MORIÆ. si
cœperit, cum alioqui vita hæc nihil
aliud sit quam mors quædam. Porro
alium stemmatis gloriantem, ignobi-
lem ac nothum appelleat, quod à vir-
tute longe absit, quæ sola nobilitatis
sit fons, atque ad eundem modum de
cæteris omnibus loquatur, quæso
quid is aliud egerit, nisi ut demens ac
furiosus omnibus esse videatur? Ut
nihil est stultius præposta sapientia,
ita perversa prudentia nihil impru-
dentius. Siquidem perverse facit, qui
se se non accommodat rebus præsen-
tibus, foroque nolit uti, nec sal-
tem legis illius convivalis memine-
rit, *h. dñi, h. ambi.* Postuletque ut fa-
bula iam non sit fabula. Contra, ve-
re prudentis est, cum sis mortalis, ni-
hil ultra sortem sapere velle, cumque
universa hominum multitudine vel
connivere libenter, vel comiter erra-
re. At istud ipsum, inquiunt, stulti-
tiæ est. Haud equidem inficias i've-
rim, modo fateantur illi vicissim hoc
esse, vitæ fabulam agere. Cæterū illud
o dii immortales, eioquar ne, an si-
leam? Quur autem silcam, cum sit

vero verius? Sed præstiterit fortassis
in re tanta Musas ex Helicone acce-
sere, quas poëtæ sæpius ob meras nu-
gas advocare solent. Adeste igitur
paulisper Iovis filiæ , dum ostendo
nec ad egregiam illam sapientiam ac
felicitatis, ut ipsi vocant, arcem, adi-
tum esse cuiquam; nisi stultitia duce.
Iam primum illud in confessu est, af-
fectus omnes ad stultitiam pertinere:
quandoquidem hac nota à stulto sa-
pientem discernunt, quod illum affe-
ctus, hunc ratio temperat: eoque
Stoici perturbationes omnes ceu
morbos à sapiente semovent: verum
affectus isti non solum pædagogo-
rum vice funguntur ad sapientiæ por-
tum properantibus, verum etiam in
omni virtutis functione, ceu calcaria
stimulique quidam adesse solent, ve-
lut ad bene agendum exhortatores.
Quamquam hic fortiter relamat bis
Stoicus Seneca, qui prorsum omnem
affectum adimit sapienti. Verum
cum id facit, iam ne hominem qui-
dem relinquit, sed novum potius
Deum quendam *μυστῆν*, qui nuf-
 quam

quam nec extitit unquam, nec extabit: imo ut apertius dicam, marmoreum hominis simulacrum constituit, stupidum, & ab omni prorsus humano sensu alienum. Proinde si libet, ipsi suo sapiente fruantur, citra que rivalem ament licet, cumque eo vel in civitate Platonis, vel si malint, in idearum regione, vel in Tantaliis inhabitent hortis. Quis enim non istiusmodi hominem ceu portentum ac spectrum fugitet horreatque, qui ad omnes naturæ sensus obsurduerit, qui nullis sit affectibus, nec amore, nec misericordia magis commoveatur, quam si dura filex, aut stet Marpesia cautes, quem nihil fugiat, qui nihil erret, sed ceu Lynceus quispiam nihil non perspiciat, nihil non ad amissim perpendat, nihil ignoscat, qui solus seipso sit contentus, solus dives, solus sanus, solus Rex, solus liber, breviter omnia solus, sed suo solius iudicio, qui nullum moretur amicum, ipse amicus nemini, qui diis quoque ipsis non dubitet mandare laqueum, qui quicquid in omni

vita geritur , velut insanum damnet , rideatque ? Atqui huiusmodi animal est absolutus ille sapiens . Quæso , si res agatur suffragiis , quæ civitas istiusmodi magistratum sibi velit , aut quis exercitus talem optet ducem ? imo quæ mulier id genus maritum , quis convivator eiusmodi convivam , quis servus talibus motibus dominum vel optet , vel ferat ? Quis autem non malit vel unum quemvis de media stultissimorum hominum plebe , qui stultus stultis vel imperare possit , vel parere , qui sui similibus placeat , sed quam plurimis , qui comis sit in uxorem , iucundus amicis , bellus conviva , convictor facilis , postremo qui nihil humani à se alienum putet ? Sed me quidem iam dudum istius sapientis piget . Quare ad reliqua commoda sese recipiat oratio . Agedum , si quis velut è sublimi specula circumspiciat , ita ut Iovem interdum poëtæ facere prædicant , quot calamitatibus hominum vita sit obnoxia , quam misera , quam sordida nativitas , quam laboriosa educatio , quot iniuriis exposita

posita pueritia, quot sudoribus adacta iuventus, quam gravis senectus, quam dura mortis necessitas, deinde in omni vita, quot morborum agmina infestent, quot immineant casus, quot ingruant incommoda, quam nihil usquam non plurimo felle tintatum, ut ne commemorem ista, quæ homini ab homine inferuntur mala, quod genus sunt, paupertas, carcer, infamia, pudor, tormenta, insidiæ, proditio, convitia, lites, fraudes. Sed ego iam plane Τάμπον ἀναμέτρειν aggredior. Porro quibus admissis ista commeruerint homines, aut quis Deus iratus eos in has miseras nasci coegerit, non est mihi fas in præsentia proloqui. Verum ista qui secum perpendat, nonne Milesiarum virginum probabit exemplum, etiam si miserandum? At quinam potissimum sibi vitæ tædio fatum accersivere? Nonne sapientiæ confines? Inter quos, ut interim Diogenes, Xenocrates, Cato-nes, Cassios, ac Brutos sileam, Chiron ille cum immortalem esse liceret, ul-tro mortem præoptavit. Videtis op-
nor,

nor, quid futurum sit, si passim sa-
 piant homines: nempe altero luto, al-
 tero figulo Prometheus opus fore. Ve-
 rum ego partim per ignorantiam,
 partim per incogitantiam, nonnun-
 quam per oblivionem malorum, ali-
 quando spem bonorum, aliquoties
 nonnihil mellis voluptatibus asper-
 gens, ita tantis in malis succurro, ut
 ne tum quidem libeat vitam relin-
 quere, cum exacto Parcarum stami-
 ne, ipsa iamdudum eos relinquit vita,
 quoque minus sit causæ, cur in vita
 manere debeant, hoc magis iuyet vi-
 vere, tantum abest, ut ullo vitæ tædio
 tangantur. Mei nimirum muneris est,
 quod passim Nestorea senecta senes
 videtis, quibus iam ne species quidem
 hominis supereft, balbos, deliros, e-
 dentulos, canos, calvos, vel ut magis
 Aristophanicis eos describam verbis,
 πυτῶντας, κωφάς, ἀθλίς, πυστός, μαδαρίας, ρω-
 δός, καὶ τολός, tamen usque adeo vita
 delectari, adeoque γενιγένη, ut alius
 tingat canos, alius apposititia coma
 calvitium dissimulet, alius dentibus
 utatur mutuo fortassis à sue quopiam
 sum-

sumptis, hic in puellam aliquam misere depereat, & amatoriis ineptiis quemvis etiam superet adolescentulum. Nam ut capulares iam, meraque silicernia, teneram aliquam iuvenculam ducant uxorem, eamque & indotatam, & aliis usui futuram, id adeo frequens, ut propemodum & laudi detur. Sed multo etiam suavius, si quis animadvertisca anus, longo iam senio mortuas, adeoque cadaverosas, ut ab inferis redisse videri possint, tamen illud semper in ore habere, φῶς ἀγαθὸν: adhuc catulire, atque, ut Græci dicere solent, καπρόν, & magna mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis assidue vultum oblinere, nusquam à speculo discedere, infimæ pubis sylvam vellere, vietas ac putres ostentare mammas, tremuloque gannitu languentem solicitare cupidinem, potitare, misceri puellarum choris, literulas amatoria sc̄ribere. Ridentur hæc ab omnibus tanquam, uti sunt, stultissima: at ipsæ sibi placent, & in summis interim versantur deliciis,

to-

totasque sese melle perungunt, meo
videlicet beneficio felices. Porro qui-
bus hæc deridicula videntur, illud se-
cum expendant velim, utrum satius
ducant huiusmodi stultitia vitam pla-
ne mellitam exigere, an trabem, ut
aiunt, suspendio querere. Porro
quod hæc vulgo putantur infamiae
obnoxia, istud nihil ad stultos meos,
qui malum hoc aut non sentiunt, aut
si quid sentiunt, facile negligunt. Si
saxum in caput incidat, id vere ma-
lum sit. Cæterum pudor, infamia,
probrum, maledicta, tantum adfe-
runt noxæ, quantum sentiuntur. Si
sensus absit, ne mala quidem sunt.
Quid lædit, si totus populus in te si-
bilet, modo tute tibi plaudas? Atque
ut id liceat, sola stultitia præstat. Sed
mihi video audire reclamantes phi-
losophos. Atqui hoc ipsum est, in-
quiunt miserum, stultitia teneri, erra-
re, falli, ignorare. Imo hoc est ho-
minem esse. Porro miserum cur vo-
cent, non video, quandoquidem sic
nati estis, sic instituti, sic conditi, ea
est communis omnium sors. Nihil
autem

autem miserum, quod in suo genere constat, nisi forte quis hominem deplorandum existimet, qui neque volare possit cum avibus, neque quater-nis ingredi pedibus cum reliquo pecudum genere, neque cornibus sit armatus quemadmodum tauri. Verum is eadem opera, equum etiam bellissimum infelicem vocabit, quod neque grammaticam didicerit, neque placentis vescatur: taurum miserum, quod ad palæstricam sit inutilis. Igitur ut equus imperitus grammaticæ, miser non est, ita nec homo stultus infelix, propterea quod hæc cum illius natura cohærent. Verum rursus urgent logodædali. Est, inquit, homini peculiariter addita disciplina-rum cognitio, quarum adminiculis id, quod natura diminutum est, ingenio penset. Quasi vero ullam veri faciem habeat, naturam, quæ in culici-bus, atque adeo in herbis ac flosculis tam sollicite vigilaverit, in uno ho-mine dormitasse, ut disciplinis opus esset, quas Theutus ille humano generi infensus genius, in summam perni-

perniciem excogitavit, adeo non utiles ad felicitatem, ut illi quoque ipsi officiant, ad quod proprie repertæ dicuntur, ut eleganter arguit apud Platonem, rex ille prudentissimus de literarum invento. Igitur disciplinæ cum reliquis humanæ vitæ pestibus irrepserunt, iisdem auctoribus, à quibus omnia flagitia proficiscuntur, puta dæmonibus, quibus hinc nomen etiam inventum, quasi *δειμος*, hoc est, scientes appelles. Siquidem simplex illa aurei seculi gens, nullis armata disciplinis, solo naturæ ductu, instinctuque vivebat. Quorsum enim opus erat grammatica, cum eadem esset omnibus lingua, nec aliud sermone petebatur, nisi ut alias alium intelligeret? Quis usus dialectices, ubi nulla erat pugnantium inter sententiarum dimicatio? Quis Rheticæ locus, cum nullus alteri negotium facefferet? Quorsum requireretur legum prudentia, cum abessent mali mores, ex quibus haud dubie bona leges prognatæ sunt? Porro religiosiores erant quam ut impia curiosi-

riositate, arcana naturæ , siderum
 mensuras, motus , effectus, abditas
 rerum causas scrutarentur, nefas esse
 rati, si homo mortalis, ultra sortem
 suam sapere conaretur. Iam quid
 extra cœlum esset , inquirendi de-
 mentia ne in mentem quidem venie-
 bat. At labente paulatim ætatis au-
 reæ puritate, primum à malis , ut di-
 xi, geniis inventæ sunt artes, sed pau-
 cæ, atque hæ quidem à paucis rece-
 ptæ. Postea sexcentas addidit Chal-
 dæorum superstitione, & Græcorum o-
 ciosa levitas, meras ingeniorum cru-
 ces, adeo ut vel una grammatica ab-
 unde satis sit ad perpetuam vitæ car-
 nificinam. Quanquam inter has ipsas
 disciplinas, hæ potissimum in precio
 sunt , quæ ad sensum communem,
 hoc est, ad stultitiam , quam proxime
 accedunt. Esuriunt Theologi , fri-
 gent Physici, ridentur astrologi , ne-
 gliguntur Dialectici. Solus ιατρὸς δὲ ἀ-
 νηπτωλῶν ἀτάξιος ἄλλων. Atque in hoc
 ipso genere, quo quis indoctior , au-
 daciior , incogitantiorque, hoc pluris
 fit etiam apud torquatos istos princi-
 pes,

pes. Atqui medicina, præsertim ut
 nunc à compluribus exeretur, nihil
 aliud est quam assentationis particu-
 la, non minus profecto quam Rheto-
 rica. Secundum hos proximus datur
 locus leguleiis, & haud scio an pri-
 mus, quorum professionem, ne quid
 ipsa pronunciem, velut asininam phi-
 losophi magno consensu ridere so-
 lent. Sed tamen horum asinorum ar-
 bitrio maxima minimaque negocia
 transiguntur. His latifundia crescunt,
 cum Theologus interim excussis to-
 tius divinitatis scriniis, lupinum ar-
 rodit, cum cimicibus ac pediculis af-
 fidue bellum gerens. Ut igitur feli-
 ciores sunt artes, quæ maiorem ha-
 bent cum stultitia affinitatem, ita lon-
 ge felicissimi sunt hi, quibus prorsus
 licuit ab omnium disciplinarū com-
 mercio abstinere, solamque naturam
 ducem sequi, quæ nulla sui parte
 manca est, nisi forte mortalis sortis
 pomæria transilire velimus. Odit na-
 tura fucos, multoque felicius prove-
 nit, quod nulla sit arte violatum. Age-
 dum, an non videtis ex unoquoque reli-

reliquorum animantium genere ea
felicissime degere, quæ sunt à disci-
plinis alienissima, nec ullius magiste-
rio nisi naturæ ducuntur? Quid api-
bus aut felicius, aut mirabilius? At
his ne corporis quidem omnes sen-
sus adsunt. Quid simile in extruendis
ædificiis reperiat architectura? Quis
unquam philosophus similem insti-
tuit rem publicam? Rursum equus
quoniam humanis sensibus affinis est,
& in hominum contubernium de-
migravit, humanarum item calami-
tatum est particeps. Quippe qui non
raro dum vinci pudet in certamini-
bus, dicit ilia, & in bellis dum ambit
triumphum, confoditur, simulque
cum sessore terram ore momordit.
Ut ne commemorem interim lupata
frena, aculeata calcaria, stabuli car-
cerem, scuticas, fustes, vincula, sesso-
rem, breviter omnem illam servitutis
tragœdiam, cui se ultro addixit, dum
fortes viros imitatus impensis ho-
stem ulcisci studet. Quanto optabi-
lior muscarum & avicularum vita, ex
tempore soloque naturæ sensu de-
gen-

gentium, modo per hominum infidias liceat? Quæ si quando caveis inclusæ assuescant humanas sonare linguis, mirum quam à nativo illo nitore degenerent. Adeo modis omnibus lætius est, quod natura condidit, quam quod fucavit ars. Proinde nunquam satis laudarim gallum illum Pythagoram, qui cum unus omnia fuisset, philosophus, vir, mulier, Rex, privatus, piscis, equus, rana, opinor etiam spongia; tamen nullum animal iudicavit calamitosius homine, propterea quod cætera omnia nature finibus essent contenta, solus homo fortis suæ limites egredi conaretur. Rursum inter homines, idiotas multis partibus anteponit doctis ac magnis. Et Gryllus ille non paulo plus sapuit, quam πολυμῆτες ὀδυσσέας, qui maluerit in hara grunnire, quam cum illo tot miseris obiici casibus. Ab his mihi non dissentire videtur Homerus, nugaruin pater, qui cum mortales omneis subinde δειλὸς καὶ μοχθητες appellat, tum Ulyssem illum suum sapientis exemplar sæpenumero θύετων

vocat, Paridem nusquam, nec Aia-
cem, nec Achillem. Quamobrem id
tandem? Nisi quod ille vafer & arti-
fex nihil non Palladis consilio age-
bat, nimiumque sapiebat, à naturæ
ductu quam longissime recedens. Ut
igitur inter mortales, ii longissime
absunt à felicitate, qui sapientiæ stu-
dent, nimirum hoc ipsos bis stulti,
quod homines nati cum sint, tamen
obliti conditionis suæ, deorum im-
mortalium vitam affectant, & gigan-
tum exemplo, disciplinarum machi-
nis, naturæ bellum inferunt, ita quam
minime miseri videntur ii, qui ad
brutorum ingenium stultitiamque
quam proxime accedunt, neque
quicquam ultra hominem moliun-
tur. Age experiamur, num hoc quo-
que non Stoicis enthymematis, sed
crasso quopiam exemplo queamus
ostendere. Ac per Deos immortales,
estne quicquam felicius isto homi-
num genere, quos vulgo moriones,
stultos, fatuos, ac bliteos appellant,
pulcherrimis, ut equidem opinor, co-
gnominibus? Rem dicam prima fron-
te stul-

te stultam fortassis atque absurdam,
sed tamen unam multo verissimam.
Principio vacant mortis metu , non
mediocri per Iovem malo. Vacant
conscientiæ carnificina. Non terri-
tantur manum fabulamentis. Non
expavescunt spectris ac lemuribus,
non torquentur metu impendentium
malorum, non spe futurorum bono-
rum distenduntur. In summa non
dilacerantur millibus curarum , qui-
bus hæc vita obnoxia est. Non pu-
descunt, non verentur, non ambiunt,
non invident, non amant. Denique
si proprius etiam ad brutorum ani-
mantium insipientiam accesserint, ne
peccant quidem auctoribus Theolo-
gis. Hic mihi iam expendas velim
stultissime sapiens, quot undique so-
licitudinibus noctes diesque discru-
cietur animus tuus , congeras in u-
num acervum universa vitæ tuæ in-
commoda , atque ita demum intelli-
ges , quantis malis meos fatuos sub-
duxerim. Adde huc, quod non solum
ipſi perpetuo gaudent, ludunt, cantil-
lant, rident , verum etiam cæteris o-
mnibus

mnibus quo cunque sese verterint, voluptatem, iocum, lusum, risumque adferunt, velut in hoc ipsum à deorum indulgentia dati, ut humanæ vitæ tristitiam exhilararent. Unde sit, ut cum aliis in alios varius sit affectus, hos omnes ex æquo tanquam suos agnoscant, expetant, pascant, fovant, complectantur, succurrant, si quid acciderit: impune permittant, quicquid vel dixerint, vel fecerint. Adeoque nemo illis nocere cupit, ut feræ quoque belluæ ab illorum iniuria temperent, sensu quodam innocentiae naturali. Sunt enim vere sacri diis, præcipue mihi, ideoque non iniuria hunc honorem omnes illis habent. Quid, quod summis etiam regibus adeo sunt in deliciis, ut nonnulli sine his neque prandere, nec ingredi, nec omnino vel horam durare possint. Neque vero paulo intervallo hos bliteos suis illis tetricis sophis anteponunt: quos tamen ipsos aliquot honoris gratia solent allere. Cur autem anteponant, nec obscurum arbitror, nec mirum videri

D debet,

debet, cum sapientes illi nil nisi triste soleant adferre principibus, suaque doctrina freti, non vereantur aliquoties auriculas teneras mordaci radere vero; Moriones autem id præstent, quod unum undecunque principes modis omnibus aucupantur, iocos, risus, cachinnos, delicias. Iam accipite & hanc non aspernandam stultorum dotem, quod soli simplices ac veridici sunt. Quid autem veritate laudatius? Quanquam enim Alcibiadeum apud Platonem proverbium, veritatem vino pueritiæque tribuit, tamen omnis ea laus mihi peculiarter debetur, vel Euripide teste, cuius extat illud celebre de nobis dictum, μωρὰ γέ μωρὸς λέγει. Fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu præ se fert, & oratione promit. At sapientum sunt duæ illæ linguae, ut idem meminit Euripides, quarum altera verum dicunt, altera, quæ pro tempore iudicarint oportuna. Horum est nigrum in candida vertere, & eodem ex ore frigidum pariter & calidum efflare, longeque aliud conditum habere in pectore,

pectore, aliud sermone fingere. Porro in tanta felicitate, tamen hoc nomine principes mihi videntur infelissimi, quod deest, à quo verum audiunt, & assentatores pro amicis habere coguntur. Sed abhorrent à vero principum aures, dixerit aliquis, & hac ipsa de causa sapientes istos fugiant, quod vereantur, ne quis forte liberior existat, qui vera magis quam iucunda loqui audeat. Ita quidem res habet, invisa regibus veritas. Sed tamen hoc ipsum mire in fatuis meis usu venit, ut non vera modo, verum etiam aperta convitia cum voluptate audiantur, adeo ut idein dictum, quod si à sapientis ore proficiscatur, capitale fuerat futurum: à morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuinam quandam delectandi vim veritas, si nihil accedat quod offendat; verum id quidem solis fatuis dii dederunt. Iisdem ferme de causis hoc hominum gente mulieres gaudere solent impensis, utpote ad voluptatem & nugas natura propensiores. Proinde quic-

D 2

quid

quid cum huiusmodi factitarint, etiam si non nunquam serium nimis, illæ tamen iocum ac lusum interpretantur, ut est ingeniosus, præsertim ad prætexenda commissa sua, sexus ille. Igitur ut ad fatuorum felicitatem redeam, multa cum iucunditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel sensu, recta in campos Elysios demigrant, & illic pias atque ociosas animas lusibus suis delectaturi. Eamus nunc, & quemvis etiam sapientem cum huius morionis sorte conferamus. Finge iam mihi quod huic opponas exemplar sapientiæ, hominem qui totam pueritiam atque adolescentiam in perdiscendis disciplinis contriverit, & suavissimam vitæ partem, perpetuis vigiliis, curis, sudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita vel tantillum voluptatis degustarit, semper parcus, pauper, tristis, tetricus, sibi ipsi iniquus ac durus, aliis gravis & invisus, pallore, macie, valetudine, lippitudine confetus, senio canicieque multo ante diem contracta, ante diem fugiens è vita.

vita. Quanquam quid refert quando moriatur istiusmodi , qui nunquam vixerit? Habetis egregiam illam sapientis imaginem. At hic rursus obgannijunt mihi *οι ον της σωτηρεγχοι*. Nihil, inquiunt, miserius insania. Sed insignis stultitia , vel insaniae proxima est , vel ipsa potius insania. Quid enim aliud est insanire , quam errare animo? Sed isti tota errant via. Age hunc quoque syllogismum dissipemus, Musis bene fortunantibus. Argute quidem isti, verum quemadmodum apud Platonem docet Socrates, ex una Venere secta duas , & ex uno Cupidine dissecto duos faciens : itidem & istos dialecticos decebat insaniam ab insania distinguere , si modo ipsi sani videri vellent. Neque enim protinus omnis insania calamitosa est. Alioqui non dixisset Horatius: An me ludit amabilis insanias neque Plato poëtarum, vatum , & amantium furem inter præcipua vi-
tæ bona collocasset: nec vates illa laborem Aeneæ vocasset insanum. Verum est duplex insaniae genus: alte-

rum quod ab inferis diræ ultrices
submittunt, quoties immisis angui-
bus, vel ardorem belli, vel inexple-
bilem auri sitim , vel dedecorosum
ac nefarium amorem , vel parrici-
dium, incestum, sacrilegium , aut a-
liam id genus pestem aliquam in pe-
ctora mortalium invehunt , sive cum
nocentem & consciū animū , fu-
riis ac terriculorum facibus agunt.
Est alterum huic longe dissimile,
quod videlicet à me proficiscitur , o-
mnium maxime exoptandum. Id ac-
cidit quoties iucundus quidam men-
tis error, simul & anxiis illis curis a-
nimū liberat, & multiuga volupta-
te delibutum reddit. Atqui hunc
mentis errorem ceu magnum quod-
dam deorum munus, ad Atticum scri-
bens, optat Cicero , nimirum quo-
tantorum malorum sensu carere pos-
set. Neque perperam sensit Argivus
ille, qui hactenus insaniebat, ut totos
dies solus desideret in theatro , ri-
dens, plaudens, gaudens , quod cre-
deret illic miras agi tragœdias , cum
nihil omnino ageretur, cum in cæte-
ris

ris vitæ officiis probe sese gereret, iucundus amicis, comis in uxore, posset qui ignoscere servis, Et signo læse non insanire lagenæ. Hunc ubi cognatorum opera datis pharmacis morbo levasset, sibique iam totus esset redditus, hunc in modum cum amicis expostulans: Pol, me occidistis amici, Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratissimus error. Et merito quidem: errabant enim ipsi, atque elleboro magis opus habebant, qui tam felicem ac iucundam insaniam, ceu malum aliquod, existimarent potionibus expellendam. Quanquam illud equidem nondum statui, num quivis sensus, aut mentis error, insaniae nomine sit appellandus. Neque enim si cui lippienti mulus asinus esse videatur: aut si quis indoctum carmen veluti doctissimum admiretur, is continuo videbitur insanire: Verum si quis non sensu tantum, sed animi iudicio fallatur, idque præter usitatum morem ac perpetuo, is demum insaniae censebitur affinis esse, veluti si

quis quoties asinum audierit ruden-
tem, arbitretur sese miros sympho-
niscos audire, aut si quis paupercu-
lus insimo loco natus, Crœsum Ly-
dorum regem esse se credat. Sed hoc
insaniæ genus, si, quemadmodū fere
sit, vergat ad voluptatem, non me-
diocrem delectationem adfert, tum
iis qui eo tenentur, tum illis, quibus
est hoc animadversum, nec tamen
codem insaniantur. Nam hæc insanioræ
species multo latius patet, quam vul-
gus hominum intelligit. Sed vicissim
insanus insanum ridet, ac mutuam
sibi voluptatem invicem ministrant.
Neq, raro fieri videbitis, ut maior in-
sanus, vehementius rideat minorem.
Verum hoc quisque felicior, quo plu-
ribus desipit modis, Stultitia iudice,
modo in eo genere insanioræ maneat,
quod nobis est peculiare, quod qui-
dem usquè adeo late patet, ut haud
sciam, an ex universa mortalium
summa quempiam liceat reperire qui
omnibus horis sapiat, qui que non
aliquo insanioræ genere teneatur. Quā-
quam hoc tantum interest, qui cu-
cur-

curbitam cum videt mulierem esse credit, huic insano nomen ponunt, propterea quia per paucis id usu venniat. Verum ubi quis uxorem suam, quam cum multis habet communē, plusquam Penelopen esse deierat, sibique maiorem in modum plaudit, feliciter errans, hunc nullus insanum appellat, propterea quod passim maritis hoc accidere videant. Ad hunc ordinem pertinent & isti, qui præ venatu ferarum omnia contemnunt, atque incredibili em animi voluptatem percipere se prædicant, quoties fædum illum cornuum cantum audierint, quoties canum eiulatus. Opinor etiani cum excrementa canum odorantur, illis cinnamomum vide ri. Deinde quæ suavitas, quoties fera lanianda est? Tauros & verveces humili plebi laniare licet, feram nisi à generoso secari nefas. Is nudo capite, inflexis genibus, gladio ad id destinato, neque enim quovis idem facere fas est, certis gestibus, certa membra, certo ordine religiose secat. Miratur interim perinde ut in re

D 5 nova

nova sacraque, circumstans tacita turba, quamvis spectaculum hoc plus nullies viderit. Porro cui contigerit e bellua non nihil gustare, is vero existimat sibi non parum nobilitatis accedere. Itaque cum isti assidua ferarum insectatione atque esu, nihil aliud assequantur, nisi ut ipsi prope modum in feras degenerent, tamen interea regiam vitam agere se putant. Et his simillimum genus eorum, qui insatiabili ædificandi studio flagrant, nunc rotunda quadratis, nunc quadrata rotundis permutantes. Neque vero finis ullus, neque modus, donec ad extremam redactis inopiam, nec ubi habitent, nec quid edant, superfit. Quid tum postea? Interim annos aliquot summa cum voluptate peregerunt. Ad quos mihi quidem proxime videntur accedere, qui novis & arcanis artibus, rerum species vertere moliuntur, ac terra marique quintam quandam essentiam venantur. Hos adeo lactat mellita spes, ut neque laborum, neque impensarum unquam pigeat, miro que

que ingenio semper aliquid excogitant, quo sese denuo fallant, sibique ipsis gratam faciant imposturam, donec absumptis omnibus, non sit quo iam fornaculam instruant. Non desinunt tamen iucunda somniare somnia, cæteros pro viribus ad eandem felicitatem animantes. Cumque iam prorsus omni spe destituuntur, superest tamen una sententia, abunde magnum solatium, In magnis & voluisse sat est. Ac tum vitæ brevitatē incusant, ut quæ magnitudini negocii non sufficerit. Porro aleatores nonnihil addubito, num in nostrum collegium sint admittendi. Sed tamen stultum omnino ridiculumque spectaculum est, quoties videamus nonnullos usque adeo addictos, ut simul atque strepitum tesserarum audierint, protinus illis cor saliat, palpitetque. Deinde cum semper illiciente vincendi spe, omnium facultatum naufragium fecerint, in aleæ scopulum illis nave, non paulo formidabiliorem Malea, vixque nudi emerserint, quosvis potius fraudant

D 6

quam

quam victorē, ne scilicet viri parum graves habeantur. Quid cum senes iam & cæcutientes, vitreis etiam oculis lusitant? Postremo cum iam iusta chiragra contudit articulos, vicarium etiam mercede conducunt, qui prof se talos in py:gum mittat? Suavis quidem res, nisi quod hic ludus plerumque solet in rabiem evadere, iamque ad furias, non ad me pertinere. Cæterum illud hominum genus haud dubie totum est nostræ farinæ, qui miraculis ac prodigiosis gaudent mendaciis, vel audiendis vel narrandis, nec ulla satietas talium fabularum, cum portentosa quædam, de spectris, de lemuribus, de larvis, de inferis, de id genus millibus miraculorum commemorantur: quæ quo longius absunt à vero, hoc & creduntur lubentius, & iucundiore pruritu titillant aures. Atque hæc quidem non modo ad levandum horarum tædium mire conducunt, verum etiam ad quæstum pertinent, præcipue sacrificis & concionatoribus. His rursus adfines sunt ii, qui sibi stul-

stultam quidem, sed tamen iucundam persuasionem induerunt, futurum, ut si ligneum, aut pictum aliquem Polyphemum Christophorum spexerint, eo die non sint perituri, aut qui sculptam Barbaram præscriptis verbis salutarit, sit incolumis è prælio reditus, aut si quis Erasmus certis diebus, certis cereolis, certisque preculis convenerit, brevis sit dives evasurus. Iam vero Georgium etiam Herculem invenerunt, quemadmodum & Hyppolitum alterum. Huius equum phaleris ac bullis religiosissime adornatum tantum non adorant, ac subinde novo quopiam munusculo demerentur, per huius æream galeam deierare, plane regium habetur. Nam quid dicam de iis, qui sibi fictis scelerum condonationibus, suavissime blandiuntur, ac purgatoriis spacia veluti clepsydris metiuntur, secula, annos, menses, dies, horas, tanquam è tabula Mathematica, citra ullum errorem dimetientes. Aut de iis, qui magicis quibusdam notulis ac preculis, quas pius ali-

aliquis impostor, vel animi causa,
 vel ad quæstum excogitavit, freti nihil
 sibi non pollicentur, opes, hono-
 res, voluptates, saturitates, valetu-
 dinem perpetuo prosperam, vitam
 longævam, senectam viridem, deni-
 que proximum Christo apud supe-
 ros confessum, quem tamen nolint,
 nisi admodum sero contingere, hoc
 est, cum huius vitae voluptates, invi-
 tos eos ac mordicus retinentes, ta-
 men deseruerint, tum succedant illæ
 cœlitum deliciæ. Hic mihi puta ne-
 gociator aliquis, aut miles, aut iu-
 dex, abiepto ex tot rapinis unico
 nummulo, universam vitæ Lernam
 semel expurgatam putat, totque per-
 iuria, tot libidines, tot ebrietates, tot
 rixas, tot cædes, tot imposturas, tot
 perfidias, tot proditiones existimat
 velut ex pacto redimi, & ita redimi,
 ut iam liceat ad novum scelerum or-
 bem de integro reverit. Quid autem
 stultius iis, imo quid felicius, qui se-
 ptem illis sacrorum psalmorum ver-
 siculis quotidie recitatis, plusquam
 summam felicitatem sibi promit-
 tunt?

tunt? Atque hos magicos versiculos
dæmon quispiam, facetus quidem
ille, sed futilis magis quam callidus,
Divo Bernardo creditur indicasse,
sed arte circumventus miser. Ethæc
tam stulta, ut me ipsam propemodum
pudeat, tamen approbantur, idque
non à vulgo modo, verum etiam à
religionis professoribus. Quid iam,
nonne eodem fere pertinet, cum sin-
gulæ regiones suum aliquem pecu-
liarem vindicant divum: cumque in
singulos singula quædam partiuntur,
singulis suos quosdam culturæ ritus
attribuunt, ut hic in dentiū cruciatu
succurrat, ille parturientibus dexter
adsit, aliis rei furto sublatam resti-
tuat: hic in naufragio prosper afful-
geat, ille gregem tueatur: atque item
de cæteris. Nam omnia percensere
longissimum fuerit. Sunt qui singuli
pluribus in rebus valeant, præcipue
Deipara virgo, cui vulgus hominum
plus prope tribuit, quam filio. Ve-
rum ab his divis quid tandem pe-
tunt homines, nisi quod ad stulti-
tiam attinet? Agedum inter tot ana-

themata

themata, quibus templorum querendam parietes omnes, ac testudinem ipsam refertam conspicitis, vidi stisne unquam qui stultitiam effugerit, qui vel pilo sit factus sapientior? Alius enatavit incolumis. Alius ab hoste perfossus vixit. Alius è prælio, pugnantibus cæteris, non minus feliciter quam fortiter aufugit. Alius in crucem subactus, favore divi cuiuspiam, furibus amici, decidit ut non-nullos etiam male divitiis onustos pergeret exonerare. Alius perfracto carcere fugit. Alius irato medico à febre revaluit. Alii potum venenum alvo soluta, remedio non exitio fuit, idque non admodum læta uxore, quæ operam & impensam luserit. Alius everso plaustro, equos incolumes domum abegit. Alius oppressus rina vixit. Alius à marito deprehensus elusit. Nullus pro depulsa stultitia gratias agit. Adeo suavis quædam res est nihil sapere, ut omnia potius deprecentur mortales, quam Moriam. Sed quid ego hoc superstitionum pelagus ingredior?

Non

*Non mihi si linguae centum sint, opera
que centum,
Ferrea vox, omneis fatuorum evolve-
re formas,
Omnia stultitia percurrere nomina
possim,*

usque adeo omnis omnium Christianorum vita istiusmodi delirationibus undique scaterit quas ipsas tamen sacrifici non gravatim & admittunt & alunt, non ignari quantum hinc lucelli soleat accrescere. Inter haec, si quis odiosus sapiens exoriatur, succinatque id, quod res est, non male peribis, si bene vixeris : peccata redimis, si nummulo addideris odium malefactorum, tum lachrinas, vigilias, precationes, ieunia, ac totam vitae rationem commutaris. Divus hic tibi favebit, si vitam illius emulaberis. Haec, inquam, atque id genus alia, si sapiens ille obganniat, videat quanta felicitate repente mortaliu[m] animos in quem tumultum retraxerit? Ad hoc collegium pertinent, qui vivi qua funeris pompa ve- lint effterri, tam diligenter statuunt,

ut

ut nominatim etiam præscribant, quot tædas, quot pullatos, quot cantores, quot luctus histriones velint adesse, perinde quasi futurum sit, ut aliquis huius spectaculi sensus ad ipsos sit redditurus, aut ut pudescant defuncti, nisi cadaver magnifice defodiatur, haud alio studio, quam si ædiles creati, ludos aut epulum edere studeant. Evidem tametsi prope-ro, tamen haud possum istos silentio prætercurrere, qui cum nihil ab infimo cerdone differant, tamen inani nobilitatis titulo mirum quam sibi blandiuntur. Alius ad Æneam, alias ad Brutum, alias ad Arcturum genus suum refert. Ostendunt undique sculp-tas & pictas maiorum imagines. Numerant proavos atque atavos, & antiqua cognomina commemorant, cum ipsi non multum absint à muta statua, pene iis ipsis, quæ ostentant signis, deteriores. Et tamen hac tam suavi Philautia felicem prorsum vi-tam agunt. Neque desunt æque stul-ti, qui hoc beluarum genus, perinde ut Deos suspiciunt. Sed quid ego de
une

uno aut altero genere loquor, quasi
vero non passim hæc Philautia pluri-
mos ubique miris modis felicissimos
efficiat? cum hic quavis simia defor-
mior, sibi plane Nireus videtur. Alius
simul atque treis lineas circino du-
xerit, prorsum Euclidem sese putat.
hic ἔρετος λύγει, & quo deterius nec
ille sonat, quo mordetur gallina ma-
rito, tamen alterum Hermogenem
esse se credit. Est autem illud longe
suavissimum insaniae genus, quo non
nulli quicquid ulli suorum dotis ad-
est, eo non aliter atque suo glorian-
tur. Qualis erat ille bis beatus apud
Senecam dives, qui narraturus hi-
storiolam quampiam, servos ad ma-
num habebat, qui nomina suggere-
rent, non dubitaturus vel in pugilum
certamen descendere, homo alioqui
adeo imbecillus, ut vix viveret, hac
re fretus, quod multos haberet domi
servos egregie robustos. Porro de ar-
tium professoribus, quid attinet
commemorare? quando peculiaris est
horum omnium Philautia, adeo ut
reperias citius, qui velit agello pa-
terno,

-sib

terno , quam ingenio cedere , verum
præcipue histrionum , cantorum , ora-
torum , ac poëtarum , quorum quo
quisque est indoctior , hoc sibi placet
insolentius , hoc sese magis iactat , ac
dilatat . Et inveniunt similes labra la-
etucas , imo quo quicquam est ine-
ptius , hoc plures admiratores nanci-
scitur , ut pessima quæque semper
plurimis arrident , propterea quod
maxima pars hominum , ut diximus ,
Stultiæ obnoxia est . Proinde si quis
est imperitior , & sibi ipsi multo iu-
cundior est , & pluribus admirationi ,
quid est quod is veram eruditionem
malit , primum magno constatarum ,
deinde reddituram & putidiorem &
timidiorem , postremo multo paucio-
ribus placitaram ? Iam vero video na-
turam , ut singulis mortalibus suam ,
ita singulis nationibus , ac pene civi-
tatis communem quandam inse-
visse Philautiam : Atque hinc fieri ,
ut Britanni præter alia , formam ,
musicam , & latitas mensas proprie-
sibi vindicent : Scotti , nobilitate , &
regiæ affinitatis titulo , neque non
dia-

dialecticis argutiis sibi blandiantur: Galli morum civilitatem sibi sumant: Parisienses, Theologicæ scientiæ laudem, omnibus prope submotis, sibi peculiariter arrogant: Itali bonas literas & eloquentiam afferant, atque hoc nomine sibi suavissime blandiantur omnes, quod soli mortalium barbari non sint. Quo quidem in genere felicitatis, Romani primas tenent, ac veterem illam Romam adhuc iucundissime somniant. Veneti nobilitatis opinione sunt felices. Græci tanquam disciplinarum autores, veteribus illis laudatorum heroum titulis sese venditant. Turcæ, totaque illa vere barbarorum colluvies etiam religionis laudem sibi vindicat, Christianos perinde uti superstitiones irridens. Ac multo etiam suavius Iudæi etiam dum Messiam suum constanter expectant, ac Mosen suum hodieque mordicus tenent. Hispani bellicam gloriam nulli concedunt: Germani corporum proceritate, & magiæ cognitione sibi placent. Ac ne singula persequar, videotis

tis opinor , quantum ubique voluptatis pariat singulis & universis mortalibus Philautia , cui prope par est Assentatio soror. Nihil enim aliud Philautia , quam cum quis ipse sibi palpatur. Idem si alteri facias, *κολαζία* fuerit. At hodie res quædam infamis est adulatio , sed apud eos , qui rerum vocabulis magis , quam rebus ipsis commoventur. Existimant cum adulatione fidem male cohærere : quod multo secus se habere , vel brutorum animantium exemplis poterant admoneri. Quid enim cane adulantius ? at rursus quid fidelius ? Quid sciuro blandius ? at hoc quid est homini magis amicum ? Nisi forte vel asperi leones , vel immites tigres , vel irritabiles pardi magis ad vitam hominū conducere videntur. Quanquam est omnino perniciosa quædam adulatio , qua nonnulli perfidiosi & irrisores , miseros in perniciem adiungunt. Verum hæc mea ab ingenii benignitate , candoreque quodam proficiscitur , multoque virtuti vicinior est , quam ea quæ huic opponitur , asperi-

speritas, ac morositas inconcinna, ut
ait Horatius, gravisque. Hæc deie-
ctiores animos erigit, demulcet tri-
stes, extimulat languentes, exerce-
facit stupidos, ægrotos levat, feroce-
mollit, amores conciliat, conciliatos
retinet. Pueritiam ad capescenda stu-
dia literarum allicit, senes exhilarat,
principes citra offensam sub imagine
laudis, & admonet & docet. In sum-
ma, facit ut quisque sibi ipse sit iu-
cundior & charior, quæ quidem fe-
licitatis pars est vel præcipua. Quid
autem officiosius, quam cum mu-
tuum muli scabunt? Ut ne dicam in-
terim hanc esse magnam illius lauda-
tæ eloquentiæ partem, maiorem me-
dicinæ, maximam poëticæ. Denique
esse totius humanæ consuetudinis
mel & condimentum. Sed falli, in-
quiunt, miserum est, imo non falli
miserrimum. Nimium enim desi-
piunt, qui in rebus ipsis felicitatem
hominis sitam esse existimant. Ex
opinionibus ea pendet. Nam re-
rum humanarum tanta est obscuri-
tas, varietasque, ut nihil dilucide sciri
possit,

possit, quemadmodum recte dictum est ab Academicis meis, inter philosophos quam minimum insolentibus. Aut si quid sciri potest, id non raro officit etiam vitæ iucunditati. Postremo sic sculptus est hominis animus, ut longe magis fucis, quam veris capiatur, cuius rei si quis experimentum expositum & obvium quærat, conciones ac templa petat, in quibus si quid serium narratur, dormitant, oscitant, nauseant omnes. Quod si clamator ille, lapsa sum, declamator dicere volebam, ita ut saepe faciunt, anilem aliquam fabellam exordiatur, expurgiscuntur, eriguntur, inhiant omnes. Item si quis sit divus fabulosior & poëticus, quod si exemplum requiris, finge huius generis Georgium aut Christophorum, aut Barbaram, videbitis hunc longe religiosius coli, quam Petrum, aut Paulum, aut ipsum etiam Christum. Verum hæc non huius sunt loci. Iam quanto minoris constat hæc felicitatis accessio? Quandoquidem res ipsas aliquoties magno negocio pares

pares oportet, vel levissimas, uti grammaticen. At opinio facillime sumitur, quæ tamen tantundem aut amplius etiam ad felicitatem conductat. Age si quis putribus vescatur falsamentis, quorum alius nec odorem ferre possit, & tamen huic ambrosiam sapiant, quæso quid interest ad felicitatem? Contra si acipenser alicui nauseam sapiat, quid referet ad vitæ beatitudinem? Si cui sit uxor egregie deformis, quæ tamen marito, vel cum ipsa Venere certare posse videatur, nonne perinde fuerit, ac si vere formosa foret? Si quis tabulam minio lutoque male oblitarum, suspectet, ac demiretur, persuasum habens, Apellis aut Zeusidis esse picturam, nonne felicior etiam fuerit eo, qui eorum artificum manum magno emerit, fortassis minus ex eo spectaculo voluptatis percepturus? Novi ego quendam mei nominis, qui novæ nuptæ gemmas aliquot adulterinas dono dedit, persuadens, ut erat facundus nugator, eas non modo veras ac nativas esse; verum etiam

E fin-

singulari atque inæstimabili precio.
Quæso, quid intererat pueræ , cum
vitro non minus iucunde pasceret &
oculos , & animum , nugas perinde
ut eximum aliquem thesaurum con-
ditas apud sese servaret ? Maritus in-
terim & sumptum effugiebat, & uxo-
ris errore fruebatur , nec eam tamen
sibi minus habebat devinctam, quam
si magno empta donasset. Num quid
interesse censemus inter eos , qui in
specu illo Platonico variarum rerum
umbras & simulacra demirantur, mo-
do nihil desiderent, neque minus sibi
placeant: & sapientem illum, qui spe-
cum egressus, veras res aspicit. Quod
si Mycillo Lucianico dives illud &
aureum somnium perpetuo somniare
licuisset, nihil erat cur aliam optaret
felicitatem. Aut nihil igitur interest,
aut si quid interest, potior etiam stul-
torum conditio. Primum quod iis
sua felicitas minimo constat, id est,
sola persuasiuncula. Deinde , quod
ea fruuntur cum plurimis communi-
ter. Porro nullius boni iucunda sine
socio possessio. Quis enim nescit
quanta

quanta sapientum paucitas, si modo quisquam inveniatur? quanquam ex tot seculis Græci septem omnino numerant, quos me hercle, si quis accuratius excutiat, dispeream si vel semisapientem inveniet, imo si vel trientem viri sapientis. Proinde cum inter multas Bacchi laudes, illud habeatur, ut est, primarium, quod animi curas eluat, idque ad exiguum modo tempus: nam simul atque villum edormieris, protinus albis, ut aiunt, quadrigis recurrunt animi molestiae: quanto meum beneficium cum plenius, tum præsentius, quæ perpetua quadam ebrietate, mentem gaudiis, deliciis, tripudiis, expleo, idque nullo negocio? Neque quemquam omnino mortalem mei muneris expertem esse fino, cum reliquæ numinum dotes, aliæ ad alios perveniant: Non ubivis pascitur generosum & lene merum, quod curas abigat, quod cum spe divite manet. Paucis contigit formæ gratia, Veneris munus, paucioribus eloquentia, Mercurii donum. Nō ita multis obtigerunt
E 2 opes,

opes, dextro Hercule. Imperium non cuivis concedit Iupiter Homericus. Sæpenumero Mavors neutrīs favet copiis. Cōplures ab Apollinis tripode tristes discedūt. Sæpe fulminat Saturnius. Phœbus aliquando iaculis pestem immittit. Neptunus plures extinguit quam servat. Ut interim Væjoves istos, Plutones, Atas, Pœnas, Febres, atque id genus, non Deos, sed carnifices non commemorem. Ego sum una illa stultitia, quæ omneis ex æquo tam parata beneficentia complector. Nec vota moror, nec irascor, exposcens piamina, si quid cæremoiarum fuerit prætermissum. Nec cœlum terræ misceo, si quis reliquis invitatis diis, me domi relinquat, nec admittat ad nidorem illum victimarum. Nam cæterorum deorum tanta in his est morositas, ut prope maius sit operæ pretium, atque adeo tutius, illos negligere quam colere. Quemadmodum sunt & homines nonnulli, tam difficiles, & ad læendum irritabiles, ut præstiterit eos prorsum alienissimos habere, quam fami-

familiares. At nemo, inquiunt, stultiæ sacrificat, neque templum statuit. Evidem demiror, ut dixi, non nihil hanc ingratitudinem. Verum hoc quoque pro mea facilitate boni consulo: quanquam ne hæc quidem desiderare possim. Quid enim est cur tusculum aut molam, aut hircum, aut suem requiram, cum mihi mortales omnes ubique gentium eum cultum persolvant, qui vel à Theologis maxime probari solet? Nisi forte Diana debeam invidere, quod illi humano sanguine litatur. Ego meum religiosissime coli puto, cum passim, ut faciunt omnes, animo complectuntur, moribus exprimunt, vita repræsentant. Qui quidem divisorum cultus, nec apud Christianos admodum frequens est. Quanta turba eorum, qui Deiparæ virginis cereolum affigunt, idque in meridie, cum nihil est opus? Rursum quam pauci qui eandem vitæ castimonia, modestia, cœlestium rerum amore studeant emulari? Nam is demū verus est cultus, longeque cœlitibus gratissimus.

Præterea cur templum desiderem,
cum orbis hic universus templum
mihi sit, ni fallor, pulcherrimum?
Neque vero defunt mystæ, nisi ubi
defunt homines. Nec iam usque adeo
stulta sum, ut saxeas ac coloribus fa-
catas imagines requiram, quæ cultui
nostro nonnunquam officiunt, cum à
stupidis & pinguibus istis, signa pro
divis ipsis adorantur. Nobis interim
usu venit, quod solet iis, qui à vica-
riis suis extruduntur. Mihi tot sta-
tuas erectas puto, quot sunt morta-
les, vivam mei imaginem præse fer-
entes, etiam si nolint. Itaque nihil
est quod reliquis diis invideam, si
aliis in angulis terrarum alii colan-
tur, idque statis diebus: quemadmo-
dum Rhodi Phœbus, in Cypro Ve-
nus, Argis Iuno, Athenis Minerva, in
Olymbo Jupiter, Tarenti Neptunus,
Lampsaci Priapus, modo mihi com-
muniter orbis omnis longe potiores
victimas assidue præbeat. Atqui si cui
videor hæc audacius quam verius di-
cere, agendum paulisper ipsas homi-
num vitas inspiciamus, quo palam
fiat,

fiat, & quantum mihi debeant, & quanti me faciant maximi pariter ac minimi. At non quorumlibet vitam recensemus, nam id quidem perlongum, verum insignium tantum, unde reliquos facile sit æstimare. Quid enim attinet de vulgo, plebeculaque commemorare, quæ citra controversiam tota mea est? tot enim undique stultiæ formis abundat, tot indies novas comminiscitur, ut nec mille Democriti ad tantos risus suffecerint: quanquam illis ipsis Democritis rursum alio Democrito foret opus. Quin etiam incredibile sit dictu, quos risus, quos ludos, quas delitias, homunculi quotidie præbeant superis. Nam hi quidem horas illas sobrias, & antemeridianas iurgiosis consultationibus, ac votis audiendis impertiunt. Cæterum ubi iam nectare madent, neque lubet quicquam serium agere, tum qua parte cœlum quam maxime prominet, ibi confidet ac pronis frontibus, quid agitent homines, speculantur. Nec est aliud spectaculum illis suavius. Deum im-

E 4 morta-

mortalem, quod theatrum est illud, quam varius stultorum tumultus? Nam ipsa nonnunquam in deorum poëticorum ordinibus considere soleo. Hic deperit in mulierculam, & quo minus adamatur, hoc amat impotenterius. Ille dotem dicit, non uxorem. Ille sponsam suam prostituit. Alius zelotypus velut Argus observat. Hic in luctu papæ quam stulta dicit facitque? conductis etiam velut histriónibus; qui luctus fabulam peragant. Ille flet ad novercæ tumulum. Hic quicquid undecunque potest corraderet, id totum ventriculo donat, paulo post fortiter esuritus. Hic somno & ocio nihil putat felicius. Sunt qui alienis obeundis negotiis sedulo tumultuantur, sua negligunt. Est qui versuris, atque ære alieno divitem se esse putat, mox decoccurus. Alius nihil arbitratur felicius, quam si ipse pauper hæredem locupleret. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, undis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilem.

Ille

Ille mavult bello divitias quærere,
 quam tutum ocium exigere domi.
 Sunt qui captandis orbis senibus, pu-
 tant quam commodissime ad opes
 perveniri. Neque desunt, qui idem
 malint deamandis beatis aniculis au-
 cupare. Quorum utriusque tum de-
 dum egregiam de se voluptatem diis
 spectatoribus præbent, cum ab ipsis,
 quos captant, arte deluduntur. Est o-
 mnium stultissimum ac sordidissi-
 mum negotiatorum genus, quippe
 qui rem omnium sordidissimam tra-
 ctent, idque sordidissimis rationi-
 bus, qui cum passim mentiantur, pe-
 ierent, furentur, fraudent, imponant,
 tamen omnium primos sese faciunt,
 propterea quod digitos habeant au-
 ro revinctos. Nec desunt adulatores
 fraterculi, qui mirentur istos, ac ve-
 nerabiles palam appellant, nimirum,
 ut ad ipsos aliqua male partorum
 portiuncula redeat. Alibi videoas Py-
 thagoricos quosdam, quibus usque
 adeo omnia videntur esse communia,
 ut quicquid usquam incustoditum
 nacti fuerint, id velut hæreditate ob-

E 5 venerit,

venerit, æquo animo tollant. Sunt qui votis tantum divites sunt, & iucunda quædam sibi fingunt somnia, idque ad felicitatem satis esse putant. Nonnulli foris divites haberi gaudent, domi gnaviter esuriunt. Hic festinat quicquid habet profundere, ille per fas nefasque congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum semet oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc atque hinc certatim contendunt, ut prorogatorem iudicem, & collusorem ditent advocationem. Hic rebus novandis studet, ille magnum quiddam molitur. Est qui Hierosolymam, Romam, aut divum Iacobum adeat, ubi nihil est illi negotii, domi relictis cum uxore liberis. In summa si mortalium innumerabiles tumultus è luna, quemadmodum Menippus olim, despicias, putas te muscarum, aut culicum videre turbam inter se rixantium, bellantium, insidianantium, rapientium, ludentium, lascivientium, nascentium, carentium, morientium, Neque satis credi

credi potest, quos motus, quas tragœdias cieat tantulum animalculum, tamque mox periturum. Nam aliquoties vel levis belli, seu pestilentiae procella multa simul millia rapit ac dissipat. Sed ipsa stultissima sim, planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, si pergam popularium stultitarum, & insaniarum formas numerare. Ad eos accingar, qui sapientiae speciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum, ut aiunt, auctupantur, inter quos grammatici primas tenent, genus hominum profecto, quo nihil calamitosius, nihil afflictius, nihil æque diis invisum foret, nisi ego miserrimæ professionis incommoda dulci quodam insaniae genere mitigarem. Neque enim πέντε κατάργεις, id est, quinque tantum diris obnoxii sunt isti, quemadmodum indicat epigramma Græcum, verum sexcentis, ut qui semper famelici, sordidique in ludis illis suis, in ludis dixi, imo in φροντισησίαις, vel pistrinis potius, ac carnificinis inter puerorum greges, consenserescant

laboribus, obsurdescant clamoribus,
 fœtore pædoreque contabescant, ta-
 men meo beneficio fit, ut sibi primi
 mortalium esse videantur. Adeo sibi
 placent, dum pavidam turbam mina-
 ci vultu voceque territant, dum fe-
 rulis, virgis, lorisque conscindunt
 miseros, dumque modis omnibus
 suo arbitratu sœviunt, asinum illum
 Cumanum imitantes. Interim sordes
 illæ, meræ mundiciæ videntur, pædor
 amaricinum olet, miserrima illa ser-
 vitus regnum esse putatur, adeo ut
 tyrannidem suam nolint cum Phala-
 ridis aut Dionysii imperio commuta-
 re. Sed longe etiam feliciores sunt,
 nova quadam doctrinæ persuasione.
 Siquidem cum plerique mera delira-
 menta pueris inculcent, tamen dii
 boni, quem non illi Palæmonem,
 quem non Donatum præ se conte-
 mnunt? idque nescio quibus præsti-
 giis mire efficiunt, ut stultis matercu-
 lis & idiotis patribus tales videantur,
 quales ipsi se faciunt. Iam adde &
 hoc voluptatis genus, quoties isto-
 rum aliquis Anchisæ matrem, aut
 vocu-

voculam vulgo incognitam, in putri
quapiam charta deprehenderit, puta
bubsequam, bovinatorē, aut manti-
culatorem, aut si quis vetusti saxi fra-
gmentum, mutilis notatum literis,
alicubi effoderit, ò Iupiter, quæ tum
exultatio, qui triumphi, quæ enco-
mia, perinde quasi vel Africam devi-
cerint, vel Babylonas ceperint. Quid
autem cum frigidissimos & insulfissi-
mos vermiculos suos passim ostentant,
neque desunt qui mirentur, iam pla-
ne Maronis animam in suum pectus
demigrasse credunt. At nihil omnium
suavius quam cum ipsi inter se se mu-
tua talione laudant ac mirantur, vi-
cissimque scabunt. Quod si quis alias
verbulo lapsus sit, idque forte for-
tuna hic oculatior deprehenderit,
~~τέλεσις~~ quæ protinus tragœdiæ, quæ
digladiationes, quæ convicia, quæ in-
vectivæ? Male propitos habeam o-
mnes grammaticos, si quid mentior.
Novi quendam πολυτεχνότατον, græ-
cum, latinum, mathematicum, philo-
sophum, medicum, ταῦτα διδασκαλικά,
iam sexagenarium, qui cæteris rebus
omis-

omissis, annis plus viginti se torquet
ac discruciat in grammatica, prorsus
felicem se fore ratus, si tam diu li-
ceat vivere, donec certo statuat, quo-
modo distinguendæ sint octo partes
orationis, quod hactenus, nemo
Græcorum aut Latinorum ad ple-
num præstare valuit. Perinde quasi
res sit bello quoque vindicanda, si
quis coniunctionem faciat dictio-
nem ad adverbiorum ius pertinen-
tem. Et hac gratia, cum totidem
sint grammaticæ quot grammatici,
imo plures: quandoquidem Aldus
meus unus, plus quinques gramma-
ticam dedit, hic nullam omnino quā-
tumvis barbare aut moleste scriptam
prætermittit, quam non evolvat, ex-
cutiatque, nemini non invidens, si
quid quantumlibet inepte molitur
in hoc genere, misere timens, ne quis
forte gloriam hanc præripiat, & pe-
reant tot annorum labores. Utrum
insaniam hanc vocare mayultis, an
stultitiam? Nam mea quidem haud
magni refert, modo fateamini meo
beneficio fieri, ut animal omnium

alio-

dimo

alioqui longe miserrimum, eo felicitatis evehatur, ut sortem suam neque cum Persarum regibus cupiat permutare. Minus mihi debent Poëtæ, tametsi vel ex professo meæ sunt factionis, quippe liberum genus, ut habet proverbium, quorum omne studium non alio pertinet, quam ad demulcendas stultorum aures, idque meritis nugamentis, ac ridiculis fabulis. Et tamen his freti dictu mirum, ut cum sibi polliceantur immortalitatem, & diis parem vitam; tum aliis eandem promittant. Huic ordini præ cæteris familiares φιλαυτία καὶ κολακία, nec ab ullo mortalium genere color neque simplicius, neque constantius. Porro Rethores, quamquam non nihil illi quidem prævaricantur, collauduntque cum philosophis, tamen hos quoque nostræ factionis esse, cum alia multa, tum illud in primis arguit, quod præter alias nugas, tam accurate, tam multa de iocandi ratione conscriperunt. Atque adeo stultitiam ipsam inter facetiarum species numerat, quisquis is fuit, qui

ad.

ad Herennium dicendi artem conscripsit: Quodque apud Quintilianum, huius ordinis longe principem, caput est de risu vel Iliade prolixius: tantum denique stultiæ tribunt, ut sæpen numero quod nullis argumentis dilui possit, risu tamen eludatur. Nisi si quis hoc arbitretur ad stultitiam non pertinere, ridiculis dictis excitare cachinnos, idque arte. Huius farinæ sunt & isti, qui libris edendis famam immortalem aucupantur. Hic cum omnes mihi plurimum debent, tum præcipue qui meras nugas chartis illinunt. Nam qui erudite ad paucorum doctorum iudicium scribunt, qui que nec Persium, nec Lægium iudicem recusant, mihi quidem miserandi magis, quam beati videntur, ut qui sese perpetuo torqueant. Addunt, mutant, admunt, repnnunt, repetunt, redundunt, ostendunt, nonum in annum premunt, nec unquam sibi satisfaciunt, ac futile præmium, nempe laudem, eamque per paucorum, tanti emunt, tot vigiliis, somnique rerum omnium dulcissi-

cissimi, tanta iactura, tot sudoribus,
tot crucibus. Adde nunc valetudinis
dispendium, formæ perniciem, lippi-
tudinem, aut etiam cæcitatem, pau-
pertatem, invidiam, voluptatum ab-
stinentiam, senectutem præprope-
ram, mortem præmaturam, & si qua-
sunt alia eiusmodi. Tantis malis sa-
piens ille redimendum existimat, ut
ab uno aut altero lippo probetur. At
meus ille scriptor, quanto delirat fel-
licius, dum nulla lucubratione, ve-
rum utcunque visum est animo, quic-
quid in calamum incidit, vel somnia
sua, statim literis prodit, levi dunta-
xat chartarum iactura, non ignarus
futurum, ut quo nugaciōres nugas
scriferit, hoc à pluribus, id est, stultis
& indoctis omnibus probetur. Quid
enim est negotii, trevis illos doctos, si
tamen ea legerint, contemnere? Aut
quid valebit, tam paucorum sapien-
tium calculus in tam immensa recla-
mantium turba? Sed magis etiam sa-
piunt, qui aliena pro suis edunt, &
alieno magnoque partam labore glo-
riam, verbis in se transmovent, hoc
vide-

videlicet freti, quod arbitrentur futurum, ut etiam si maxime coarguantur plagii, tamen aliquanti temporis usuram sint interim lucrifac*turi*. Videre est operæ pre*ci*um, quam hi sibi placeant, cum vulgo laudantur, cum digito ostenduntur in turba, ~~Et rōs ēsīrō dērōs ēneīros~~, cum apud bibliopolas prostant, cum in omnium paginarum frontibus leguntur tria nomina, pr̄esertim peregrina, ac magicis illis similia. Quæ per Deum immortalem quid aliud sunt quam nomina? Deinde quam à paucis cognoscenda, si mundi vastitatem respicias: tum à quanto paucioribus laudanda, ut sunt etiam indoctorum diversa palata. Quid quod ea ipsa nomina non raro configuntur, aut è pris*corum* libris adoptantur? Cum alius sese Telemachum, alius Stelenum aut Laërtēm: hic Polycratem, ille Trasymachum se nominari gaudet, ut nihil iam referat, etiam si chamaeleonti aut curbitæ, sive, quemadmodum solent philosophi loqui, alpha aut beta librum inscribas. Illud autem lepidissimum,

simum, cum mutuis epistolis, carminebus, encomiis sese vicissim laudant, stulti stultos, indoctos indocti. Hic illius suffragio discedit Alcæus, ille huius Callimachus, ille huic est M. Tullio superior, hic illi Platone doctior. Nonnunquam etiam antagonistam querunt, cuius æmulatione famam augeant. Hinc scinditur incertum studia in contraria vulgus, donec uterque dux re bene gesta vicit or discedit, uterque triumphum agit. Rident hæc sapientes, ut, veluti sunt, stultissima. Quis enim negat? Sed interim meo beneficio suavem vitam agunt, ne cum Scipionibus quidem suos triumphos commutaturi. Quamquam docti quoque interim dum hæc magna cum animi voluptate rident, & aliena fruuntur insanis, non paulum mihi debent, & ipsi, quod inficiari non possunt, nisi sint omnium ingratissimi. Inter eruditos iurisconsulti sibi vel primum vindicant locum, neque quisquam aliis æque sibi placet, dum Sisyphi saxum assidue volvunt, ac sexcentas

leges

leges eodem spiritu contexunt, nihil
refert quam ad rem pertinet, dum
que glossematis glossemata, opinio-
nes opinionibus cumulantes, effi-
ciunt ut stultum illud omnium diffi-
cillimum esse videatur. Quicquid
enim laboriosum, idem protinus &
præclarum existimant. Adiungamus
his dialecticos ac sophistas, homi-
num genus quovis ære Dodonæo lo-
quacius, ut quorum unusquisvis cum
vicenis delectis mulieribus garrulita-
te decertare possit, feliores tamen
futuri, si tantum linguaces essent non
etiam rixosi, adeo ut de lana caprina
pertinacissime digladiantur, & ni-
nium altercando plerumque verita-
tem amittant. Hos tamen sua phi-
lautia beatos reddit, dum tribus in-
structi syllogismis, incunctanter au-
dent quavis de re cum quovis ma-
num conserere. Cæterum pertinacia
reddit invictos, etiamsi Stentorē op-
ponas. Sub hos prodeunt philoso-
phi, barba pallioque verendi, qui se
solos sapere prædicant, reliquos o-
mnes mortales, umbras volitare.

Quam

Quam vero suaviter delirant , cum
innumerabiles ædificant mundos,
dum solem, dum lunam , stellas, or-
bes, tanquam pollice filove metiun-
tur, dum fulminum, ventorum , ecli-
psium ac cæterarum inexplicabilium
rerum causas reddunt , nihil usquam
hæsitantes , perinde quasi naturæ re-
rum architectici fuerint à secretis,
quasive è deorum consilio nobis ad-
venerint : quos interim natura cum
suis coniecturis , magnifice ridet.
Nam nihil apud illos esse comperti,
vel illud satis magnum est argumen-
tum, quod singulis de rebus inexplic-
abilis inter ipsos est digladiatio. Ii
cum nihil omnino sciant , tamen o-
mnia se scire profitentur : cumque se-
ipsos ignorent, neque fossam aliquo-
ties, aut saxum obvium videant , vel
quia lippiant plerique, vel quia pere-
grinantur animi , tamen ideas , uni-
versalia , formas separatas , primas
materias , quidditates , ecceitates ,
formalitates, instantia videre se præ-
dicant , res adeo tenues , ut neque
Lynceus , opinor , possit perspicere.

Tum

Tum vero præcipue prophanum vulgus aspernantur, quoties triquetris, & retragonis circulis, atque huiusmodi picturis mathematicis, aliis super alias inductis, & in labyrinthi speciem confusis, præterea literis velut in acie dispositis, ac subinde alio atque alio repetitis ordine, tenebras offundunt imperitioribus. Neq; defunt ex hoc genere qui futura quoque prædicant consultis astris, ac miracula plus quā magica pollicantur, & inveniuntur homines fortunati, qui hæc quoque credant. Porro Theologos silentio transire fortasse præstiterit, *καὶ τάντας καμαρένας μὴ κυνέην*, nec hanc anagyrim tangere, utpote genus hominum mire superciliosum atque irritabile, ne forte turmatim sexcentis conclusionibus adoriantur, & ad palinodiam adigant, quod si recusem, protinus hæreticam clamitent. Nam illico solent hoc terrere fulmine, si cui sunt parum propitii. Sane quanquam non alii sunt, qui minus libenter agnoscant meam in se beneficentiam, tamen hi quoque non mediocri-

diocribus nominibus obstricti sunt, dum felices sua Philautia perinde quasi ipsi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortaleis omneis, ut humi reptantes pecudes, è sublimi despiciunt, ac prope commiserantur, dum tanto magistralium definitionum, conclusionum, corollariorum, propositionum explicitarum & implicitarum agmine septi sunt, tot exuberant *κρησφυγίτης*, ut nec Vulcanis vinculis sic possint irretiri, quin elabuntur distinctionibus, quibus nodos omneis adeo facile secant, ut non Tenedia bipennis melius: tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigiosis vocibus scatent. Præterea dum arcana mysteria suo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digestus sit mundus. Per quos canales labes illa peccati in posteritatem derivata sit: quibus modis, qua mensura, quantulo tempore in virginis utero fit absolutus Christus: quemadmodum in synaxi accidentia subsistant sine domicilio. Sed hæc protritia. Illa demum magnis, & illumina-

minatis, ut vocant, Theologis digna putant, ad hæc si quando incidunt, expurgiscuntur. Num quod instans in generatione divina. Num plures in Christo filiationes. Num possibilis propositio: Pater Deus odit filium? Num Deus potuerit suppositare mulierem, num diabolum, num asinum, num cucurbitam, num silicem? Tum quemadmodū cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci. Et quid consecrasset Petrus, si consecrasset eo tempore, quo corpus Christi pendebat in cruce? Et num eodem tempore Christus homodici potuerit: & num post resurrectionem edere aut bibere fas sit futurum, iam nunc famem sitimque præcavetes. Sunt innumerabiles *λεπτολεπτα*, his quoque multo subtiliores, de notionibus, relationibus, instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, ecceitatibus, quas nemo possit oculis assequi nisi tam Lynceus, ut ea quoque per altissimas tenebras videat, quæ nusquam sunt. Addenunc his γράμμας illas adeo *ταχεδόξες*, ut illa

Stoi-

ENCOMIUM MORIAE. IIS
Stoicorum oracula , quæ paradoxa
vocant, crassissima præ his videantur,
& circumforanea , velut levius esse
crimen , homines mille iugulare ,
quam semel in die dominico calceum
pauperi consuere . Et potius esse
committendum , ut universus orbis
pereat una cum victu & vestitu, quod
aiunt, suo , quam unicum quantum-
libet leve mendaciolum dicere. Iam
has subtilissimas subtilitates subti-
liores etiam reddunt tot scholastico-
rum viæ, ut citius è Labyrinthis te-
met explices , quam ex involucris
Realium, Nominalium , Thomista-
rum, Albertistarum , Occanistarum,
Scotistarum, & nondum omneis dixi
sectas, sed præcipuas duntaxat. In
quibus omnibus tantum est erudi-
tionis, tantum difficultatis , ut existi-
ment ipsi Apostolis alio spiritu opus
fore , si cogantur hisce de rebus cum
hoc novo Theologorum genere con-
serere manus. Paulus fidem præstare
potuit, at idem cum ait: Fides est sub-
stantia rerum sperandarum , argu-
mentum non apparentium : parum

F

magi-

magistraliter definivit. Idem ut charitatem optime præsttit, ita parum dialectice vel dividit, vel finit, in priorre ad Corinthios epistola, cap. decimo tertio. Ac pie quidem illi consecrabant synaxim, & tamen rogati de termino à quo, & termino ad quem, de transubstantiatione, de modo quo corpus idem sit in diversis locis, de differentia, qua corpus Christi est in cœlo, qua fuit in cruce, qua in sacramento synaxeos, quo puncto fiat transubstantiatio, cum oratio per quam ea fit, ut quantitas discreta sit in fluxu, non pari, sicut opinor, respondissent acumine, quo Scotidæ differunt hæc, ac definiunt. Noverant illi Iesu matrem, sed quis eorum tam philosophice demonstravit, quo modo fuerit ab Adæ macula præservata, quam nostri Theologi? Petrus accepit claves, & accepit ab eo, qui non committat indigno, & tamen an intellexerit, nescio, certe nusquam attigit subtilitatem, quomodo scientiæ clavem habeat is quoque, qui scientiā non habeat. Baptizabant illi passim,

passim, & tamen nusquam docuerunt, quæ sit causa formalis, materialis, efficiens, & finalis baptismi, nec characteris delebilis, & indelebilis apud hos ulla mentio. Adorabant quidem illi, sed in spiritu, nihil aliud sequentes, quam illud Euangelicum, spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Verum haud apparet eis tum fuisse revelatum, una eademque adoratione adorandam imagunculam carbone delineatam in pariete, & Christum ipsum, si modo duobus sit porrectis digitis, intonsa coma, & in umbone qui adhæret occipitio, treis habeat notas. Quis enim hæc percipiat nisi xxxvi. annos totos in physicis, & ultramundanis Aristotelis & Stoicis contriverit? Identidem inculcant Apostoli gratiam, at iidem nusquam distinguunt, quid intersit inter gratiam gratis datam, & gratiam gratificantem, Hortantur ad bona opera, nec discernunt opus operans & opus operatum. Passim inculcant charitatem, nec secernunt infusam

fusam ab acquisita, nec explicant, accidens ne sit, an substantia, creata res an increata. Detestantur peccatum, at emoriar, si potuerunt scientifice definire, quid sit illud, quod peccatum vocamus, nisi forte Scotistarum spiritu fuerunt edocti. Nec enim adduci possum, ut credam Paulum, ē cuius unius eruditione licet omneis æstimare, toties damnaturum fuisse quæstiones, disceptationes, genealogias, & ut ipse vocat λογιας, si eas percalluisset argutias, præsertim cum omnes illius temporis contentiones, pugnæque rusticanæ fuerint & crassæ, si cum magistrorum nostrorum plusquam Chrysippis subtilitatibus conferantur. Quanquam homines modestissimi, si quid forte scriptum sit ab Apostolis indolatius parumque magistraliter, non damnant quidem, sed commode interpretantur: hoc videlicet honoris, partim antiquitati, partim Apostolico nomini deferentes. Et hercle parum æquum erat, res tantas ab illis requirere, de quibus ex præceptore suo, ne-

ver-

verbum quidem unquam audissent. Idem si eveniat in Chrysostomo, Basilio, Hieronymo, tum sat habent adscribere, non tenetur. Et illi quidem confutarunt ethnicos philosophos ac Iudæos, suapte natura pertinacissimos, sed vita magis ac miraculis quam syllogismis, tum eos quorum nemo fuerit idoneus, vel unicum Scotti Quodlibetum ingenio consequi. Nunc quis ethnicus, quis hæreticus non continuo se dat tot tenuissimis subtilitatibus, nisi tam crassus, ut non assequatur, aut tam impudens, ut exhibeat, aut iisdē instructus laqueis, ut iam par sit pugna, perinde quasi magū cum mago cōmittas, aut si gladio fortunato pugnet aliquis cum eo, cui gladius sit fortunatus: tū enim nihil aliud quam tela Penelopes reteretur. Ac meo quidem iudicio saepent Christiani, si pro pinguibus istis militum cōhortibus, per quas iam olim ancipiti Marte belligerantur, clamosissimos Scotistas, & pertinacissimos Occanistas, & invictos Albertistas una cum tota sophistarum ma-

nu mitterent in Turcas & Saracenos: spectarent, opinor, & conflictum omnium lepidissimum, & victoriam non ante visam. Quis enim usque adeo frigidus, quem illorum non inflamment acumina? Quis tam stupidus, ut tales non excitent aculei? Quis tam oculatus, ut hæc illi non maximas offundant tenebras? Verum hæc omnia videor vobis propemodum ioco dicere. Nec mirum sane, cum sint & inter ipsos Theologos melioribus instituti literis, qui ad has frivolas, ut putant, Theologorum argutias nauseent. Sunt qui velut sacrilegii genus execrentur, sumimamque ducant impietatem, de rebus tam arcanis, & adorandis magis, quā explicandis, tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutiis disputare, tam arroganter definire, ac divinæ Theologiæ maiestatem tam frigidis, imo sordidis verbis simul & sententiis conspurcare. At interim ipsi felicissime sibi placent, imo plaudunt, adeo ut his suavissimis næniis, nocte dieque occupatis, ne tantulum qui-

quidem ocii superfit, ut Euangelium, aut Paulinas epistolas vel semel licet evolvere. Atque interim dum hæc nugantur in scholis, existimant se se universam Ecclesiam, alioquin ruituram, non aliter syllogismorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum humeris sustinet apud Poëtas. Iam illud quantæ felicitatis esse putatis, dum arcana literas, perinde quasi cereæ sint, pro libidine formant, ac reformat, dum conclusiones suas, quibus iam aliquot scholastici subscripterunt, plusquam Solonis leges videri postulant, & vel pontificiis decretis anteponendas, dumque veluti censores orbis ad palinodiam trahunt, si quid usquā cum explicitis & implicitis illorū conclusionibus, non ad amissim quadrarit, ac nō secus atque ex oraculo pronunciāt, hæc propositio scandalosa est, hæc parū reverentialis, hæc hæresin olet, hæc male tinnit, ut iam nec baptismus, nec Euangelium, nec Paulus aut Petrus, nec sanctus Hieronymus aut Augustinus nec ipse Thomas à *euangelista*,

Christianum efficiat , nisi baccalau-
riorum calculus accesserit , tanta est
in iudicando subtilitas . Quis enim
sensurus erat , eum Christianum non
esse , qui diceret has duas orationes ,
matula putes , & matula putet , item
ollā fervere , & ollam fervere , pariter
esse congruas , nisi sapiētes illi docui-
sent ? Quis tantis errorum tenebris
liberasset Ecclesiam , quos ne lectu-
rus quidem unquam quisquam fue-
rat , nisi magnis sigillis isti prodi-
sent ? Verum an non felicissimi dum
hæc agunt ? Præterea dum inferorum
res omneis sic examissim depingūt ,
tanquam in ea Republica complureis
annos sint versati ? Præterea dum pro
arbitrio novos orbes fabricantur , ad-
dito denique latissimo illo , pulcher-
rimoque , ne scilicet deesset ubi feli-
ces animæ commode vel spatiari , vel
convivium agitare , vel etiam pila lu-
dere possent . His atque id genus bis
mille nugis , horum capita adeo di-
stenta differtaque sunt , ut arbitrer
nec Iovis cerebrum æque gravidum
fuisse , cum ille Palladem parturiens ,

Vul-

Vulcani securim imploraret. Quare nolite mirari, si videtis caput illorum tot fasciis tam diligenter obvinctum in publicis disputationibus, alioquin enim plane dissilirent. Illud ipsa quoque nonnunquam ridere soleo, cum ita demum maxime sibi videntur Theologi, si quam maxime barbare spurceque loquantur, cumque adeo balbutiunt, ut à nemine nisi balbo possint intelligi, acumen appellant, quod vulgus non assequatur. Negant enim è dignitate sacrarum literarum esse, si grammaticorum legibus parere cogantur. Mira vero maiestas Theologorum, si solis illis fas est mendose loqui, quanquam hoc ipsum habent cum multis ceteronibus commune. Postremo iam diis proximos sese ducunt, quoties quasi religiose magistri nostri salutantur, in quo quidem nomine tale quiddam subesse putant, quale est apud Iudeos πατέρες ἡμών. Itaque nefas aiunt esse MAGISTER NOSTER secus quam maiusculis scribere literis. Quod si quis præpostere Noster ma-

F 5 gister

gister dixerit, is semel omnem Theologici nominis perverterit maiestatem. Ad horum felicitatem proxime accedunt ii, qui se vulgo religiosos ac monachos appellant, utroque falsissimo cognomine, cum & bona pars istorum longissime absit à religione, & nulli magis omnibus locis sint obvii. Iis non video quid possit esse miserius, nisi ego multis modis succurrem. Erenim cum hoc hominum genus omnes sic execrentur, ut fortuitum etiam occursum ominosum esse persuasum sit, tamen ipsi sibi magnifice blandiuntur. Primum summam existimant pietatem, si usque adeo nihil attigerint literarum, ut ne legere quidem possint. Deinde cum Psalmos suos, numeratos quidem illos, at non intellectos, asininis vocibus in templis derudunt, tum vero se putant divorum aures multa voluptate demulcere. Et sunt ex his nonnulli, qui sordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, imo in nullis diversoriis, vehiculis, navi-
bus

bus non obturbant, non mediocri profecto reliquorum mendicorum iactura. Atque ad eum modum homines suavissimi, sordibus, infelicia, rusticitate, impudentia, Apostolos (ut aiunt) nobis referunt. Quid autem iucundius, quam quod omnia faciunt ex præscripto, quasi mathematicis utentes rationibus, quas præterire piaculum sit. Quot nodos habeat calceus, quo colore cingula, vestis quot discriminibus varieganda, qua materia, quotque culmis latum cingulum, qua specie & quot modiorum capax cucullus, quot digitis latum capillitum, quot dormendum horas. Atque hæc quidem æqualitas in tanta corporum & ingeniiorum varietate, quam sit inæqualis, quis non perspicit? Et tamen his nugis non alios modo præ se nauci faciunt, verum invicem alii alios contemnunt, atque homines Apostolicam charitatem professi, ob aliter cinctam vestem, ob colorem paulo fusciorum, omnia miris tragœdiis miscent. Ex his videas quosdam adeo

F 6 rigide

rigide religiosos, ut summa veste, non nisi Cilicina utantur, intima Milesia: alios contra, qui superne linei sint, intime lanei. Rursum alios qui pecuniae contactum ceu aconitum horreant, nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes. Denique mirum omnibus studium, ne quid in ratione vitae conveniat. Nec illud studio est, ut Christo similes sint, sed ut inter se dissimiles. Porro magna felicitatis pars est in cognomentis, dum hi funigeros appellati se gaudent, & inter hos alii Colletas, alii Minores, alii Minimos, alii Bullistas. Rursum hi Benedictinos, illi Bernardinos, hi Brigidenses, illi Augustinenses: hi Guilhelmitas, illi Iacobitas, quasi vero parum sit, dici Christianos. Horum magna pars in tantum suis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, ut putet unum coelum parum dignum esse tantis meritis praemium, haud cogitantes futurum, ut Christus contemptis his omnibus, suum illud sit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius

lius ostentabit aqualiculum , omni
piscium genere distentum . Alius
psalmorum centum effundet modios.
Aliis iejuniorum myriadas annume-
rabit , & toties unico prandio pene
disruptam imputabit alvum. Alius
tantum ceremoniarum acervum pro-
feret , quantus vix septem onerariis
navibus velhi possit. Alius gloriabi-
tur sexaginta annos nunquam atta-
ctam pecuniam , nisi digitis dupli-
chirotheca munitis. Alius cucullam
ingeret, adeo sordidam & crassam, ut
nullus nauta suo dignetur corpore.
Commemorabit aliis se plusquam
undecim lustris spongiæ vitam egis-
se, semper eidem affixum loco. Alius
raucam assiduo cantu vocem addu-
cet. Alius lethargum solitudine con-
tractum , aliis linguam iugi silentio
torpentem. At Christus interPELLA-
TIS, nunquam alioqui finiendis glo-
riis, undenam hoc , inquiet, novum
Iudæorum genus ? Unicam ego le-
gem vere meam agnosco, de qua sola
nihil audio. Et olim palam nulloque
parabolarum utens involucro, pater-
nam

nam hæreditatem pollicitus sum, non
cucullis, preculis, aut inediis, sed fidei
& charitatis officiis. Nec eos agno-
sco , qui sua facta nimis agnoscunt:
isti qui me quoque sanctiores videri
volunt, Abraxasiorum cœlos, si libet,
occupent , aut ab his sibi novum ex-
trui cœlum iubeant , quorum tradi-
tiunculas meis præceptis anteposue-
runt. Cum hæc audient, & videbunt
nautas & aurigas sibi præferri , qui-
bus putatis vultibus sese mutuo con-
tuebuntur ? Sed interim spe sua feli-
ces sunt non absque meo beneficio.
Atque hos quidem quanquam à re-
publica semotos, nemo tamen audet
contemnere, præcipue mendicantes,
propterea quod omnia omnium ar-
eana teneant, ex confessionibus quas
vocant. Quæ tamen prodere nefas
habent, nisi si quando poti , fabulis
amœnioribus delectare se volunt, sed
coniecturis modo rem indicant , ta-
citis interim nominibus. Quod si
quis hos crabrones irritarit , tum in
popularibus concionibus probe ul-
ciscuntur sese , & obliquis dictis ho-
stem

stem notant, adeo teēte, ut nemo non intelligat, nisi qui nihil intelligit. Nec prius oblatrandi finem faciunt, quam in os offam obieceris. Age vero quem tu mihi co-mœdum, quem circulatorem spe-ctare malis, quam illos in con-cionibus suis Rheticantes omni-no ridicule, sed tamen suavissime imitantes ea quæ Rethores de dicen-di ratione tradiderunt? Deum im-mortalem, ut gesticulantur, ut apte commutant vocem, ut cantillant, ut iactant sese, ut subinde alios atque alios vultus induunt, ut omnia cla-moribus miscent. Atque hanc oran-di artem ceu rem arcanam fraterculus fraterculo per manus tradit. Eam ta-metsi mihi non est fas scire, tamen utcunque coniecturis sequar. Primo loco invocant, id quod à poëtis mu-tuo sumpserunt: deinde dicturi de charitate, à Nilo Ægypti fluvio su-munt exordium, aut crucis myste-rium enarraturi, à Babylonio draco-ne Bel feliciter auspicantur: aut de iciunio disputaturi, à duodecim zo-diaci

diaci signis principium faciunt : aut de fide verba facturi , diu de quadratura circuli præloquuntur. Audivi ipsa quendam eximie stultum , erravi , doctum volebam dicere , qui in concione celeberrima divinæ triadis mysterium explicaturus , quo & doctrinam suam non vulgarem ostentaret , & Theologicis satisfaceret auribus , nova prorsus ingressus est via , nimirum à literis , syllabis , & oratione , tum à concordia nominis & verbī , adiectivi nominis & substantivi , mirantibus iam plerisque , ac non nullis Horatianum illud apud se mussitantibus : Quorsum hæc tam putida tendunt? Tandem hoc rem deduxit , ut in grammaticorum rudimentis sic expressum ostenderet totius triadis simulacrum , ut nemo mathematicorum in pulvere posset evidentius depingere. Atque in hac oratione θεολογία ταῦτα ille totos octo menses ita defudarat , ut hodie quoque magis cæcutiat quam talpæ , nimirum tota luminum acie ad ingenii cuspidem avocata. Verum haud pœnitet

niter hominem cæcitatis , ac parvo quoque putat emptam eam gloriam. Auditus est à nobis aliis quidam ostogenarius, adeo Theologus , ut in hoc Scotum ipsum renatum putas. Is explicaturus mysterium nominis Iesu , mira subtilitate demonstravit in ipsis literis latere , quicquid de illo dici possit. Etenim quod tribus duntaxat inflectitur casibus , id manifestum esse simulacrum divini ternionis. Deinde quod prima vox Iesus , desinat in s , secunda Iesum in m , tertia Iesu in u , in hoc ἄρρενος subesse mysterium: nempe tribus literulis indicantibus eum esse summum , medium , & ultimum. Restabat mysterium his quoque retrusius , mathematica ratione . Iesus sic in duas æquales diffidit portiones , ut scilicet penthemimeres in medio resideret. Deinde docuit eam literam apud Hebræos esse ψ , quam illi Syn appellent , porro syn , Scotorum opinor lingua , peccatum sonat : atque hinc palam declarari , Iesum esse qui peccata tolleret mundi. Hoc tam novum

ex-

exordium sic inhiantes admirati sunt omnes, præcipue Theologi, ut parum abfuerit, quin illis acciderit, quod olim Niobæ, cum mihi propemodum evenerit, quod sicutulo illi Priapo, qui magno suo malo, Canidiæ Sagannæque nocturna sacra spectavit. Nec iniuria profecto: nam quando similem ^{εφοδη} commentus est Demosthenes ille Graius, aut Cicero Latinus? Illis vitiosum habebatur proœmium, quod à re foret alienius: quasi vero non ad istum modum exordiantur & subulci, natura videlicet magistra. At hi docti præambulum suum, sic enim vocant, ita demum eximie Rheticum fore ducunt, si nusquam quicquam habeat cum reliquo arguento confine, ut auditor interim admirans, illud secum murmuret, quo nunc se proripit ille? Tertio loco ceu narrationis vice nonnihil ex Euangelio, sed cursim ac velut obiter interpretantur, cum id solum fuerit agendum. Quarto loco iam nova sumpta persona, quæstionem movent Theologalem aliquoties

ἐπὶ γῆς, ἐπὶ εἰρήνης ἀπομονώμενοι. Atque id
 quoque ad artem arbitrantur perti-
 nere. Hic demum Theologicum at-
 tollunt supercilium, doctores solen-
 nes, doctores subtile, doctores sub-
 tilissimos, doctores seraphicos, do-
 ctores cherubicos, doctores sanctos,
 doctores irrefragabiles, magnifica
 nomina auribus inculcantes. Tum
 syllogismos, maiores, minores, con-
 clusiones, corollaria, suppositiones,
 frigidissimas ac plusquam scholasti-
 cas nugas apud imperitum vulgus
 iactitant. Superest iam quintus actus,
 in quo summum artificem præstare
 convenit. Hic mihi stultam aliquam
 & indoctam fabulam, ex Speculo o-
 pinor historiali, aut gestis Romano-
 rum in medium adferunt, & eandem
 interpretantur allegorice, tropologi-
 ce, & anagogice. Atque ad hunc
 quidem modum Chimæram suam
 absolvunt, qualem nec Horatius un-
 quam assequi potuit cum scriberet:
 Humano capiti, &c. Sed audierunt
 à nescio quibus, ingressum orationis
 sedatum, minimeque clamosum esse
 opor-

oportere. Itaque principio sic exordiuntur, ut nec ipsi vocem propriam exaudiāt, quasi referat dici, quod nullus intelligat. Audierunt nonnunquam ad concitandos affectus, exclamationibus utendum esse. Proinde presse alioqui loquentes, subinde repente vocem tollunt furioso plane clamore, etiam cum nihil opus. Iures elleboro homini opus esse, perinde quasi nihil referat, ubi clames. Præterea quoniam audierunt oportere sermonem in progressu fervescere, in singulis partibus principiis utcunque sane recitatis, mox mira vocis contentionē utuntur, etiam si res sit frigidissima, atque ita denique desinunt, ut spiritu defectos credas. Postremo didicerunt, apud Rhetores de risu fieri mentionem, eoque student & ipsi iocos quosdam aspergere, ἀφίλη ἀφροδίτη, quam plenos gratiarum, quanque in loco, ut plane ὄνος τρόπες λύρας esse dicas. Mordent quoque nonnunquam, sed ita, ut titillent magis quam vulnerent. Nec unquam verius adulantur, quam cum

ma-

maxime ταρρησιάζεται videri student. Denique tota actio est eiusmodi, ut iures eos à fori circulatoribus didicisse, à quibus longe vincuntur. Quanquam utrique alteris usque adeo sunt similes, ut nemo dubitet quin aut hi ab illis, aut illi ab his Rhetoricen suam didicerunt. Et tamen inveniunt hi quoque mea nimirum opera, qui cum hos audiunt, Demosthenes meros, ac Cicerones audire se putant. Quod genus sunt præcipue mercatores ac mulierculæ: quorum auribus unice placere student, quod illi nonnullam prædæ portiunculam de rebus male partis soleant impertiri, si commode fuerint palpati: illæ cum aliis multis de causis huic ordini favent, tum præcipue, quod in horum sinus soleant effundere, si quid in maritos stomachantur. Videtis opinor, quantopere mihi debeat hoc hominum genus, qui cum ceremoniolis, & nugis deridulis, clamoribusque tyrannidem quandam inter mortales exerceant, Paulos atque Antonios sese credunt.

Verum

Verum ego istos histriones tam ingratos beneficiorum meorum dissimulatores, quam improbos simulatores pietatis libenter relinquo. Iam dudum enim iuvat de regibus ac principibus aulicis à quibus simplicissime color, & ut dignum est, ingenuis ingenue nonnihil attingere. Qui quidem si vel semunciam sani cordis haberent, quid esset horum vita tristius, aut æque fugiendum? Neque enim existimabit vel per iurio parricidioque parandum imperium, quisquis secum perpendit, quam ingens onus sustineat humeris, qui vere principem agere velit: eum qui rerum gubernacula suscepit, publicum non privatum negocium gere, nihil nisi de commodis publicis oportere cogitare: à legibus, quarum ipse & auctor & exactor est, nec latum digitum discedere: officialium oninum & magistratum integritatem sibi præstandam esse: sese esse unum omnium oculis expositum, qui vel ceu sidus salutare, morum innocentia, maximam rebus humanis salutem

ludem possit adferre, vel veluti come-
ta letalis, summam perniciem inve-
here. Aliorum vitia neq; perinde sen-
tiri, neque tam late manare. Princi-
pem eo loco esse, ut si quid vel levi-
ter ab honesto deflexerit, gravis pro-
tinus ad quam plurimos homines vi-
tæ pestis serpat. Tum quod multa
secum adferat principum fortuna,
quæ soleant à recto deducere, quod
genus, deliciæ, libertas, adulatio,
luxus, hoc acrius enitendum, ac solli-
citius advigilandum, necubi vel de-
ceptus cesseret in officio. Postremo, ut
insidias, odia cæteraque vel pericu-
la, vel metus omittam, capiti immi-
nere, verum illum regem, qui paulo
post ab eo sit etiam de minimo quo-
que commisso rationem exacturus,
idque tanto severius, quanto præ-
stantius gessit imperium. Hæc in-
quam, atque huiusmodi plurima, si
princeps secum perpenderet, per-
penderet autem si saperet, is nec so-
mnum, nec cibum opinor iucunde
capere posset. At nunc meo mune-
re, has omneis curas diis permittunt,

ipſi

ipsi sese molliter curant, neque quenquam ad aurem admittunt, nisi qui iucunda loqui norit, ne quid animo solicitudinis oboriatur. Se probe principis partes omnes impletasse credunt, si venentur assidue, si bellos alant caballos, si suo commodo venderint magistratus ac praefecturas, si quotidie novae rationes excogitentur, quibus civium opes attenuent & in suum convertant fiscum, verum id apposite repertis titulis, ut etiam si sit iniquissimum, aliquam tamen æquitatis speciem præ se ferat. Addunt data opera nonnihil adulatio[n]is, quo populares animos, utcunque sibi devinciant. Fingite mihi nunc, quales sunt nonnunquam, hominem legum ignarum, publicorum commodorum pene hostem, privatis intentum commoditatibus, addictum voluptatibus, osorem eruditio[n]is, osorem libertatis ac veri, nihil minus quam de reipublicæ salute cogitanrem, sed omnia sua libidine, suisque utilitatibus metientem. Deinde addite huic torquem auream, omnium virtutum cohæ-

cohærentium consensum indicantem, tum coronam gemmis insignitam, quæ quidem admoneat eum heroicis omnibus virtutibus oportere cæteris antecellere: præterea sceptrum, iustitiæ, & undecunque incorrupti pectoris symbolum, postremo purpuram eximiæ cuiusdam in rem publicam charitatis indicium. Hæc gestamina si princeps cum sua vita conferret, equidem futurum arbitror, ut plane pudescat ornatus sui, vereaturque, ne quis nasutus interpres, totum hunc tragicum cultum, in risum iocumque vertat. Iam quid de proceribus aulicis commemorem? quorum plerisque cum nihil sit addictius, servilius, insultius, abiectius, tamen omnium rerum primos sese videri volunt. Hac una in re tamen modestissimi, quod contenti aurum, gemmas, purpuram, reliquaque virtutum ac sapientiæ insignia corpore circumferre, rerum ipsarum studium omne concedunt aliis. Hoc abunde felices sibi videntur, quod regem herum vocare liceat, quod tribus ver-

G bis

bis salutare didicerint , quod norint civiles titulos subinde inculcare , serenitatem, dominationem, & magnificentiam : quod egregie perfricuerint faciem , quod festiviter adulentur. Nam hæ sunt artes , quæ vere nobilem & aulicum deceant. Cæterum si vitæ rationem omnem proprius inspicias , nimirum meros Phæacas invenies , sponsos Penelopes, reliquum cārmen agnoscitis , quod Echo vobis melius referet quam ego. Dormitur in medios dies , ibi sacrificulus mercenarius ad lectum paratus , qui propemodum cubantibus adhuc sacrum expedite paragat. Mox ad ientaculum , quo vix peracto , iam interpellat prandium. Sub id alea , laterunculi , sortes , scurræ , moriones , scorta , lusus , inficiæ. Interim una aut altera merenda. Rursum cœna , post hanc repotia , non una per Iovem. Atque ad hunc modum , citra ullum vitæ tædium elabuntur horæ , dies , menses , anni , secula. Ipsa non nunquam saginatior abeo , si quando viderim illos μαχαλορρήγιας , dum inter-

nym-

nymphas una quæque hoc sibi vide-
tur diis propior, quo caudam longio-
rem trahit, dum procerum aliis
alium cubito protrudit, quo Iovi vi-
cinior esse videatur, dum sibi quisque
hoc magis placet, quo graviorem ca-
tenam collo baiulat, ut robur etiam,
non opes tantum ostentet. Ac prin-
cipum quidem institutum, summi
Pontifices, cardinales, & episcopi,
iam pridem gnaviter æmulantur, ac
prope superant. Porro si quis perpen-
dat, quid linea vestis admoneat, ni-
veo candore insignis, nempe vitam
undiquaque inculpatam. Quid sibi
velit mitra bicornis, utrumque fasti-
gium eodem cohibente nodo, puta
novi pariter ac veteris instrumenti
absolutam scientiam. Quid manus
chirothecis communitæ, duram &
ab omni rerum humanarum conta-
gio immunem sacramentorum ad-
ministrationem. Quid pedum, ni-
mirum crediti gregis vigilantissimam
curam. Quid prælata crux, videlicet
omnium humanorum affectuum vi-
ctoriam. Hæc, inquam, atque id ge-
nus

nus alia multa , si quis perpendat,
nonne tristem ac sollicitam vitam e-
gerit? At nunc belle faciunt, cum se-
se pascunt. Cæterum ovium curam
aut ipsi Christo mandant, aut in fra-
tres , quos vocant, ac vicarios reii-
ciunt. Neque vel nominis sui recor-
dantur, quid sonet episcopi vocabu-
lum, nempe laborem, curam, sollici-
tudinem. Verum in irretiendis pe-
cuniis , plane episcopos agunt , *καλαοσκοτι*. Ad eundem modum car-
dinales si cogitent se in Apostolo-
rum locum successisse, eadem ab ipsis
requiri, quæ illi præstiterunt , deinde
non dominos esse, sed administrato-
res spiritualium dotium , de quibus
omnibus sint paulo post exactissime
reddituri rationem. Imo si vel in cul-
tu paulisper philosophentur , atque
ita secum cogitent , quid sibi vult hic
vestitus candor ? Nonne summam &
eximiam vitæ innocentiam ? Quid
interior purpura ? nonne flagrantissi-
mum in Deum amorem ? Quid rur-
sus exterior sinuosa capacitatem dif-
fluens , ac totam etiam reverendissi-
mi

mi complectens mulam, quanquam una vel camelo contegendo sufficerit? Nonne charitatem latissime sese pandentem ad subveniendum omnibus, hoc est, ad docendum, exhortandum, consolandū, increpandum, admonendū, componenda bella, resistendum improbis principibus, & vel sanguinem libenter impendendū gregi Christiano, non solū opes. Quanquam quorsum omnino opes pauperum Apostolorum vicem gerentibus? Hæc si perpenderent, inquam, nec eum locum ambirent & libenter relinquenter, aut certe vitam plane laboriosam, atque sollicitam agerent, cuiusmodi veteres illi vixerunt Apostoli. Iam summi pontifices, qui Christi vices gerunt, si conentur eiusdem vitam æmulari, nempe paupertatem, labores, doctrinam, crucem, vitæ contemptum, si vel papæ, id est, patris nomen, vel sanctissimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus: emptum, gladio, veneno, omniue vi tueatur?

Quantum his abstulerit commodatum , si semel incessiverit sapientia? Sapientia dixi ? Imo vel mica salis illius, cuius meminit Christus. Tantum opum, tantum honorum, tantum victiarum, tot officia, tot dispensationes, tot vectigalia, tot indulgentias, tantum equorum, mulorum , satellitum , tantum voluptatum. Videtis quantas nundinas, quantam messem , quantum bonorum pelagus paucis sim complexa. In quorum locum inducet vigilias, ieiunia, lachrymas, orationes, conciones, studia, suspiria, milleque id genus miserios labores. Neque vero negligendum illud, futurum ut tot scriptores, tot copistæ , tot notarii , tot advocati, tot promotores, tot secretarii , tot mulotribæ , tote quisones, tot mensarii, tot lenones , pene mollius quiddam addideram , sed vere ornatus durius sit auribus. In summa, tam ingens hominum turba , quæ Romanam sedem onerat, lapsa sum, honorat sentiebam, ad famem adigatur. In humanum quidem hoc , & ab omni-

nan-

nandum facinus, at multo magis detestandum, ipsos etiam summos Ecclesiæ principes, ac vera mundi lumina ad peram & baculum revocari. At nunc fere, si quid laboris est, id Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde satis est ocii. Porro si quid splendoris, aut voluptatis, id sibi sumunt. Atque ita fit mea quidem opera, ut nullum pene hominum genus vivat mollius, minusque solicitum, ut qui abunde Christo satis factum existiment, si mystico ac pene scenico ornatu, cæremoniis, beatitudinum, reverentiarum, sanctitatum titulis, & benedictionibus, ac maledictionibus Episcopos agant. Priscum & obsoletum, nec horum omnino temporum, miracula edere: docere populum, laboriosum: sacras interpretari literas, scholasticum: orare, ociosum: lachrymas fundere; miserum ac muliebre: egere, sordidum: vinci, turpe, parumque dignum eo, qui vix reges etiam summos, ad pedum beatorum admittit oscula: denique mori, inamabile: tolli in crucem, infame. Re-

stant sola hæc arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus , atque harum quidem sunt sane quam benigni interdictiones, suspensiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices picturæ, ac fulmen illud terrificum , quo solo nutu mortalium animas vel ultra tartara mittunt. Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo patres, & Christi vicarii , in nullos torquent acrius, quam in eos, qui instigante diabolo, patromonia Petri minuere atque arrodere conantur. Cuius cum hæc vox sit in Euangelio : Reliquimus omnia, & sequuti sumus te, tamen huius patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia, portoria , ditiones. Pro quibus dum zelo Christi accensi, ferro ignique dimicat, non absq; plurimo Christiani sanguinis dispendio, tum demum Ecclesiam Christi sponsam se se credunt Apostolice defendere, fortiter profligatis, ut vocat, hostibus. Quasi vero ulli sint hostes Ecclesiæ perniciosiores, quam impii pontifices, qui & silentio Christum sinunt abolescere,

lescere, & quæstuariorum legibus alli-
gant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilente vita iugulant. Porro cum Christiana Ecclesia sanguine sit condita, sanguine confirmata, sanguine aucta, nunc perinde quasi Christus perierit, qui more suo tueatur suos, ita ferro rem gerunt. Cumque bellum res sit adeo immanis, ut feras non homines deceat, adeo insana, ut poëtae quoque fingant à furiis immitti, adeo pestilens, ut universam morum luem simul invehat, adeo iniusta, ut à pessimis latronibus optime soleat administrari, adeo impia, ut nihil cohæreat cum Christo, tamen omnibus omissis, hoc tantum agunt. Hic videas etiam decrepitos senes, iuvenilis animi robur præstare, nec offendi sumptibus, nec fatigari laboribus, nec deterri quicquam, si leges, si religionem, si pacem, si res humanas omneis sursum ac deorsum misceant. Neque desunt adulatores eruditi, qui istam manifestariam insaniam, zelum, pietatem, fortitudinem appell-

G is **gent,**

lent, excogitata via, qua fieri possit,
ut quis letale ferrum stringat, adi-
gatque in fratri sui viscera, manen-
te nihilominus charitate illa summa,
quam ex Christi præcepto, debet pro-
ximo Christianus. Evidem incer-
ta sum adhuc utrum his rebus exem-
plum dederint, an potius hinc sum-
pferint Episcopi quidam Germano-
rum, qui simplicius, etiam omisso
cultu, omissis benedictionibus, aliis-
que id genus cæremoniis, plane sa-
trapas agunt, adeo, ut propemodum
ignavum, parumque decorum Epi-
scopo potent alibi, quam in acie, for-
tem animam Deo reddere. Iam vero
vulgus sacerdotum, nefas esse dicens,
à præsulum suorum sanctimonia de-
generare, euge quam militariter pro-
iure decimarum, ensibus, iaculis, fa-
xis, omnique armorum vi belligeran-
tur, quam hic oculati, si quid ex vete-
rum literis possint elicere, quo plebe-
culam territent, & plusquam decimas
deberi convincant. At interim non
venit in mentem, quam multa passim
legantur de officio, quod illi vicissim
præ-

præstare populo debeant. Nec saltem admonet eos vertex rasus, sacerdotem omnibus huius mundi cupiditatibus liberum esse oportere, neque quicquam nisi cœlestia meditari. Sed homines suaves, se suo officio probe perfunctos aiunt, si preculas illas suas utcunque permurmurarint, quas me hercle demiror, si quis Deus vel audiatur, vel intelligat, cum ipsi fere nec audiant, nec intelligant, tum cum eas ore perstrepunt. Verum hoc quidem sacerdotibus est cum prophanis commune, ut ad emolumenti messem vigilent omnes, neque quisquam ibi leges ignoret. Cæterum si quid sarcinæ, id prudenter in alienos humeros reiiciunt, & aliis alii tanquam pilam per manus tradunt. Siquidem laici quoque principes, quemadmodum partes administrandi regni vicariis delegant, & vicarius item vicio tradit, ita pietatis studium omne plebi modestiæ causa relinquunt. Plebs in eos reiicit, quos Ecclesiasticos vocant, perinde quasi ipsis cum Ecclesia nihil omnino sit commercii.

G. 6

quasi

quasi baptismi votis nihil prorsus sit actum. Rursum sacerdotes qui sese vocant seculares, quasi mundo initia- ti, non Christo, in regulares onus hoc devolvūt, regulares in monachos, mo- nachi laxiores in arctiores, omnes si- mul in mendicantes, mendicantes in Charthusienses, apud quos solos se- pulta latet pietas, & adeo latet ut vix unquam liceat conspicere. Itidem pontifices in messe pecuniaria diligē- tissimi, labores illos nimium Aposto- licos, in Episcopos relegant, Episco- pi in pastores, pastores in vicarios, vi- carii in fratres mendicantes. Hi rur- sum in eos retrudunt, à quibus ovium lana tondetur. Verum non est huius instituti, pontificum ac sacerdotum vitam excutere, ne cui videar satyram texere, non encomium recitare, neve quis existimet bonos principes à me taxari, dum malos laudo. Sed hæc ideo paucis attigi, quo palam fieret, nullum esse mortalem, qui suaviter vivere possit, nisi meis initiatus sit sa- cris, meque propitiam habeat. Nam id quo pacto fieri queat, cum ipsa et- iam

iam Rhamnusia , rerum humanarum fortunatrix, mecum adeo consentiat, ut sapientibus istis semper fuerit ini-
micissima , contra stultis etiam dor-
mientibus omnia commoda adduxe-
rit? Agnoscitis Timotheum illum, cui
hinc etiam cognomen & proverbium
καὶ δορυειώπης ἀρεῖ. Rursum aliud γλαύξ
ιπάντη. Contra in sapientes quadrant
illa, & περάδι γλυπθέντες, & equum ha-
bet Seianum , & aurum Tolosanum.
Sed desino ~~παροιμίαζεῖς~~, ne videar E-
rasmi mei commentaria suppilasse.
Ergo ut ad rem. Amat fortuna patum
cordatos, amat audaciores, & quibus
illud placet ~~ωὐς ἐρριφθω κύος~~. At sapi-
entia timidulos reddit, ideoque vul-
go videtjs sapientibus istis cum pau-
pertate, cum fame, cum fumo rem es-
se: neglectos, inglorios, invisos vive-
re: stultos affluere nummis, admove-
ri Reipublicæ gubernaculis , breviter
florere modis omnibus. Etenim si
quis beatum existimet principibus
placuisse viris, & inter aureos illos, ac
gêmeos Deos versari , quid inutilius
sapientia , imo quid apud hoc homi-
num

num genus damnatus? Si divitiæ parandæ sunt, quid tandem lucri facturus est negotiator, si, sapientiam secutus, periurio offendetur, si in mendacio deprehensus erubescet, si anxios illos de furtis, atque usuris sapientum scrupulos, vel tantuli faciet? Porro si quis honores, atque opes ambiat Ecclesiasticas, ad eas vel asinus, vel bubalus citius penetrabit, quam sapiens. Si voluptate ducaris, puellæ maxima huius fabulæ pars, stultis toto pectore sunt addictæ, sapientem haud secus ac scorpium horrent, fugiuntque. Denique quicunque paulo festivius ac lætius vivere parant, sapientem in primis excludunt, ac quodvis animal potius admittunt. Breviter quoquo te vertas, apud pontifices, principes, iudices, magistratus, amicos, hostes, maximos, minimos, omnia præsentibus nummis parantur: quos uti contemnit sapiens, ita illum sedulo fugere consueverunt. Sed cum laudum mearum nullus sit modus, neque finis, tamen oratio aliquando finem habeat necesse est. Itaque desinam.

nam dicere , sed si prius ostendero paucis, non deesse magnos auctores, qui me literis suis pariter ac factis illustrarint, ne cui forte stulte mihi soli videar placere, neve legulei calumniantur, me nihil allegare. Ad ipsorum igitur exemplum allegabimus, hoc est, Ἀδελφὸς Εὔπολης. Principio illud omnibus vel notissimo proverbio persuasum est, ubi res abest, ibi simulationem esse optimam. Eoque recte statim traditur hic versus pueris: Stultitiam simulare loco sapientia summa est. Vos iam ipsi coniicite, quam ingens sit bonum stultitia , cuius etiam fallax umbra , & imitatio sola tantum laudis meretur à doctis. Sed multo candidius pinguis ille ac nitidus Epicuri de grege porcus, miscere stultitiam consiliis iubet, tametsi brevem non admodum scite addidit. Item alibi; Dulce est desipere in loco. Rursum alio in loco mavult delirus, inersque videri, quam sapere , & ringi. Iam apud Homerum Telemachus , quem modis omnibus laudat poëta, subinde rūmōs appellatur, atque eodem

codem prænomine tanquam felicis
omnis libenter pueros & adolescen-
tes vocare solent tragicci, Quid autem
sacrum Iliadis carmen, nisi stultorum
regum & populorum continet æstus?
Porro quam absoluta laus illa Cice-
ronis? Stultorum plena sunt omnia.
Quis enim ignorat, unquam quodque
bonum, quo latius patet, hoc esse
præstantius? Atqui fortassis apud
Christianos horum levis est auctori-
tas: proinde sacrarum quoque litera-
rum testimoniis, si videtur, laudes
nostras fulciamus, sive, ut docti solēt,
fundemus, principio veniam à Theo-
logis præfate, ut nobis fas esse velint,
deinde quoniam arduam rem aggre-
dimur, & fortassis improbum fuerit,
denuo Musas ex Helicone, ad tantum
itineris revocare, præsertim cum res
sit alienior, fortasse magis conveniet
optare, ut interim dum Theologum
ago, perque has spinas ingredior,
Scoti anima paulisper ex sua Sorbo-
na in meum pectus demigret quovis
histrice atq; erinaceo spinosior, mox-
que remigret lubebit, vel ē abegras. U-
tinam

tinam & vultum alium liceat sumere,
& ornatus adsit Theologicus. Verum
illud interim vereor, ne quis me furti
ream agat; quasi clanculum magistro-
rum nostrorum scrinia compilave-
rim, quæ tantum rei Theologicæ te-
neam. Sed non adeo mirum videri
debet, si tam diutina, quæ mihi arctif-
fima est, cum Theologis consuetudi-
ne nonnihil arripui, cum sicut nus et-
iam ille Deus Priapus, nonnullas Græ-
cas voces, legente domino, subnota-
rit tenueritque. Et Gallus Luciani-
cus longo hominum convictu ser-
monem humanum expedite calluerit.
Sed iam ad rem bonis avibus. Scripsit
Ecclesiastes capite primo: Stultorum
infinitus est numerus. Cum nume-
rum prædicat infinitum, nonne mor-
tales universos complecti videtur,
præter pauculos aliquot, quos haud
scio, an cuiquam videre contigerit?
Sed magis ingenuè confitetur hoc
Hiere. capite decimo: Stultus, in-
quiens, factus est omnis homo à sa-
pientia sua. Soli Deo tribuit sapien-
tiam, universis hominibus stultitiam
relin-

relinquens . Ac rursum paulo superius: Ne glorietur homo in sapientia sua. Cur non vis hominem in sua sapientia gloriari optime Hieremia ? Nimirum, inquiet, ob id , quia non habet sapientiam. Sed ad Ecclesiastem redeo. Hunc cum exclamat, Vanitas vanitatum , & omnia vanitas, quid aliud sensisse creditis, nisi, quemadmodum diximus vitam humanam nihil aliud quam stultiæ ludicrum esse? nimirum Ciceronianæ laudi album addit calculum , cuius optimo iure celebratur illud quod modo retulimus : Stultorū plena sunt omnia. Rursum sapiens ille Ecclesiasticus, qui dixit, Stultus mutatur ut luna, sapiens permanet ut sol , quid aliud innuit, nisi mortale genus omne stultum esse, soli Deo sapientis nomen competere ? Si quidem lunam , humanam naturam interpretantur, solem omnis luminis fontem, Deum. Huic astipulatur quod ipse Christus in Euangeliō negat , quenquam appellandum bonum, nisi Deum unum. Porro si stultus est, quisquis sapiens non est, & quis-

quisquis bonus, idem sapiens, aucto-
ribus Stoicis, nimirum mortales o-
mneis stultitia complectatur nece-
sum esse. Iterum Salomon capite de-
cimo quinto: Stultitia, inquit, gau-
dium stulto, videlicet manifeste con-
fitens, sine stultitia nihil in vita suave
esse. Eodem pertinet illud quoque:
Qui apponit scientiam, apponit dolo-
rem, & in multo sensu multa indi-
gnatio. An non idem palam confite-
tur egregius ille concionator, capite
septimo? Cor sapientum, ubi tristitia
est, & cor stultorum, ubi læticia. Eo-
que non satis habuit sapientiam per-
discere, nisi nostri quoque cognitio-
nem addidisset. Quod si mihi parum
habetur fidei, ipsius accipite verba,
quæ scripsit capite primo: Dedi-
que cor meum ut scirem prudentiam at-
que doctrinam, erroresque & stulti-
tiam. Quo quidem loco illud animad-
vertendum, ad stultitiae laudem per-
tinere, quod eam posteriore posuit
loco. Ecclesiastes scripsit, & hunc
scitis esse ordinem Ecclesiasticum, ut
qui dignitate primus sit, is locum ob-
tineat

tineat extremum , vel hic certe me-
mor Euangelici præcepti. Sed stulti-
tiam præstantiorem esse sapientia , &
Ecclesiasticus ille , quisquis fuit , li-
quido testatur , capite quadragesimo
quarto , cuius mehercle verba non
prius proferam , quā εἰσαγωγὴ meā ,
commoda responsione adiuveritis , ut
faciunt apud Platonem hi , qui cum
Socrate disputant . Utra magis con-
venit recondere , quæ rara sunt & pre-
ciosa , an quæ vulgata viliaque ? Quid
tacetis ? Etiam si vos dissimuletis , pro-
verbium illud Græcorum pro vobis
respondeat , οὐδὲθύμας ὑσπίας , quod ne
quis impie reiiciat , refert Aristoteles ,
magistrorum nostrorum Deus . An
quisquam vestrum tam stultus est , ut
gemmas & aurum in via relinquat ?
non hercle opinor . In abditissimis pe-
netralibus , nec id satis , in munitissi-
morum scriniorum secretissimis an-
gulis , ista reponitis . cœnum in propa-
tulo relinquitis . Ergo si quod pre-
ciosius est , reconditur , quod vilius ,
exponitur , nonne palam est , sapien-
tiam quam vetat abscondi , viliorēm
esse

esse stultitia quam recondi iubet? Iam ipsius testimonii verba accipite. Melior est homo qui abscondit stultitiam suam , quam homo qui abscondit sapientiam suam. Quid quod animi quoque candorem divinæ literæ stulto tribuunt , cum sapiens interim neminem sui similem putet? Sic enim intelligo , id quod scribit Ecclesiastes capite decimo : Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos existimat. An non illud eximii cuiusdam candoris est, omnes æquare tibi ipsi , cumque nemo non magnifice de se sentiat, omnibus tamen tuas communicare laudes? Proinde nec puduit tantum regem huius cognominis , cum ait capite trigesimo : Stultissimus sum virorum. Neque Paulus ille magnus gentium doctor , Corinthiis scribens , stulti cognomen illibenter agnoscit. Ut insipiens, inquit, dico: Plus ego. Perinde quasi turpe sit vinci stultitia. Sed interim obstrepunt mihi Græculi quidam, qui tot huius temporis Theologorum, ceu cornicuum oculos student

con-

configere, dum annotationes suas,
veluti fumos quosdam aliis offun-
dunt, cuius gregis si non Alpha, certe
Beta meus est Erasmus, quem ego sæ-
pius honoris causa nomino. O vere
stultam, inquiunt, & ipsa dignam Mo-
ria citationem. Longe diversa mens
Apostoli, quam tu somnias. Nec enim
hoc agit his verbis, ut cæteris stultior
haberetur, verum cum dixisset Mini-
stri Christi sunt, & ego, seque veluti
iaetabundus in hac quoque parte æ-
quasset cæteris, per correctionem ad-
iecit, Plus ego, sentiens se non modo
parem reliquis Apostolis in Euangelii
ministerio, verum etiam aliquanto
superiorem. Idque cum ita verum vi-
deri veller, ne tamen ut arrogantius
dictum offenderet aures, præmuniit,
stultiæ prætextu: Ut minus sapiens
dico, propterea quod sciret esse stul-
torum privilegium, ut soli verum ci-
tra offendam proloquantur. Verum
quid Paulus senserit cum hæc scribe-
ret, ipsis disputandum relinquo. Ego
magnos, pingues, crassos, & vulgo
probatissimos Theologos sequor,
cum

cum quibus magna pars doctorum errare, ~~in taliæ~~ malit, quam cum istis trilinguis bene sentire. Neq; quisquam illorum Græculos istos pluris facit, quam graculos: præsertim cum quidam gloriosus Theologus, cuius ego nomen prudēs suprimo, ne graciuli nostri continuo Græcum in illum scomma iacent ὄντος λύφας: magistraliter & theologaliter hunc passum enarrans, ab hoc loco. Ut minus sapiens dico, plus ego, novum facit caput, & quod absq; summa dialectica non poterat, novam addit sectionem, ad hunc interpretans modum. Adducam enim ipsius verba, non solum in forma, verum etiam in materia. Ut minus sapiens dico, id est, si videor vobis insapiens me pseudapostolis adæquando, adhuc videbor vobis minus sapiens, me eis præferendo. Quāquam idem paulo post, velut oblitus sui, alio delabitur. Sed cur anxie me unius exemplo tueor? cum hoc publicum ius sit Theologorum, cœlum, hoc est, divinam scripturam, ceu pellēm extendere: cum apud divum Pau-

lum

lum pugnant divinæ scripturæ verba,
quæ suo loco non pugnant, si qua fi-
des illi πενταγλωπη Hieronymo, cum
Athenis forte conspectum aræ titu-
lum torqueret in argumentum fidei
Christianæ, ac cæteris omissis, quæ
causæ fuerant offectura, duo tantum
extrema verba decerpserit, nempe
hæc signoto Deo, atque hæc quoque
non nihil immutata: siquidem inte-
ger titulus sibi habebat, diis Asiæ, Eu-
ropæ, & Africæ, diis ignotis, & pere-
grinis. Ad huius, opinor, exemplum
passim iam ὁ θεολόγων παῖδες, hinc
atque hinc revulsa quatuor aut quin-
que verbula, & si quid opus est etiam
depravata, ad suam accommodant u-
tilitatem, licet ea quæ præcedunt &
consequuntur, aut nihil omnino fa-
ciant ad rem, aut reclament quoque.
Quod quidem faciunt tam felici im-
pudentia, ut sæpenumero Theologis
invideant iurisconsulti. Quid enim
illis iam non succedat, posteaquam
magnus ille, pene nomen effutive-
ram, sed rursus metuo Græcum pro-
verbium, ex Lucæ verbis sententiam
ex-

expresserit, tam consentaneam animo Christi, quam igni cum aqua convenit. Etenim cum imminaret extremum periculum, quo tempore solent boni clientes maxime suis adesse patronis, & quanta valent ope συμπαχεῖν, Christus hoc agens ut omnem huiusmodi præsidiorum fiduciam eximeret ex animis suorum, percontatus est eos, num quid rei defuisse usquam, cum illos emisisset, adeo non instrutos viatico, ut nec calceis muniret adversus spinarum & saxorum iniuriam, nec peram adderet, adversus famem. Ubi negassent defuisse quicquam, adiecit: Sed nunc, inquit, qui habet sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Cum tota Christi doctrina nihil aliud inculceret, quam mansuetudinem, toleratiā, vitæ contemptum, cui non perspicuum, quid hoc loco sentiat? nempe ut magis etiam exarmet suos legatos, ut non tantum calceos negligant, & peram, verum & tunicam insuper abiificant, nudique & prorsus

H expe-

164 E R A S . R O T E R .
expediti, munus Euangelicum aggreditur, nihil sibi parēt, nisi gladium, non istum quo grassantur latrones, & parricidæ, sed gladium spiritus, in intimos quoque pectoris sinus penetrantem, qui semel affectus omneis sic amputat, ut nihil iam illis cordi sit, præter pietatem. At videte, quæso, quorsum hæc torqueat celebris ille Theologus. Gladium interpretatur defensionem adversus persecutionem, sacculum sufficientem commeatrus provisionem, perinde quasi Christus commutata in diversum sententia, quod oratores suos parū βασιλικῶς instructos emisisse videretur, superioris institutionis palinodiam canat. Aut velut oblitus quod dixerat beatos fore, cum probris, contumeliis & suppliciis afficerentur, prohibens ne quando resisterent malo, mites enim beatos esse, non feroce, oblitus quod illos ad passerum & liliorum exemplum vocarit, nunc adeo noluerit eos absque gladio proficisci, ut eum vel tunica divendita iubeat emi, malitque nudos ire, quam non accin-

accinctos ferro. Ad hæc quemadmodum gladii nomine contineri putat, quicquid ad depellendam vim pertinet, ita marsupii titulo completitur, quicquid ad vitæ pertinet necessitatem. Atque ita divinæ mentis interpres Apostolos lanceis, balistis, fundis & bōbardis instructos educit ad prædicationem crucifixi. Loculis item, vidulis, & sarcinis onerat, ne forte non liceat illis è diversorio discedere, nisi impransis. Nec vel illud commovit hominem, quod ensem quem tantopere iusserat emi, mox idē obiurgans iubeat recondi, quodque nunquam fando sit auditum, Apostolos ensibus aut clypeis usos adversus vim ethnicorum, utique usuros, si Christus hoc sensisset, quod hic interpretatur. Est aliis, quem honoris causa non nomino, haudquam postremi nominis, qui è tentatiis, quorum meminit Habacuc, Turbabuntur pelles terre Madian, pellem fecerit Bartholomæi excoriati. Ipsa nuper interfui dissertationi Theologicæ, nam id facio frequenter. Ibi

cum quispiam exigeret, quæ tandem esset divinarum literarum auctoritas, quæ iuberet hæreticos incendio vinci, magis quam disputatione revinci, Senex quidam severus, & vel supercilio teste, Theologus, magno stomacho respondit, hanc legem tulisse Paulum Apostolum, qui dixerit: Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita. Cumque ea verba identidem intonaret, & plerique demirarentur quid accidisset homini, tandem explanavit, de vita tollendum hæreticum. Risere quidam, nec deerant tamen quibus hoc commentum plane Theologicum videretur. Cæterum reclamantibus etiamnum nonnullis successit τενέδος, quod aiunt, συνηόγεις & auctor irrefragabilis, Accipite rem, inquit, Scriptum est maleficum ne patiaris vivere; omnis hæreticus maleficus; ergo, &c. Mirari quotquot aderant, hominis ingenium, & in eam sententiam itum est pedibus, & quidem personatis. Neque cuiquam venit in mentem legem eam ad sortilegos & incan-

incantatores, ac magos attinere, quos
Hebræi sua lingua vocant *magos*. a-
lioqui fornicationem & ebrietatem
capite punire oportuit. Verum hæc
stulte persequor, tam innumera, ut
nec Chrysippi, nec Didymi volumi-
nibus omnia comprehendi possint.
Illud duntaxat admonitos volebam,
cum hæc divinis illis magistris licue-
rint, mihi quoque plane συκήν θελόγη,
par est dare veniam, si minus omnia
ad amissim citavero. Nunc tandem
ad Paulum redeo: Libenter, inquit,
fertis insipientes, de sese loquens. Et
rursum: Velut insipientem accipite
me. &, non loquor secundum Deum,
sed quasi in insipientia. Rursus alibi:
Nos, inquit, stulti propter Christum.
Audistis à quanto auctore quāta stul-
titiae præconia. Quid, quod idem
palam stultitiam præcipit, ut rem
in primis necessariam & oppido salu-
tarem. Qui videtur esse sapiens inter
vos, stultus fiat, ut sit sapiens. Et apud
Lucā, duos discipulos, quibus se iun-
xerat in via Iesus, stultos appellat.
Illud haud scio, an mirum videatur,

H;

cūm

cum Deo quoque nonnihil stultitiae tribuit divinus ille Paulus : Quod stultum est, inquit, Dei, sapientius est hominibus. Porro Origenes interpres obseruit, quo minus hanc stultitiam ad hominum opinionem possis referre: quod genus est illud, verbum crucis pereuntibus quidē stultitiam. Sed quid ego frustra anxia, tot testimoniis hęc docere pergo, cum in psalmis mysticis palam ipse Christus loquatur patri: Tu scis insipientiam meam? Neque vero temere est, quod Deo stulti tam impense placuerunt: opinor propterea, quod quemadmodum summi principes nimium cordatos suspectos habent, & invisos, ut Iulius Brutum & Cassium, cum ebrium Antonium nihil metueret, utque Nero Senecam, Dionysius Platonem, contra crassioribus ac simplioribus ingenii delectantur, itidem Christus ἀφεις istos, suęque nitentes prudentiae semper detestatur, ac damnat: testatur id Paulus haudquam obscure, cum ait: Quae stulta sunt mundi, elegit Deus: cumque ait, Deo

Deo visū esse, ut per stultiā servaret mundum, quandoquidem per sapientiam restitui non poterat. Quin ipse idem satis indicat, clamans per os prophetæ: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Rursum cum agit gratias, quod salutis mysterium celasset sapientes, parvulis autem, hoc est stultis, aperuisset. Nam Græce pro parvulis est *μητίος*, quos opposuit *συφοῖς*. Huc pertinet quod passim in Euangeliō Pharisæos & scribas, ac legum doctores incessit, vulgus indoctum sedulo tuerit. Quid enim aliud est, Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quam væ vobis sapientes? At parvulis, mulieribus, ac piscatoribus potissimum delectatus esse videtur. Quin & ex animalium brutorum genere, ea potissimum placent Christo, quæ à vulpina prudentia quam longissime absunt. Eoque asino maluit insidere, cum ille, si libuisset, vel leonis tergum impune potuisset premere. Ac spiritus ille sacer in columbae specie delaesus est, non aquilæ aut milui. Præ-

terea cervorum, hinnulorum, agnorum crebra passim in divinis literis mentio. Adde quod suos ad immortalem vitam destinatos, oves appellat. Quo quidem animante non est aliud insipientius : vel Aristotelico proverbio teste, *πονέατης οὐθεος*. quod quidem admonet, ab eius pecudis stoliditate sumptum, in stupidos & bardos convicii loco dici solere. At qui huius gregis Christus sese pastorem profitetur, quin etiam ipse agni nomine delectatus est, indicante eum Ioanne, Ecce agnus Dei: cuius multa fit & in Apocalypsi mentio. Hæc quid aliud clamitant, nisi mortales omnes stultos esse, etiam pios ? ipsum quoque Christum, quo stultitiae mortaliū subveniret, cum esset sapientia patris, tamen quodammodo stultum esse factum, cum hominis assumpta natura, habitu inventus est ut homo quemadmodum & peccatum factus est, ut peccatis mederetur. Neque alia ratione mederi voluit, quam per stultitiam crucis, per Apostolos idiotas, ac pingues : quibus sedulo stultitiam

præ-

præcipit, à sapientia deterrens, cum eos ad puerorum, liliorum, sinapis, & passerculorum exemplum provocat, rerum stupidarū ac sensu carentium, soloque naturæ ductu, nulla arte, nulla solicitudine, vitam agentium. Præterea cum vetat esse sollicitos, qua essent apud præsides oratione usuri, cumq; interdicit, ne scrutentur tempora vel momenta temporum, videlicet, ne quid fiderent suæ prudentiæ, sed totis animis ex ipso penderent. Eodem pertinet, quod Deus ille orbis architectus interminatur, ne quid de arbore scientiæ degustarent, perinde quasi scientia felicitatis sit venenum. Quāquam Paulus aperte scientiam veluti inflantem & perniciosam improbat. Quem divus Bernardus, opinor, sequutus, montem eum in quo lucifer sedem statuerat, Scientiæ montem interpretatur. Fortasse nec illud omittendum videatur argumentum, gratiosam esse apud superos stultitiam, quod huic soli datur erratorum venia, sapienti non ignoscitur, unde qui veniam orant, etiam si

H 5 pru-

prudentes peccaverint, tamen stultiæ prætextu patrocinioque utuntur. Nam sic Aaron sororis pœnam deprecatur in Numerorum, si satis commemini, libris. Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatū, quod stulte commisimus. Sic & Saul apud David culpam deprecatur, Apparet enim inquiens, quod stulte egerim. Rursum ipse David ita blanditur Domino: Sed precor Domine, ut trāsferas iniqitatem servi tui, quia stulte egimus: perinde quasi non impetraturus veniam, nisi stultitiam & insciatiam obtenderet. Sed illud acrius urget, quod Christus in cruce, cum oraret pro suis inimicis: Pater ignosce illis: non aliā prætexuit excusationē, quā imprudentiæ, Quia nesciunt, inquit, quid faciant. Ad eundū modum Paulus scribens ad Timotheum: Sed ideo misericordiā Dei cōsecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Quid est, ignorās feci, nisi per stultitiā feci, non maliciā? Quid est, ideo misericordiam consecutus sum, nisi non consecuturus, ni stultitiæ patrocinio com-

commendatus? Pro nobis facit & mysticus ille Psalmographus, qui suo loco non veniebat in mentem, Delicta iuventuris meæ, & ignorantias meas ne memineris. Auditis quæ duo prætexat, nimirum ætatem, cui semper comes esse soleo, & ignorantias, idque numero multitudinis, ut ingenitem stultitiæ vim intelligeremus. At ne, quæ sunt infinita persequar, utque summatim dicam, videtur omnino Christiana religio quandam habere cum aliqua stultitia cognationem, minimeque cum sapientia convenire. Cuius rei si desideratis argumenta, primum illud animadvertisse, pueros, senes, mulieres, ac fatuos sacrissimis religiosis rebus præter cæteros gaudere, eoque semper altaribus esse proximos, solo nimirum naturæ impulsu. Præterea videtis primos illos religionis auctores, mire simplicitatem amplexos, acerrimos literarum hostes fuisse. Postremo nulli moriones magis despere videntur, quam hi, quos Christianæ pietatis ardor semel totos arripuit: adeo sua profundunt,

dunt, iniurias negligunt, falli sese patiuntut, inter amicos & inimicos nullum discrimen, voluptatem horrent, inedia, vigilia, lachrymis, laboribus, contumeliis saginantur, vitam fastidunt, mortem unice optant; breviter ad omnem sensum communem prorsus obstupuisse videntur, perinde, quasi alibi vivat animus, non in suo corpore. Quod quidem quid aliud est quam insanire? Quo minus mirum videri debet, si Apostoli musto temulenti sunt visi, si Paulus iudici Festo visus est insanire. Sed posteaquam semel $\pi\lambda\sigma\sigma\tau\tau\omega$ induimus, age doceamus & illud, felicitatem Christianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud esse, quam insaniae stultiæque genus quoddam: absit invidia verbis, rem ipsam potius expendite. Iam primum illud propemodū Christianis convenit cum Platonicis, animum immersum alligatumque esse corporeis vinculis, huiusque crassitudine praepediri, quo minus ea quæ vera sunt, contemplari, fruique possit. Proinde philosophiam definit esse mor-

mortis meditationem, quod ea mentem à rebus visibilibus, ac corporeis abducat, quod idem utique mors facit. Itaque quam diu animus corporis organis probe utitur, tam diu sanus appellatur. Verum ubi ruptis iam vinculis, conatur in libertatem asserere sese, quasi fugam ex eo carcere meditatur, tum insaniam vocant. Id si forte contingit morbo, viatioque organorum, prorsus omnium consensu insania est. Et tamen hoc quoque genus hominum videmus futura prædicere, scire linguas, ac litteras, quas ante nunquam didicerant, & omnino divinum quiddam præse ferre. Neque dubium est id inde accidere, quod mens à contagio corporis paulo liberior, incipit nativam suim exerere. Idem arbitror esse in causa, cur laborantibus vicina morte simile quiddam soleat accidere, ut tanquam afflati prodigiosa quædam loquantur. Rursum si id eveniat studio pietatis, fortasse non est idem insaniae genus, sed tamen adeo confine, ut magna pars hominum meram insaniam

saniam esse iudicet, pr̄esertim cum
 pauculi homunciones ab universo
 mortalium cōetu, tota vita differ-
 tiant. Itaque solet iis usu venire,
 quod iuxta Platonicum figmentum
 opinor accidere iis, qui in specu vin-
 cti rerum umbras mirantur, & fugiti-
 vo illi, qui reversus in antrum, veras
 res vidisse se pr̄edicat, illos longe fal-
 li, qui pr̄ater miserias umbras nihil
 aliud esse credant. Etenim sapiens hic
 commiseratur, ac deplorat illorum
 insaniam, qui tanto errore teneantur.
 Illi vicissim illum veluti delirantem
 rident, atque eiiciunt. Itidem vulgus
 hominum ea quæ maxime corporea
 sunt maxime miratur, eaque prope
 sola putat esse. Contra pii, quo quic-
 que proprius accedit ad corpus, hoc
 magis negligunt, totique ad invisi-
 bilem rerum contemplationem ra-
 piuntur. Nam isti primas partes tri-
 buunt divitiis, proximas corporis
 commodis, postremas animo relin-
 quunt: quem tamen plerique nec es-
 se credunt, quia non cernatur oculis.
 E diverso illi primum in ipsum Deum,
 rerum

rerum omnium simplicissimum toti
nituntur: secundum hunc, & tamen
in hoc quod ad illum quam proxime
accedit, nempe animum: corporis cu-
ram negligunt, pecunias ceu putam-
ina prorsus aspernantur ac fugitāt.
Aut si quid huiusmodi rerum tractare
coguntur, gravatim ac fastidienter id
faciunt, habent tanquam non haben-
tes, possident tanquam non possiden-
tes. Sunt & in singulis rebus gradus
multum inter istos diversi. Principio
sensus tametsi omnes cum corpore
cognitionem habent, tamen quidam
sunt ex his crassiores, ut tactus, audi-
tus, visus, olfactus, gustus: Quidam
magis à corpore semoti, veluti me-
moria, intellectus, voluntas. Igitur,
ubi se intenderit animus, ibi valet.
Pii quoniam omnis animi vis ad ea
contendit, quæ sunt à crassioribus a-
lienissima, in his velut obbrutescunt,
atque obstupescunt. Contra vulgus
in his plurimum valet, in illis quam
minimum. Inde est, quod audimus
nonnullis divinis vitis accidisse, ut
oleum vini loco biberint. Rursum in
affe-

affectibus animi quidam plus habent cum pingui corpore commercii, veluti libido, cibi somniique appetentia, iracundia, superbia, invidia. Cum his irreconciliabile bellum piis, contra vulgus sine his vitam esse non putat. Deinde sunt quidam affectus medii, quasi naturales, ut amor patriæ, charitas in liberos, in parentes, in amicos. His vulgus non nihil tribuit. At illi hos quoque student ex animo revellere, nisi quatenus ad summam illam animi partem assurgunt, ut iam parentem ament, non tanquam parentem, quid enim ille genuit, nisi corpus? quanquam hoc ipsum Deo parenti debetur, sed tanquam virum bonum, & in quo luceat imago summae illius mentis, quam unam summum bonum vocant, & extra quam nihil nec amandum, nec expetendum esse prædicant. Hac eadem regula reliqua item omnia vitæ officia metiuntur, ut ubique id quod visibile est, si non est omnino contemendum, tamen longe minoris faciant, quam ea quæ videri nequeunt. Aiunt autem

autem & in sacramentis atque ipsis
pietatis officiis corpus & spiritum in-
veniri. Velut in iejunio non magni-
ducunt, si quis tantum à carnibus
cœnaque abstineat, id quod vulgus
absolutum esse iejunium existimat,
nisi simul & affectibus aliquid adi-
mat, ut minus permittat iræ quam
soleat, minus superbiæ: utque ceu mi-
nus iam onustus mole corporea, spi-
ritus ad cœlestium bonorum gustum,
fruitionemque enitatur. Similiter &
in Synaxi, tametsi non est aspernan-
dum, inquiunt, quod cæremoniis ge-
ritur, tamen id per se, aut parum est
conducibile, aut etiam perniciosum,
nisi id quod est spiritale accesserit,
nempe hoc quod signis illis visibili-
bus repræsentatur. Repræsentatur
autem mors Christi, quam domitis,
extinctis, quasique sepultis corporis
affectibus, exprimere mortales opor-
tet, ut in novitatem vitæ resurgent,
utque unum cum illo, unum item in-
ter sese fieri queant. Hæc igitur agit,
hæc meditatur ille pius. Contra vul-
gus sacrificium nihil aliud esse cre-
dit,

dit, quam adesse altaribus, idque proxime, audire vocum strepitum, aliasque id genus cæremoniolas spectare. Nec in his tantum, quæ duntaxat exempli gratia proposuimus, sed simpliciter in omni vita refugit pius ab his, quæ corpori cognata sunt, ad æterna, ad invisibilia, ad spiritalia rapitur. Proinde cum summa sit inter hos & illos omnibus de rebus dissensio, sit ut utriusque alteris insanire videantur. Quanquam id vocabuli rectius in pios competit, quam in vulgus, mea quidem sententia. Quod quidem magis perspicuum fiet, si quemadmodum pollicita sum, paucis demonstraro, summum illud præmium nihil aliud esse quam insaniam quandam. Primum igitur existimate Platonem tale quiddam iam tum somniasse, cum amantium furorem omnium felicissimum esse scriberet. Etenim qui vehementer amat, iam non in se vivit, sed in eo quod amat, quoque longius à se ipso digreditur, & in illud demigrat, hoc magis ac magis gaudet. Atque cum animus à

cor-

corpore peregrinari meditatur, neque probe suis utitur organis, istud haud dubie furorem recte dixeris. Alioqui quid sibi vult, quod vulgo etiam dicunt: Non est apud se, & ad te redi, & sibi redditus est? Porro quo amor est absolutior, hoc furor est maior, ac felicior. Ergo quænam futura est illa cœlitum vita ad quā piæ mentes tanto studio suspirant? Nempe spiritus absorbebit corpus, utpote victor ac fortior. Idque hoc faciet facilius, partim quod iam olim in vita corpus ad huiusmodi transformationem repurgarit, atque extenuarit. Deinde spiritus à mente illa summa mire absorbebitur, quippe infinitis partibus potentiore. Ita ut iā totus homo extra se futurus sit, nec alia ratione felix futurus, nisi quod extra se positus patietur quiddam ineffabile à summo illo bono, omnia in se rapiente. Iam hæc felicitas quanquam tum demum perfecta contingit, cum animi receptis pristinis corporibus immortalitate donabuntur, tamen quoniam piorum vita nihil aliud est,

qnam

quam illius vitæ meditatio , ac velut
umbra quædam, fit ut præmii quoque
illus aliquando gustum aut odorem
aliquem sentiant. Id tametsi minu-
tissima quædam stillula est ad fontem
illum æternæ felicitatis, tamen longe
superat , universas corporis volupta-
tes , etiamsi omnes omnium morta-
lium deliciæ in unum conferantur,
usque adeo præstant spiritualia cor-
poralibus, invisibilia visibilibus. Hoc
nimirum est quod pollicetur prophe-
ta? Oculus non vidit , nec auris audi-
vit , nec in cor hominis ascenderunt,
quæ præparavit Deus diligentibus se.
Atque hæc est Moriæ pars , quæ non
aufertur commutatione vitæ, sed per-
ficitur. Hoc igitur quibus sentire li-
cuit , contingit autem per paucis , ii
patiuntur quiddam dementiæ simili-
limum, loquuntur quædam non satis
cohærentia , nec humano more , sed
dant sine mente sonum , deinde sub-
inde totam oris speciem vertunt .
Nunc alacres, nunc deiecti, nunc la-
chrymant, nunc rident , nunc suspi-
rant,in summa, vere toti extra se sunt.

Mox

Mox ubi ad sese redierint, negant se scire ubi fuerint, utrum in corpore, an extra corpus, vigilantes, an dormientes, quid audierint, quid viderint, quid dixerint, quid fecerint, non meminerunt, nisi tanquam per nebulam, ac somnium, tantum hoc sciunt se felicissimos fuisse, dum ita desipient. Itaque plorant sese resipuisse, nihilque omnium malint, quam hoc insaniae genus perpetuo insaniare. Atque haec est futurae felicitatis tenuis quædam degustatiuncula. Verum ego iamdudum oblita mei $\tau\alpha\epsilon\sigma\tau\alpha\mu\pi\alpha\pi\delta\omega$. Quanquam si quid petulantius aut loquacius à me dictum videbitur, cogitate & stultitiam, & mulierem dixisse. Sed interim tamen memineritis illius Græcanici proverbii, πολλάκι πική μωρὸς ἀνήρ καταίρεται εἰπει, nisi forte putatis hoc ad mulieres nihil attinere. Video vos epilogum expectare, sed nimium desipitis, siquidem arbitramini me quid dixerim etiamnum meminisse, cum tantam verborum farraginem effuderim. Vetus illud, μισθῷ μιάμονα συμπότας.

Noxum

Novum hoc, μισῶ πανάπονας ἀκροαθεῖς.

Quare valete , plaudite , vivite, bibite , Moriæ celeberrimi Mystæ.

ΤΕΛΟΣ.

DESIGN

DESIDERIUS
ERASMUS
Roterodamus
De
RATIONE STUDII.

D e s i d e r i u s
E R A S M U S
Rotterdamiensis
D C
A N T O N I U S

E R A S M U S

Roterodamus

P E T R O V I T E R I O,

Liberalium disciplinarum Pro-
fessori eximio.

NÆ tu rem istam, mi Petre suauissime, & perspicis acute, & graviter vereque iudicas, plurimum referre, qua ratione, quoque ordine quid instituas, idque maximum habere momentum, cum ceteris in rebus omnibus, tum vero præcipue in bonarum studiis literarum. An non videmus ingentia pondera si artem adhibeas, minimo tolli negocio, quæ nullis alioqui viribus moveri poterant? Quemadmodum & in bello non perinde refert, quantis copiis, quantisque viribus hostem adoriaris, ut quam probe instructo exercitu, quo consilio, quoque ordine pugnam capessas. Ac multo celerius quo tendunt, perveniant ii, qui semitas compendiarias norunt, quam qui amnem, ut ait Plautus, ducem sequuntur, & vel contēpto Pythagora τὸ λεοφόρῳ

I

ingre-

ingrediuntur, vel variis etiam errorum ambagibus circumtaguntur. Proinde rogas, ut tibi studiorum ordinem, ac viam, formamque prescribam, quam tu, veluti Thesei filum secutus, & in auctorum labyrinthis citra errorem versari queas, & ad eruditionis summam celerius emergere, vel magis aliorum studiis consulere, quos bonis literis instituis, quandoquidem ipse iam propemodum ad eruditionis fastigium pervenisti. Evidem pro mea certe virili non gravatim parebo homini tam amico, ut nefas sit quidvis etiam flagitanti negare, ne dum rem tam honestam, tamque frugiferam. Quod si senseris nostrum hoc consilium tibi commodo fuisse, tui candoris erit, & aliis ad bonas literas enitentibus, digito viam indicare.

ERAS.

ERAS. Roter.

De

RATIONE STUDII

EPYSTOLA

Ad

PETRUM VITERIUM.

Eiusdem de ratione instituendi discipulos ad eundem.

PRINCIPIO duplex omnino videtur cognitio, rerum ac verborum. Verborum prior, rerum posterior. Sed nonnulli dum *arimdois*, ut aiunt, *ποσιν* ad res discendas festinant, sermonis curam negligunt, & male affectato compendio, in maxima incidunt dispensia. Etenim cum res non nisi per vocum notas cognoscantur, qui sermonis vim non callet, is passim in rerum quoque iudicio cæcutiat, hallucinetur, deliret necesse est. Postremo videoas nullos omnium magis ubique de voculis cavillari, quam eos qui iactitant

190 E R. R O T. D E R A T I O N E
Et tant sese verba negligere, re ipsam
spectare. Quapropter utroque in ge-
nere statim optima & quidē ab opti-
mis sunt discēda. Quid enim stultius,
quam magno labore discere, quæ po-
stea maiori cogaris dediscere? Nihil
autem facilius discitur, quam quod
rectum ac verum est. At prava si se-
mel inhæserint ingenio, dictu mirum
quam non possint revelli. Primū igi-
tur locum Grammatica sibi vendicat,
eaque protinus duplex tradenda pue-
ris, Græca videlicet ac Latina. Non
modo quod his duabus linguis omnia
ferme sunt prodita, quæ digna cogni-
tu videantur, verum etiam quod utra-
que alteri sic affinis est, ut ambæ ci-
tius percipi queāt coniunctim, quam
altera sine altera, certe quam latina
sine Græca. A Græcis auspicari nos
mavult Quintilianus, sed ita, si his li-
teris perceptis, non longo intervallo
latinæ succedant, sane utrasque pari
cura tuendas esse monet, atque ita fa-
tum, ut neutræ alteris officiant. Er-
go utriusq; linguæ rudimenta & sta-
tim, & ab optimo præceptore sunt
hau-

haurienda: qui si forte non contingat, tum (quod est proximum) optimis certe utendum auctoribus quos equidem per paucos, sed delectos esse velim. Inter græcos Græmaticos nemo non primum locum tribuit Theodo-ro Gazæ, proximum mea sententia Constantinus Lascaris sub iure suo vendicat. Inter latinos vetustiores Diomedes. Inter recentiores haud multum video discriminis, nisi quod Nicolaus Perottus videtur omnium diligentissimus, citra superstitionem tamen. Verū ut huiusmodi præcepta fateor necessaria, ita velim esse, quantum fieri possit, quā paucissima, modo sint optima. Nec unquam probavi li-teratorum vulgus, qui pueros in his inculcandis complures annos remo-rantur. Nam vera emendate loquendi facultas optime paratur, cum ex ca-stigate loquentium colloquio convi-ctuque, tum ex eloquentiū auctorum assidua lectione, è quibus ii primum sunt imbibendi, quorū oratio præter-quā quod est castigatissima, argumen-ti quoq; illecebra aliqua discentibus

192 E. R. ROT. DE RATIONE
blandiatur. Quo quidē in genere pri-
mas tribuerim Luciano, alteras De-
mōtheni, tertias Herodoto. Rursum
ex Poëtis primas Aristophani, alteras
Homero, tertias Euripi. Nam Me-
nandrū, cui vel primas daturus eram,
desideramus. Rursum inter Latinos
quis utilior loquendi auctor quā Ter-
rentius? purus, tersus, & quotidiano
sermoni proximus, tū ipso quoq; ar-
gumēti genere iucundus adolescētiæ.

Huic si quis aliquot selectas Plauti
comœdias putet addendas, quæ va-
cent obscenitate, equidem nihil re-
pugno. Proximus locus erit Vergilio,
tertius Horatio, quartus Ciceroni,
quintus C. Cæsari. Salustium si quis
adiungendum arbitrabitur, cum hoc
non magnopere contenderim, atque
hos quidem ad utriusque linguæ co-
gnitionem satis esse duco. Neq; enim
mihi placent, qui in evolvendis hunc
in usum auctoriibus, etiā quibuslibet,
vitam omnem conterunt, prorsus in-
fantem existimantes eum, quem ulla
chartula suffugerit. Ergo parata ser-
monis facultate, si non luxuriosa, cer-
te ca-

te casta, mox ad rerum intelligentiam conferendus est animus. Tametsi ex his etiā scriptoribus, quos expoliendae linguae gratia legimus, non mediocris obiter rerum quoq; cognitio percipitur, verum ex instituto omnis fere rerum scientia à Græcis auctoribus petenda est. Nam unde tandem haurias vel purius, vel citius, vel iucūdium, quam ab ipsis fontibus? Sed quo ordine disciplinæ descendæ sint, & ex quibus potissimum præceptoribus, id alias fortasse rectius ostendemus. Interim ad primæ ætatis studia revertamur. Ut igitur ex his auctoribus unde linguae copiam petendā esse diximus, fructū capias & maturius & uberiorē, Laurentium Vallam tibi censeo diligenter evolvendum, qui de Latini sermonis elegantia scripsit elegantissime. Huius adiutus præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neq; enim te velim per omnia velut additum, Laurentianis servire præceptis. Adiuvabit hoc quoq; si figuræ Græmaticas à Donato ac Diomede traditas edidiceris, si carminis leges ac for-

194 E. R. R. O. T. D E R A T I O N E
mas omnes tenueris, si Rhetorices
summam, hoc est propositiones, locos
probationum, exornationes, amplifi-
cationes, transitionum formulas in
promptu habueris. Conducunt enim
hæc non solū ad iudicandum, verum
etiam ad imitandum. His itaq; rebus
instructus inter legendū auctores non
oscitantur observabis, si quod incidat
insigne verbum, si quid antique aut
nove dictum, si quod argumentum,
aut inventum acute, aut tortum apte,
si quod egregium orationis decus, si
quod adagium, si quod exemplum, si
qua sententia digna quæ memoriæ
commendetur. Isque locus erit apta
notula quapiam insigniendus. Notis
enim non solum variis erit utendum,
verum etiam accommodatis, quo pro-
tinus, quid rei sit, admoneant. Ad hæc
si quis dialecticen addendā statuet,
non admodum refragabor, modo ab
Aristotele eam discat, non ab isto lo-
quacissimo sophistarum genere, ne-
que rursum ibi desideat, & velut ad
scopulos (ut inquit Gellius) Sirenæos
consernescat. Verum illud interim me-
mineris,

mineris, optimum dicendi magistrum esse stilum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diiigenter exercendus. Neque negligenda memoria, lectionis thesaurus. Eam tametsi locis & imaginibus adiuvari non inficior, tamen tribus rebus potissimum constat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Si quidem bona memoriæ pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiam quæ semel exciderint, quasi postliminio in animum revocemus. Porro cura omnibus in rebus, non hic tantum, plurimum valet. Itaque quæ meminisse velis, ea sunt attentius, ac crebrius relegenda, deinde sæpius à nobis ipsis exigenda, ut si quid forte suffugerit, id restituatur. Illud minutius, sed tamen haud indignum quod admoneatur. Adiuvabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit memoria, veluti locorum quos tradunt Cosmographi, pedum metricorum, figurarum grammaticarum, genealogiarum, aut si qua sunt similia, ea quam fieri potest

test brevissime simul & luculentissime in tabulis depicta, in cubiculi parietibus suspendantur, quo passim & aliud agentibus sint obvia. Item si quædam breviter, sed insigniter dicta, velut apopthegmata, proverbia, sententias in frontibus atque in calcibus singularum codicum inscribes, quædā annulis, aut poculis insculpes, non nulla pro foribus, & in parietibus, aut vitreis etiā fenestrīs depinges, quo nusquam non occurrat oculis, quod eruditio nem adiuvet. Hæc etiam tametsi singula per se pusilla videntur, tamen in unum collata acervum, doctrinæ thesaurum lucro augent, haud quam negligendo $\pi\mu\ eis \alpha\phi\tau\sigma\pi\pi\pi\pi$, id est, his opibus properanti ditescerē. Postremo illud non ad unum aliquid, sed ad omnia simul plurimum conducet, si frequenter alios quoque doceas. Nusquam enim melius deprehenderis quid intelligas, quid non. Atque interim nova quædam occurruunt commentanti, differentique, nihil non altius infigitur animo.

D E S.

DESIDERIUS
ERASMUS
Roterodamus
De
RATIONE INSTITUENDI
DISCIPULOS.

D A S I D T R I A S
E A M U S

Я оставил
Индии

и возвратился
в Азию. Я
встретил
там
много
достопримечательных
мест и
видел
много
интересных
вещей. Я
был
очень
удовлетворен
моим путешествием.

DE RATIONE
INSTITUENDI
DISCIPULOS.



Ed video te cupere, ut de docendi quoque ratione nonnihil attingamus. Age mos geratur Viterio, quāquam video Fabium hisce de rebus diligentissime præcepisse, adeo ut post hunc de iisdem scribere prorsus impudentissimum esse videatur. Ergo qui volet instituere quempiam, dabit operam, ut statim optima tradat, verum qui rectissime tradat optima, is omnia sciat necesse est: aut si id hominis ingenio negatum est, certe uniuscuiusque disciplinæ præcipua. In hoc non ero contentus decem illis, aut duodecim auctoribus, sed orbem illum doctrinæ requiram, ut nihil ignoret etiam qui minima parat docere. Erit igitur huic per omne scriptorum genus va-

gan-



200 E R. R O T. D E R A T I O N E
gandum , ut optimum quenque pri-
mum legat, sed ita , ut neminem re-
linquat ingustatum , etiam si parum
bonus sit auctor. Atque id quo cu-
mulatiore fructu faciat, ante locos &
ordines quosdam, ac formulas in hoc
paratas habeat , ut quicquid usquam
inciderit annotandum , id suo asscri-
bat ordini. Sed hoc qua ratione fieri
oporteat , in secundo de copia com-
mentario demonstravimus. Verum
si cui vel ocium , vel librorum copia
defuerit, plurima Plinius unus suppe-
ditabit, multa Macrobius , & Athe-
neus, varia Gellius. Sed in primis ad
fontes ipsos properandum , id est,
Græcos & antiquos. Philosophiam
optime docebit Plato , Aristoteles,
atque huius discipulus Theophras-
tus , tum utrinque mixtus Plotinus.
Ex Theologis secundum divinas lite-
ras , nemo melius Origene , nemo
subtilius aut iucundius Chrysostomo , nemo sanctius Basilio. Inter La-
tin os duo duntaxat insignes in hoc
genere , Ambrosius mirus in allusio-
nibus, & Hieronymus in arcanis lite-
ris

ris exercitatissimus. Quod si minus vacabit immorari singulis, omnes tamen censeo degustandos, quorum in præsentia catalogum texere, non est ratio. Certe propter Poëtarum enarrationem, quibus mos est, ex omni disciplinarum genere sua temperare, tenenda est fabularum vis, quam unde potius petas, quam ab Homero, fabularum omnium parente? Tametsi Metamorphoses, ac Fasti Nasonis non leve momentum adferent, quamquam Latine scripti. Tenenda Cosmographia, quæ in historiis etiam est usui, nedum in Poëtis. Hanc brevissime tradit Pomponius Mela, doctissime Ptolemæus, diligentissime Plinius. Nam Strabo non hoc tantum agit. Hic præcipua pars est observasse quæ montium, fluminum, regionum, urbium, vulgo recepta vocabula, quibus antiquis respondeant. Eadem debet esse cura in arborum, herbarum, animantium, instrumentorum, vestium, gemmarum nominibus, in quibus incredibile dictu, quam nihil intelligat literatorum vulgus.

Horum

boup

Horum notitia partim è diversis aucto-
ribus, qui de re rustica, de re mi-
litari, de architectura, de re culina-
ria, de gemmis, de plantis, de natu-
ris animantium conscripserunt, col-
ligitur. Quanquam Iulius Pollux ex
professo de rerum vocabulis tradidit,
quæ utinam tam accurate distinxis-
set, quam congesit copiose : partim
ex etymologiis, partim ex his linguis,
quæ prisci sermonis & incorrupti
manifesta vestigia servant in hanc us-
que ætatem, cuiusmodi lingua Con-
stantinopolitanorum, Italorum &
Hispanorum, nam Gallorum oratio
longius degeneravit. Tenenda anti-
quitas, quæ non modo ex vetustis au-
ctoribus, verum etiam è nomismatis
prisci, è titulis saxisque colligitur. E-
discenda & deorum genealogia, qui-
bus undique refertæ sunt fabulæ:
eam post Hesiodum felicius quā pro
suo seculo tradidit Boccatius. Non
ignoranda astrologia, quod hanc
passim suis figmentis aspergunt Poë-
tæ, præsertim Higini. Tenenda rerum
omnium vis, atque natura, propterea
quod

quod hinc similia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atque alia id genus schemata solent mutuo sumere. In primis autem omnis tenenda est historia, cuius usus latissime pater, non tantum in Poëtis. Iam si quis Prudentium, unum inter Christianos vere facundum Poëtam volet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Postremo nulla disciplina est, nec militiae, nec rei rusticæ, nec musices, nec architecturæ, quæ non usui sit iis, qui Poëtas, aut Oratores antiquos suscep- rint enarrandos. Sed video iam dum frontem contrahis. Næ tu, inquis, immensum onus imponis etiam literatori. Onero sane, sed unum, ut quam plurimos exonerem. Volo ut unus evolvat omnia, ne singulis universa sint evolvenda.

Iam vero de formando puerorum ore, deque tradendis ceu per lusum, iocumque literarum figuris, satis præcepit Fabius. Evidem post tradi- tita elementa prima, malim ad usum loquendi statim vocari puerum. Et enim

204 E R. R O T. D E R A T I O N E
enim cum intra pauculos menses,
quamvis barbarem linguam ætas ea
sonet, quid vetat quo minus idem
fiat in lingua Græca sive Latina? Ve-
rum id nec in magno puerorum gre-
ge locum habet, & domesticam præ-
ceptoris consuetudinem requirit.
Quanquam in ludo quoque dabit
operam, ut sive pluribus loquatur, si-
ve seorsim uni, quam potest emenda-
tissime dicat. Quædam obiter inter-
pretetur, & ut imitentur, admoneat.
Loquentes illos aliquoties collaudet
si quid dictum erit aptius, aut emen-
det, cum errabunt. Ea res efficier,
ut illi quoque consuescant circum-
spectius & accuratius loqui, & præ-
ceptorem loquentem attentius ob-
servent. Iuvabit & illud, si propositis
præmiolis, aut pœnis, velut ex lege
provocentur, ut ipsi quoque inter se-
se alius alium emendent. Porro præ-
ceptor eruditiores aliquot deligit,
qui controversiam finiant. Neque
fuerit inutile, ceu formulas aliquot
proponere pueris, quibus orationi-
bus in lusu, quibus in congressu, qui-
bus

bus in conviviis uti debeant. Has sic oportet esse doctas, ut simul & faciles sint, & iucundæ. Porro doctor ille diligens & doctus, acrique iudicio, non gravabitur, collatis omnibus Grammaticorum præceptis, excerpere quedam, & simplicissima, quod quidem fieri potest, & brevissima, tum ordine quam maxime commodo. Postea quam ea tradidit, statim ad auctorem aliquem ad id accommodatissimum, ac loquendi, scribendique consuetudinem vocentur. Hic præceptio-nes ante traditas ut incident, exemplaque diligenter inculcabit, quibus etiam addet nonnihil, velut iam tum ad maiora præparans. Hinc iam thematiis exerceri debent. In quibus illud in primis cavendum, ne (quod fieri solet) aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut venustam habeant senten-tiam, quæ tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat, ut interim aliud agentes, simul & aliquid discant, in gravioribus studiis usui futurum. Habeat igitur thema, quod pueris

206 E R. R O T. D E R A T I O N E
pueris proponet, aut historiam me-
morablem. Quod genus sunt illa:
Marcelli præceps calor rem Roma-
nam subvertit, Fabii prudens cun-
ctatio restituit. Quanquam hic sub-
est etiam sententia, nimirum præcipi-
tata consilia parum feliciter evenire
solere. Item, difficile iudicatu sit, u-
ter altero fuerit stultior, Crates qui
aurum abiecit in mare, an Midas qui
existimavit nihil auro melius esse.
Item, Demostheni ac Ciceroni im-
modica eloquentia exitio fuit. Rur-
sum, nulla laus Codri regis meritis
par esse potest, qui civium salutem
propriæ vitæ dispendio redimendam
putavit. Sed non magni negotii fue-
rit huiusmodi vim ex historiogra-
phis, præcipue Valerio Maximo, col-
ligere. Aut fabulam habeat, ut illud:
Hercules expugnandis monstris im-
mortalitatem sibi paravit. Musæ fon-
tibus ac nemoribus unice gaudent, à
fumosis urbibus abhorrent. Aut A-
pologum, ut recte docuit Cassita
non esse committendum amicis ne-
gocium, quod per te possis confice-
re.

re. Item, manticam pectore propen-
dentem vident omnes, eam, quæ à
tergo pendet, videt nemo. Item, Sa-
piebat vulpes, quæ maluit muscas
iam prope saturas retinere, quam his
expunctis, vacuas ac sitientes admit-
tere, quæ quicquid reliquum esset
sanguinis, epotarent. Aut apophthe-
gma, ut, Longe dissentiebat à vulgo
nostræ ætatis, qui maluit virum abs-
que pecunia, quam pecuniam sine vi-
ro. Item: Iure Socrates contemnit
eos, qui non edunt ut vivant, sed
vivunt ut edant. Merito non proba-
bit Cato eos, qui plus sapiunt pala-
to, quam animo. Aut proverbium,
ut: Ne sutor ultra crepidam. Et, non
cuiuslibet est hominis Corinthum
navigare. Ac nos quidem editis tot
Chiliadibus, effecimus, ne difficilis
esset horum inventio. Aut senten-
tiam, ut, Nihil carius constat, quam
quod precibus emitur. Et, obse-
quium amicos, veritas odium parit.
Et, amici, qui procul absunt, amici
non sunt. Aut rei cuiuspiam insi-
gnem naturam, ut, Magnes ad sese
ferrum

208 E R . R O T . D E R A T I O N E
ferrum attrahit , Naphtha ignem.
Item palmæ ea est natura, ut pondere
imposito , non modo non deprima-
tur ad terram , verum etiam sursum
nitatur, & altius erigat se. Item
mirum Polypi ingenium, qui ad spe-
ciem subiecti soli mutat colorem,
quo fallat insidias piscatoris . Aut
figuram eximiam , puta gradatio-
nem. Divitiæ luxum pariunt , luxus
saturitatem, saturitas ferociam, fero-
cia odium multorum , odium perni-
ciem. Aut similitudinem, ut, quem-
admodum ferrum si exerceas, usu at-
teritur: si non exerceas, exeditur ru-
bigine. Ita ingenium si exerceas, la-
bore absimitur: si non exerceas, ma-
gis otio , situque læditur. Aut alle-
goriam , ut, non est addendus ignis
igni, non est addendum oleum incen-
dio. Aut commutationem, ut, non
ideo te talem iudico, quod vehemen-
ter amem, sed ideo vehementer amo,
quod talem iudicarim. Aut distri-
butionem , Stultior est quam ut pos-
sit tacere, infantior , quam ut possit
loqui. Simplicior est, quam qui pos-
sit

fit mentiri: gravior, quam ut velit. Sed mihi sat est indicasse tantum. Aut exquisitam aliquam elegantiam. Cuius rei non est necesse ponere exemplum. Nihil autem obstat, quo minus plures commoditates in eandem incident orationem, veluti sententia, historia, proverbium, & figura. Ergo præceptor, quem oportet assidue in bonis auctoribus versari, huiusmodi ceu flosculos undique colliget, eosque delectos proponet, aut etiam in eam formam demutabit, ut puerorum ingenii sint accommodati. Postquam his rebus ad aliquantam sermonis peritiam projectus erit puer, tum si videbitur, ad maiora grammatices præcepta revocetur, quæ per locos & ordines quosdam ita tradenda sunt, ut primo loco simplicissima proponantur, ea que paucis. Deinde utcunque adolescunt discentium ingenia, ita maiora suis quæque locis oportebit subiicere. Is ordo cuiusmodi sit, è Theodori Gazzæ grammatica exemplum sumas licet. Nec in his tamen velim eos deti-

210 E R . R O T . D E R A T I O N E
detineri longius , sed illico ad aucto-
res graviores revocari. Præsertim si
prius summam illam , de qua dixi,
Rhetorices, ac figuræ , & carminum
forinas teneant. Interim thematis
quoque difficilioribus sunt exercen-
di, in quibus delegendis ac narran-
dis, diligentem ac doctum præcepto-
rem requiram. Qui si sit mediocris,
modo sit idem modestus, non grava-
bitur hæc ab alio doctiore petere.
Thematum autem formæ huiusmo-
di fere possunt esse : Nunc Epistolæ
brevis argumentum , sed argutum,
lingua vulgari proponat, Latine Græ-
ceve , aut utroque sermone tractan-
dum. Nunc apologum , nunc nar-
ratiunculam, non insipidam , nunc
sententiam ex quatuor constantem
partibus, utrique duarum simili au-
ratione subiecta. Nunc argumenta-
tionem quinque tractandam parti-
bus, nunc dilemma duabus , nunc
expolitionem quam vocant, septem
partibus explicandam. Aliquando
tanquam ad Rhetorica præludentes,
unum aliquod membrorum seorsum
tra-

1105

tractent. Cuiusmodi progymnasma-
ta scripsit Aphthonius. Aliquando
laudem, vituperationem, fabulam, si-
militudinem, comparationem. Ali-
quando figuram, vel descriptionem,
distributionem, sermocinationem,
subiectionem, notationem. Aliquo-
ties iubeantur carmen aliquod solve-
re. Aliquoties solutam orationem
pedibus alligare. Interim Plinianam
aut Ciceronis Epistolam, verbis ac fi-
guris imitentur. Nonnunquam ean-
dem sententiam variatis verbis ac fi-
guris, saepius efferant. Nonnunquam
candem Græce simul ac Latine me-
tro & oratione prosa varient. Non-
nunquam eandem quinque aut sex
carminum generibus, quæ doctor
præscripserit, explicit. Nonnun-
quam sententiam eandem per locos
quam plurimos ac schemata diffin-
gant. Plurimum autem fructus est in
græcis vertendis. Quare convenit
eos, hoc in genere saepissime ac dili-
gentissime exerceri. Nam simul &
exercetur ingenium in deprehenden-
dis sententiis, & utriusque sermonis

212 E.R. R.O.T. DE RATIONE
vis ac proprietas penitus inspicitur, &
quid nobis cūm græcis commune sit,
quid non, deprehenditur. Denique
ad reddendam græcanicam emphati-
sim, omnes Latinæ linguae opes ex-
cutias oportet. Hæc si initio pueris
difficilia videbuntur, tum usu sient fa-
ciliora, tum præceptoris ingenium, ac
studium, bonam negocii partem pue-
ris adimet, indicatis quæ putet esse
supra vires illorum. Atque iis interim
exercitamentis crebræ prælectiones
auctorum misceantur, ut suppetat
quod imitantur. Quanquam is, qui
docet, proposito themate, simul ver-
borum quoque & figurarum copiam
debet indicare. Sub hæc ad invenien-
di quoque laborem provocentur, ita
propositis nudis argumentis, ut suo
quisque Marte reperiat, quæ pertine-
bunt ad rem tractandam, ornandam,
locupletandam. Et hic delectum ac
varietatem requiram à præceptoris
eruditæ diligentia, gustum ipterim
exhibeo. Sæpius argumentum Epi-
stolæ proponet suasoriæ, dissuasoriæ,
exhortatoriæ, dehortatoriæ, narrato-
riæ,

riæ, gratulatoriæ, expostulatoriæ, commendatoriæ, consolatoriæ. Et uniuscuiusque generis naturam, locos, ac formulas quasdam communes, dein argumento proposito, etiam peculiares indicabit. Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in diversis generibus, puta si iubeat eos vituperare Iulium Cæsarem, aut laudare Socratem, in genere demonstrativo. Item statim optima discenda. In opibus non esse felicitatem. Matrem proprio lacte nutrire debere quod peperit. Literis græcis non esse dannam, aut esse dandam operam. Uxorem esse ducendam, aut non esse ducendam. Peregrinandum esse, aut non esse peragrinandum, in genere suvisorio. Item M. Horatium indignum esse supplicio, in genere iudiciali. Verum hanc palæstram primum ingredientibus non gravabitur is, qui docendi provinciam suscepit, primum indicare, quo propositionibus id argumentum tractari possit. Præterea propositionum ordinem demonstrabit, & quo pacto alia ex alia

K 2 pen-

214 E.R. ROT. DE RATIONE
pendeat. Deinde quot rationibus unaquæque propositio fulciri debet, quot confirmationibus unaquæque ratio. Tum circumstantias ac locos, unde ista peti possint. Deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententiis, proverbiis, fabulis, apologis unaquæque pars locupletari queat. Ostendat & schemata, si qua insigniter videbuntur incidere posse, quæ vel acriorem, vel ampliorem, vel magis dilucidam, vel iucundiorem reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demonstret, sive per locos communes, sive per eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quintilianus. Quod si qui inciderint affectus, hi quoque quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin & connectendi rationes præscribat, quis sit optimus futurus transitus. Ab exordio ad narrationem, à narratione ad divisionem, à divisione ad argumentationem, à propositione ad propositiōnem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut per oratio-

rationem. Ostendat & formulas aliquot, quibus ibi commode possint exordiri, aut etiam perorare. Postremo, si potest, locos aliquot in anctoribus indicet, unde valeant aliquid imitandum sumere, propter rerum affinitatem: id ubi septies, aut octies erit factum, iam incipient (quod ait Horatius) sine cortice nare, & satis erit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit, semper velut infantibus cibum præmansum in os inservire. Nec mihi displacebit illud exercitationis genus, quod apud antiquos in usu video fuisse, ut ex Homero, Sophaclie, Euripide, Vergilio, aut etiam ex historiis aliquando legantur themata. Puta ut Menelaus apud Troianam concionem repeatat Helenam. Aut, Phœnix suadeat Achilli, ut redeat in prælium. Aut, Ulysses suadeat Troianis, ut Helenam reddant potius quam bellum experiantur. Quo in genere extant aliquot Libani & Aristidis declamationes. Præterea, uti suadeat aliquis amicus Ciceroni ne conditionem ab Antonio

216 E.R. R.O.T. DE RATIONE
oblatam accipiat, quod argumentum
est apud Senecam. Uti Phalaris sua-
deat Delphis , ut taurum æneum
Deo suo consecrent. Ad hoc genus
pertinent Epistolæ, quæ Phalaridis, ac
Bruti nomine circumferuntur. In
emendando collaudabit, si quid feli-
cius inventum, tractatum, aut imita-
tum videbitur: si quid prætermissum,
autem non suo loco positum, si quid
nimium, aut remissius, si quid obscu-
rius, aut etiam si quid parum elegan-
ter dictum erit, admonebit. Et quo
pacto mutari possit ostender, ac mu-
tari, & saepius iubebit. Extimulabit
autem præcipue dissentium animos
comparatione profectus, velut æmu-
latione quadam inter ipsos excitata.
Iam in prælegendis auctoribus no-
lim te facere, quod prava quadam
ambitione vulgus professorum hodie
facit, ut omni loco coneris omnia di-
cere, sed ea duntaxat, quæ explican-
do præsenti loco sint idonea , nisi si
quando delectandi causa digredien-
dum videbitur. Quod si huius quo-
querrei rationem à me requiris , hæc
mihi

mihi quidem videbitur optima. Primo loco ad conciliandos auditores, laudes eius, quem prælegendum sumit, paucis explicet. Deinde argumenti iucunditatem, utilitatemque ostendat. Mox vocem argumenti, si forte (ut faciunt plerique) varios habeat usus, explicet, ac distinguat. Veliuti comœdiam (ut hoc exempli loco sumamus) Terentianam interpretaturus, in primis de auctoris fortuna, de ingenio, de sermonis elegantia paucis differat. Deinde quantum habeat & voluptatis, & utilitatis comœdiarum lectio: deinde quid significet ea vox, & unde ducta, & quot sint comœdiarum genera, & quæ sint comœdiæ leges. Deinceps quam potest & dilucide, & breviter summam explicet argumenti. Carminis genus diligenter indicet. Post ordinet simplicius, deinde singula fusijs explicet. Ad hæc, si qua insignis elegantia, si quid prisce dictum, si quid novatum, si quid græcanicum, si quid obscurius, aut longius redditum, si durior aut perturbatior ordo, si qua etymo-

218 E R. R O T. D E R A T I O N E
logia, si qua derivatio aut composi-
tio scitu digna, si qua ortographia, si
qua figura, si qui loci Rhetorici, si qua
exornatio, si quid depravatum, dili-
genter admoneat. Tum loca similia
ex auctoribus conferat, si quid diver-
sum, si quid affine, si quid imitatum,
si quid allusum, si quid aliunde trans-
latum, aut mutuo sumptum, ut sunt
pleraque Latinorum à græcis profe-
cta, ne id quidem taceat. Postremo
ad philosophiam veniat, & Poëtarum
fabulas apte trahat ad mores, vel tan-
quam exempla demonstret, ut Pyla-
dis & Orestis, ad amicitiæ commen-
dationem. Tantali fabula ad avaritiæ
detestationem. In his non medio-
criter adiuvabit docentem Eusta-
thius, Homeri interpres. Atque ita
fiet (si modo sit ingenii dextri præce-
ptor) ut etiam si quid inciderit, quod
inficere possit ætatē illam, non solum
non officiat moribus, verum etiam
utilitatem aliquam adferat, videlicet
animis partim ad annotationem in-
tentis, partim ad altiores cogitatio-
nes avocatis. Veluti si quis prælectu-
rus

rus secundam Maronis Eclogam, commoda præfatione præparet, vel potius præmuniat auditorum animos ad hunc modū, ut dicat: Amicitiam non coire nisi inter similes, similitudinem enim esse benevolentiae mutuae conciliatricem, contra dissimilitudinem odii, dissidiique parentem. Quoque maior ac verior, stabiliorque similitudo fuerit, hoc firmiorem atque arctiorem esse amicitiam. Id nimirum sibi velle tot apud auctores proverbia. Boni ad bonorum convivia, & invocati accedunt. Et simile gaudet simili, & æqualis æqualem delectat, & æqualem tibi uxorem quære. Et ut semper similem ducit Deus ad similem, & semper graculus assidet graculo. Et similes habent labra lactucas. Et pares cum paribus facillime congregantur. Et Cascus Cascam dicit. Et balbus balbum rectius intelligit. Et cicada cicadæ chara, formica formicæ. Et Cretensis cum Ægineta. Contra tot dissimilitudinis adagia, nihil aliud sibi velle, quam inter eos qui dissimili sunt for-

tuna, dissimili vitæ instituto , dissimi-
libus studiis , aut omnino non coire
amicitiam, aut si coierit, non cohære-
re, citoque dirimi : atque ob id fieri,
ut idiota studiosum literarum oderit,
prophanus sacerdotem , rusticus au-
licum, iuvenis senem. Atque in eo-
dem genere, Epicuræus Stoicum, Phi-
losophus Iurisconsultum, Poëta The-
ologum, balbus eloquentem. Hinc
geminorum gratiam fratrum , Am-
phionis & Zeti, pene dissiliisse , quod
alter lyræ studiosus esset , alter agris
colendis gauderet: ac dissilierat , nisi
Amphion abiecta lyra , fratribus inge-
nio cessisset. Ob eandem causam in-
syncera fuit Castoris & Pollucis ami-
citia, neq; caruit infamia tentati par-
ricidii , cum uterque eodem ex ovo
essent prognati, ut iam magis esse ge-
melli non possent, quod alter pugil
esset, alter equis delectaretur. Hinc
male convenisse Remo cum Romu-
lo, quod alter tristioribus ac severis
esset moribus , alter blandior , unde
& Romulo pro Romo mutatum no-
men. Pessime convenisse Chaim cum
Abel,

Abel, quod diverso vitæ genere cape-
rentur. Summum autem amore, summae similitudinis esse comitem,
atque ideo fictum à Poëtis, quemad-
modum Narcissus, ante ab omni ab-
horrens consortio, simul atque
suam ipsius imaginem in limpidissi-
mo fonte conspexisset, protinus amo-
re flagrantissimo cœpit ardere. Quid
enim nostri similius, quam ipsa ima-
go? Ergo cum doctus doctum amat,
sobrius sobrium, modestus mode-
stum, probus probum, nihil aliud a-
mat uterque, quam suam ipsius in al-
tero imaginem, hoc est seipsum, sed
alio modo. Verum ea similitudo, si-
quidem sita est in bonis animi, quæ
vere sunt bona, hoc est pietate, iusti-
tia, temperantia, tum eiusmodi nasci-
tur amicitia, cuiusmodi sunt eæ res,
quibus amicitia conciliatur, hoc est
honesta, vera, sincera, stabilis, æter-
na. Contra si in rebus corporeis ac
fluxis, aut etiam turpibus, eam nec
vere esse amicitiam, nec iucundam,
nec diuturnam ostendet. Proinde
Platonem duas finxisse Veneres, alte-

222 E R. R O T. D E R A T I O N E
ram cœlestem , alteram terrestrem.
Duos item Cupidines, suæ utrumque
matri respondentes. Cœlestem veras
gignere formas , & huius filium ve-
ros , & honestos immittere amores.
Inter bonos semper amorem esse mu-
tuum, inter vulgares plerunque, alte-
rum amare, alterum odiſſe , alterum
persequi , alterum fugitare. Id acci-
dit fere propter ingeniorum vitæque
dissimilitudinem. Quod quidem ele-
ganter significat apud Poëtas Cupi-
do, qui nonnunquam hunc aurea cu-
pide figit, illum plumbea, illum ut a-
met, hunc ut abhorreat, atque hoc a-
amicitiæ genere nihil esse potest infe-
licius. Eius igitur amicitiæ male co-
hærentis, quasi simulachrum quod-
dam in hac Ecloga proponit Vergi-
lius. Corydon rusticus, Alexis urba-
nus. Corydon pastor , Alexis auli-
cus. Corydon indoctus (nam huius
carmina vocat incondita) Alexis eru-
ditus. Corydon ætate provectus , A-
lexis adolescens. Corydon deformis,
hic formosus. Breviter dissimilia o-
mnia. Quare prudentis est amicum
suis

suis moribus aptum deligere , si velit amari mutuum. Hæc, inquam, si præfetur, tum autem locos demonstrato-rios , perperam & bucolice à rustico affectatos indicet, nihil opinor turpe veniet in mentem auditoribus , nisi si quis iam corruptus accesserit. Nam iste venenum non hinc hauserit , sed huc secum attulerit. Hoc exemplum verbosius exposui, quo facilius in cæteris item sibi quisque similia repe-riat. Iam in aggressu cuiusque ope-ris conveniet in genere demonstrare, quæ sit argumenti natura, & quid in eo potissimum sit spectandum. Velut in epigrammatis argutam brevitatem laudari. Tum iocandi rationes, quas Fabius & Cicero tradunt, indicabit. Hoc genus præcipue gaudere epi-phonematis, commode in fine adie-ctis, quæ cogitationem velut aculea-tam in animo lectoris relinquant. In Tragœdia præcipue spectandos affe-ctus, & quidem fere acriores illos. Hi quibus rebus moveantur, paucis o-stendet. Tum argumenta veluti de-clamantium. Postremo descriptiones
loci-

224 E R . R O T . D E R A T I O N E
locorum, temporum, rerum aliquo-
ties, & argutas altercationes incide-
re, quæ nunc distichis, nunc singulis
versibus, nunc hemistichiis absolvantur.
In Comœdia cum primis obser-
vandum esse decorum, & vitæ com-
munis imitationem, affectus esse mi-
tiores, & iucundos magis quam a-
cres. Decorum autem in primis spe-
ctari, non solum illud commune, ut
adolescentes aiment, lenones peie-
rent, blandiatur meretrix, obiurget
senex, fallat servus, iactet se miles,
atque id genus alia, verum peculiare
quoddam quod suo arbitratu aliis a-
liud affingit Poëta. Velut in Andria
duos inducit senes, longe diverso in-
genio. Simonem vehementem, ac
submorosum, haud stultum tamen,
nec improbum. Contra autē Chreme-
tem civilem, ac semper placidum, u-
bique sibi præsentem, omnia quan-
tum potest pacantem, at ita tamen le-
nem, ut minime stupidum. Duos item
adolescentes dissimili natura, Pam-
philum cordatum pro ratione ætatis,
& consultabundum, sed acriorem, ut
Simo-

Simonis filium possis agnoscere. E diverso Charinum puerilē, ineptum, consiliique inopem. Rursus servos duos diversis moribus: Davum vafrum & consiliis abundantem, ac sperandi pertinacissimum auctorem. E regione Byrriam nullius consilii, tantum perpetuum desperationis auctorem hero. Ad eundem modum in A-delphis. Mitionem etiam in obiurgando mitem ac festivum. Demeam etiam in blandiendo amarulentum. Rursum Æschinum propter urbanæ vitæ consuetudinem & Mitionis fiduciam nihil non audentem, sed ita ut probum ingenium deprehendas, officiosum in fratrem, fidum in puerlam. E diverso Ctesiphonem subrusticum ac timidum, propter earum rerum insolentiam. Syrum callidum, & audacem, nihilque non simulantem ac dissimulantem adeo, ut sola ebrietas detexerit illius fucos. Dromonem stupidum, atque hebetem. Sed ista persequi huius non est instituti, in præsentia satis est viam indicasse. In Eclogis admoneat esse au-

rei

rei seculi, ac priscæ illius vitæ imaginem. Proinde quicquid illic est sententiarum, similiūm, ac comparationum, à vita pastorali sumi: affectus sunt simplices, cantionibus, sententiis, ac proverbiis delectantur, superstitione & argutiis capiuntur. Ad eundem modum, quid proprium habeat carmen heroicum, quid historia, quid dialogus, quid Apologus, quid satyra, quid oda, quid reliqua scripti genera curabit admonere. Tum quæ sint singulorum auctorum in singulis argumentis dotes, aut etiam vitia, non gravabitur indicare, quo iam tum assuescant adolescentes ei quod est in omni re præcipuum, iudicio. Atque in hac parte præceptorem, præter artem & ingenium, adiuvabit etiam libellus Ciceronis de claris oratoribus, & Quintiliani, Senecæ, atque Antonii Campani de scriptoribus censuræ, neque non veteres interpres, præcipue Donatus hac in re peculiariter occupatus. Huic pertinet & consilii ratio, veluti quare M. Tullius in defensione Milonis

nis finxerit sese timere. Et quare Vergilius tantopere laudibus vehat Turnum hostem Aeneæ, & quare abdicatus medicus apud Lucianum non lædit novercam, sed magis laudat, & in patrem acrior est quam in novercam. Sed id quoque in immensum patet. At iudicabit aliquis hæc nimium habere negotiū. Evidem præceptorem eruditum, longoque usu exercitatum volo esse. Is si continget, hæc etiam facile percipient pueri. Quod si qua initio erunt duriora, progressu & assuetudine mollescent. Optima certe sunt, nisi fallor, & optimis convenit statim assuescere, quanquam hæc non ubique omnia sunt inculcanda, ne tædio graventur ingenia discentium, sed ut inciderint insigniora. Neque vero minorem adhibeat curam præceptor in exigendo quæ commisit, quam in prælegendo. Est omnino labor hic docenti gravissimus, sed discentibus utilissimus. Nec ordinem exigat duntaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuescant bona cum fide reddere.

Neque


Neque vero deterreat ab hac re difficultas, quæ vel menstruo temporis spacio vincitur. Mihi nunquam placuit, ut omnia dictata scribant adolescentes, fit enim hoc pacto, ut memoriae cultus negligatur, nisi si qui pauca quædam notulis velint excipere, idque tantisper donec usu confirmata memoria, scripti non desiderent adminiculum. Postremo tantum arbitror esse momenti incommoda decendi ratione, si modo diligens & eruditus contigerit præceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusque linguae mediocrem etiam eloquentiam perductorum modo dentur ingenia non omnino infelicia, quam isti literatores ad qualemunque illam suambalbutiem vel infantiam potius provehunt suos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus schola, deinde bonis avibus ad disciplinas altiores conferat sese, & quocunque se verterit, facile declarabit, quanto pere referat ab optimis auspicatum fuisse.

fuisse. Hæc habui in præsentia mi
charissime Petre , quæ tibi de Studii
Ratione scriberem:ea, si placent, ute-
re: sin minus, sedulitatem certe no-
stram pro tuo candore boni consu-
les. Tu modo perge ita ut institu-
isti, in bonas literas incumbere , ac
Galliam tuam , alioqui florentissi-
mam , honestissimis etiam studiis il-
lustra. V A L E.

F I N I S.

UNED

UNED



UNED



UNED



UNED

889

F . A .
017